This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LVCVBRA

TIONES ALIQVOT

LAVRENTII VALLAE,

ad linguæ Latinæ reſtauratio

nem ſpectantes.

Quarum catalogum ſequenti pagina reperies.



APVD GRYPHIVM
LVGDVNI,
1532.

BIBLIOTECA
Google

LAVRENTII VALLAE.

Antidoti in Pogium: *Lib.* IIII.
In eundem Dialogi II.
In Antonium Raudensem Annotationum libellus.
Ad Alphonsum regem epistola apologetica.

INVECTIVARVM, SIVE
Recriminationum

In Benedictum Morandum *Lib.* II.
In Bartolemæum Facium & Antonium Panhormitam, Lib. IIII. *in quorum ultimo, sex Titi Liuij de bello punico libros, librariorum incuria deprauatos, restituit.*

Item

In Bartoli de Insignijs & Armis libellum, ad Candidum Decembrem epistola.

Digitized by Google

CHRISTOPHORVS

A CARLEBICZ EQVES, NO= bili & inter primos eleganti adoleſcẽti Ioan ni Vuerinhero à Neuhauſen

S A L.

VM ſuperiorib. diebus ſermonem inter nos de communibus ſtudijs conferremus, meminī te quærere Vuerinhere, quid eſset, quòd cum prijca illa ſecula tot excellentib. oratoribus floruiſſent, hæc potiſſimum noſtra ætas tan= tum ab ea gloria degenerasſet, ut propemodum ipſum etiam oratoris nomen amiſiſſe uideretur. Nam & in Italia, quæ mul tis iam ſeculis eloquentiæ principatum ſibi uendicasſet, au dire te dicebas: uix unum eſſe, quem uel ſuæ gentis homines oratorem appellarent: & apud Germanos & Gallos ac Bri= tannos, cæteraſq; latinæ linguæ cultrices nationes, cum ab uno atque altero receſsiſſemus, nullum ferè relinqui, qui uel cum mediocribus ex ueterum memoria oratoribus in compa= rationem uenire poſſet. Qua de re ſententiam meam interpo nere, etſi diu recuſabam, cum ita dicerem, me & alijs in re= bus iudicio minime prompto eſſe, & hanc præſertim quæſti= onem mirari magis, quàm intelligere: tamen cum familiarius inſtares, adduci me tandem patiebar, ut ad iſtam diſputatio= nem accederem. Idq; cum iam inde uſque ab ipſis hominum ingenijs repetijſſem, utriuſque ætatis felicitatem & diſcipli= nam inter ſe conferebam, ut cũ ex ea contentione cognouiſſes, quantum in his ſingulis à ueteribus hodie abeſſemus, facilius poſſes iudicare, cur tantum quoque ab uniuerſa eorundem di= cendi gloria abeſſemus. Primum autem de ingenijs hac mea, ſi me

ſi memoria tenes, ſententia fuit, ut dicerem, fuiſſe illa quidem in ueteribus (ut multis argumentis intelligi poſſet) ſumma atque præclara, ſed tamen nec in noſtris hominibus nimis tarda aut obſcura me agnoſcere. Quod eſi quibuſdam fortaſſe aliter uideretur, qui more hominum antiqua omnia mirarentur, contemnerentq; præſentia, non tamen dubitarem, quin æquis atque prudentibus exiſtimatoribus facile hoc probaturus eſſem, qui quicquid hac parte diſcriminis offenderet, id nõ tam in natura, quàm in hominum uitio poſitum eſſe ſcirent. Nam quod priſcorum ingenia tantum noſtris ingenijs præſtare uiderentur, hoc inde adeò euenire, quòd illi, ut fuiſſent admirabili induſtria, & quæ bona accepiſſent, diſciplina reddidiſſent meliora, & quæ non optima, ſtudio tamen & diligentia correxiſſent: nos contrà non ſolum, quæ minus bona nobis contingerent, ea meliora facere non laboraremus, ſed etiã quæ præclara, per negligentiam atque inertiam deſerta atque inculta eſſe pateremur. Atque hoc loco cum multa de peruerſitate educationis horum temporum diſſeruiſſem, qua corpora animiq; puerorum ſoluerentur, laudaſſemq; inſtitutum ueterum, qui ut in cæteris rebus, ſic in hac quoque perpetuo ſummam curam atq; ſeueritatem adhibuiſſent, ueni deinde ad gymnaſia, quæ & ipſa tantis eſſe malis cumulata dicebam, ut publicis legibus ad ſeueriorem diſciplinam reuocanda uiderentur. Cum enim in ijs iuuentus & ſtatim & ab optimis præceptoribus honeſtis artibus ad dicendi facultatem omnemq; humanitatem ac uirtutem informari deberet, nihil minus hodie fieri ſolere oſtendebam. Primum enim, qui illis præeſſent, magiſtri, eos ferè antè ad docendum, quàm ad diſcendum ueniſſe, & in ſummas profeßiones prius irruiſſe, quàm de tantis rebus aliquid potuiſſent ſuſpicari: quò fieret, ut pauci ex illis, quæ recta inſtituendorum puerorum ratio eſſet, tenerent, plu

rimi

Digitized by Google

rimi falsa doctrinæ persuasione inflati, ut Fabius scripsisset, magno supercilio suam stultitiam perdocerent, plerique de discipulorum profectu non magnopere laborarent, nonnulli etiã facilitate atque indulgentia sua pueros corrumperent. Deinde ex ipsis discipulis maximam partem aliena uoluntate coactos, paucos ex animo & suo iudicio ductos in scholas uenire, ideoq; studia plerunque frigere, nec tam ad fructum, quàm ad finem discendi respicere. Postremo artes ipsas sine ordine sinecq; certa ratione tradi, quo nihil esse posset toto hoc in genere uitiosius. Nam ut taceretur de peruersissimo quorundam iudicio, qui nuper pueris pro utriusque linguæ grammatica, statim quàm breuissime ex optimis autoribus coniunctim tradenda, Floristæ aut Alexandri casualia proposuissent: pro dialectica & rhetorica, quæ ex Aristotelis, Isocratis, Ciceronis, Fabij, cæterorumq; summorum hominum libris discendæ fuissent, nescio cuius Petri Hispani tractatus & Tartareti impura commentaria obiecissent, quantus tandem & quàm perniciosus ille putandus esset error, quòd ferè pueri, ante quàm grãmaticas rationes probe didicissent, alij ad medicinæ studium, alij ad ius ciuile, alij ad sacras literas aut detruderentur, aut irruerent. Me quidem certe sic sentire, ut hanc præcipuam & propè unam causam esse statuerem, cuius uitio accideret, ut hodie tam pauci præstantibus ingenijs adolescentes ad aliquam studiorum suorum frugem peruenirent. Nam cum in omni doctrinæ genere (ut inter peritos constare uidemus) rectissima docendi discendiq; uia esset, non à summis incipere, sed infimis primum cognoscendis paulatim sibi ad summa uiam munire, hac ratione neglecta, fieri non posse, quin omnis opera aliter sumpta periret. Quis autem nesciret, quantopere in hãc partem peccarent simul præceptores, qui prius quàm aliquid de lingua latina iudicare possent, maximarũ rerum professio-

Digitized by Google

nem sibi sumerent, simul discipuli, qui dum ad summa nimis festinarent eorum, sine quibus ad illa aspirare non possent, uel morum non ferrent, uel etiam detrectarent laborem, ut iam nemini amplius mirum uideri posset, cur tot passim inuenirentur, qui perpetuis uiginti annis apud literatores consumptis, tamen ne facultatem quidem recte loquendi, mediocrem saltem, consecuti essent. Hoc apud ueteres non accidisse: apud quos, qui eloquentiæ destinati fuissent, plerique omnes ante uigesimum ætatis annum non solum dicendi artes exacte didicisse, sed mathematã etiam libasse, percepisse ius ciuile, excussisse omnem antiquitatem, poëtas, historicos, omneq; cæterum scriptorum genus euoluisse, denique omnia, quæ de moribus ciuilis uitæ, de uirtute, de natura humani generis, causisq; ijs, quibus mentes hominum aut incitarentur, aut reprimerentur, à philosophis explicata essent, cognouisse solitos accepissemus. Ab hac igitur admirabili illorum industria cum tantum desciuissemus, quid attineret mirari, tantum quoque nos ab eorum eloquentia desciuisse? Nec uerò hac solum parte nos ab illis tanto interuallo abesse, sed nec in exercitatione eos propius sequi, quæ nec ipsa in minimis causis esset ponenda eius, de quo proposuissemus. Vbi enim nunc, inquam, in scholis uel nomina progymnasmatum illorum agnoscimus, quibus quondam adolescentes ad dicendi facultatem præparari solebant, ut uel narrationem aliquam conderent, uel confirmarent refellerentue aliquid, uel laudarent claros uiros, improbosq; uituperarent, uel compararent inter se aut bonos, uter melior, aut malos, uter deterior, uel locos communes in uirtutes aut uitia meditarentur, uel thesim aliquam tractarent, uel denique legem aliquam suaderent aut dissuaderent? Atqui hæc erat una, & uerè germana exercitatio, qua nos uiam nobis ad eloquentiam munire oportebat. Sed quid mirum, si hanc negligimus

mus, qui tam multa alia item præclara negligimus, quiq; adeò desides sumus, ut longis interuallis uix epistolam aliquã, quod tamen grammatici operis est, scribere instituamus? Quo magis mihi tacendum intelligo de illo declamandi more, quem à ueteribus frequentatum legimus, ut causa aliqua posita simili causarum earum, quæ in foro uersabantur, quàm maxime ad ueritatem accommodate dicerent, sicq; tanquam simulachris pugnæ forensis ad uerum discrimen pugnamq; iustam adsuescerent. Quomodo enim hanc industriam imitemur, qui, ut ne alia attingam, ne in familiaribus quidem sermonibus latina lingua uti sustinemus? Iam ucrò uocem, & spiritum, & linguæ celeritatem, & laterum uires, & oris totiusq; corporis motum quis hodie adolescentum nõ dico scienter exercet, sed omnino exercendum sibi putat? At hæc nisi præclara in nobis sint quis est, qui putet nos in oratorum numerum uenire posse? Ac memoria nunc etiam plerunq; negligitur, quam tamen & cæteris in artibus perneccssariam esse constat, & in oratore aut summam esse oportet, aut eloquentiæ nomen relinquendum. Olim autem cum in his exercendis plurimum studij laborisq; poneba tur, tum adolescens ille foro & eloquẽtiæ destinatus, simul ac aliqua doctrina imbutus esset, deducebatur à patre uel genere propinquis ad eũ oratorem, qui consilio linguaq; principem in ciuitate locum obtinebat: hunc sectari solebat, hunc obseruare, huius omnibus uel sermonibus domesticis, uel forensibus dictionibus interesse, huius totam dicendi rationem cognoscere, hoc denique familiarissime uti, simul ut ex ipsius consuetudine aliquid consilij, & iudicij, & usus sibi pararet, simul ut ductu au spicioq; eius non iam amplius in umbra, sed in media hominum luce, in sole & puluere forensi, inter ipsa pugnæ pericula, ubi nemini impune inepto stulto aut infanti esse liceret, eloquẽtiæ studio summam manum imponeret. Nec tamen huic uni

ita erat addictus, ut negligeret cæteros, sed cum hunc (ut dixi) potißimum eloquentiæ autorem atq; ducem propositum habe ret, reliquos quoq;, qui aliqua facultate essent, audiendos sibi putabat, huc accedebat popularis iudicij copia, ex quo intelli geret, quid cuiq; oratori uel laudi daretur, uel uerteretur ui tio, sicq; alieno periculo disceret, quod sibi aliquando ex usu esse posset. Quibus omnibus rebus consequebatur, ut cum elo quentiam tandem aliquando ex umbra & ocio, in solem & dimicationem forensem educeret, eam è schola facultatem adfer ret, quam alij in foro multo tempore, & labore, atq; periculo tamen uix assequi potuerant. Sed quod hanc antiquorum siue industriam siue disciplinam hodie nõ imitamur, eius fortasse rei culpa nõ tam ad nos, quàm ad tẽpora pertinet, quæ consuetu dine concionum formáq; iudiciorum ueterum & libera quem quisq; uellet, accusandi facultate, seditionumq; ac certaminum quotidianorum licentia atq; impunitate de medio sublata, elo quentiæ, ut sic dicam, theatrum clauserunt. Hæc enim, quæ di xi, cũ uiguerunt quondam, etsi fortasse statum reipublicæ disi pauerunt, plurimum tamen exercuerunt illorum temporum elo quentiam, adq; id fastigium perduxerunt, à quo nos tanto in teruallo nunc abesse querimur, nec mihi hoc loco institutum est, plusne detrimenti publicis rebus, an adiumenti per elo quentiam importatum sit, id ut disputem, sed satis habeo pro bare: priscorum temporum statum ad eam uel discendam, uel exercendam multo magis hoc nostro aptum & idoneũ fuisse. Primum quia illa, quæ commemorani, uehementer excitabant alebantq; hominum industriam. Deinde, quæ amplissima præ mia huic studio proposita erant, uel ad laudem, uel ad opes, uel ad honores, & omnino hæc erat siue rerum conditio, siue hominum persuasio, ut nemo aut non sequi in republica, aut tueri excelsum & conspicuum locum, sine eloquentia posse ui

deretur

Digitized by Google

deretur. Quæ opinio quia etiam nunc quibuſdam in locis ualet, & quia honeſtæ artes alicubi adhuc in honore ſunt, fit, ut quicunq; aliquid, non eloquentia, ſed dicendo ſaltē poßint, ad opes magnas, ſummam gratiam, ampliſſimam dignitatem prouehantur, quod uel unum eſt, quod homines adhuc utcunq; in ſtudio contineat. Sed ad cæteras commoditates, magna etiam uarietas amplitudoq; cauſſarū quondam accedebat, quæ & ipſa, mirum, quantum ſplendoris eloquētiæ afferebat. Eſt enim hæc illius itidem, ut flammæ, natura, ut alatur materia, motuq; excitetur, & utendo clareſcat. Nec eſt dubiū, quin multo illuſtrior oratoris laus ſit, ſi de expilata prouincia, quàm de interdicto, ſi de proditione imperij, quàm de ſtillicidijs: ſi de principe regno pulſo, quàm de ſeruitutibus dicat. Quæ mala ut optabilius eſt, nunquam incidere, cumq; ea republica præclarius agitur, in quæ non incidunt, ita nihilominus uerum eſt, cum incidunt, ingentem ea eloquentiæ materiam ſuppeditare. Nec uerò hoc eò pertinet, ut negem his temporibus huiuſmodi cauſas quoq; aut exiſtere, aut in iudicium uenire, quin potius plures, quàm expediat, quotidie exiſtere libenter etiam fāteor, ſed hoc aio, nō deferri nunc eas ad oratores, qui nuſquam ſunt, nec adhiberi eis in iudicijs eloquētiam, aut ornatum ſaltem aliquem orationis, cum ij, qui illas agunt, hac facultate nō modo non præſtent, ſed etiam apertè eam contemnant. Hi ſunt, quos iuriſconſultos uocant, qui oratoribus foro, id eſt, ſuo regno pulſis, uiolenter in eorum profeßionem irruerunt: de quorum facultate quid periti & intelligentes iudicent, nihil pertinet ad hunc locum: illud & ad hunc locum pertinet, & uerius eſt, quàm uellemus: iniuria temporum, quæ hac uiciſſitudine humana temperāt, eò res redijſſe, ut nomen oratorum in regum utq; liberorū populorum legatis tantum nunc remaneat, eloquentiæ autem ſi qua laus ſit, ea ab oratoribus ſeiuncta, & foro, cui nata erat, excluſa in

Digitized by Google

ſcholis ſolummodo penes profeſſores artium, atq; in eorum libris tota reſideat. Hæc ſunt igitur Vuerunbere, quæ ad eam quam mihi poſueras quæſtionem, reſpondere mihi tum in mentem ueniebat, quæ fortaſſe, ſi quemcunq; literatorem è ſchola euocaſſes, eadem tibi requirenti multo copioſius atq; ſubtilius explicaſſet. Quod autem eadem hic nunc repetij, hoc conſilio feci, ut cum ex illis cognouiſſes, quæ res eloquentiam ueterum prouexiſſet, quæq; noſtrorum hominum impediret, ijs tãquam documentis admonitus, tuum diſcendi curſum prudentius moderareris. Cum enim tantum te tamen, quãtum & tua egregia indoles meretur, & ſumma erga me ſtudia officiaq; poſtulãt, cogit me ſanè meus affectus, ut quibuſcunq; rebus poſſim, tibi conſulere cupiam, & quo felicius ingenium maioremq; diligentiam atq; induſtriã te ad literas attuliſſe uideam, hoc uehemẽtius laborandum mihi putem, ne ſperato earum rerum fructu fruſtreris. Quamobrem horũ etiam Laurentij Vallæ librorum caſtigationem ſuſcepi, ut tibi proponerem, ad cuius iudiciũ & autoritatem tuum eloquentiæ ſtudium quadam ex parte comparares. Nam ſi eleganter & ornate loqui, primum eſt in eloquentia, ut ſummi quondam homines ſenſerunt, ſanè illud uere mihi uideor dicturus: multis iam ſeculis aut neminem, aut hunc Vallam hoc in genere & facultate præſtitiſſe, & iudicio. Quare eius cum alios, tum uerò hoſce in Pogium libros non uulgariter tibi commendo.

Crede mihi, non ſimplicem utilitatem capies eius operæ, quamcunq; illis tribueris. Vale. Coloniæ, Anno à nato

CHRISTO

M. D. XXVII.

Sub finem Aprilis.

Lauren

LAVRENTII

VALLAE PATRITII ROMANI

atq; de lingua Latina bene meriti Antidotiin Pogium ad Nicolaum Quintum Pontificem Max. Lib. I.

ON ERAM nescius iam inde ab initio, cum linguæ Latinæ elegantias componebam, fore, ut quantum fauoris apud Iuuenes ac cæteros bene dicendi studiosos mihi conciliarẽ ex illo opere, tantum odij apud eos, qui falsam sibi elegantiæ persuasionem induissent, cõtraherem, aut plus etiam fortasse: tum quia sic natura comparatũ est, ut uehementior sit eius qui offenditur maleuolentia, quàm eius qui adiuuatur beneuolẽtia: tum, quia illos uidebar ad spem futuræ gloriæ euocare, hos, quod maius est, ab adeptæ iã gloriæ possessione detrudere. Hoc tamẽ mũtu non sum à scribendo deterritus. Primũ, quòd pro re honesta, & multis, ut opinabar, profutura, non fuit timenda iniquorum offensio. Deinde, quòd remotus ab omni mordacitate notaui uitia, nõ homines, ut nemo, nisi de se confiteri uellet, de me cõqueri posset, si modo uel sic foret iure questurus. Postremo quòd hos ipsos, quos offenderet opus meũ, pauciores, nec semp futuros, nec diu uicturos sciebam, sed eos quibus placeret, quasi familiam quandã ac sobolẽ, indies magis ac magis prouẽturos sperabã. Verũ multo truculentiorem opinione mea unũ comperi Pogium Terrinouanum, qui se planè tenere linguam latinam iactare solitus, ubi libros de elegãtia Latina edidi, mihi extitit ita aduersus infensus q;

Digitized by Google

susq;,ut nunquam dissimulare potuerit, tandemq; inualescente quotidie operis gloria,obuiam sibi eundem statuerit: more Marci Catonis, qui cum cunctas Caij Cæsaris de Gallis Germanisq; victorias gaudio,honore, supplicationibus prosequeretur,ipse iurauit ob easdem res gestas illum se capitis accersiturum. Nec intelligit noster Cato, quo magis irascitur operi meo,hoc magis significare, se aduersus linguæ latinæ elegantiam peccauisse. Atq; ut aliquid coloris ad accusandum habere uideretur,quædam,quæ adolescens quidã,auditor meus,in suo Pogianarum epistolarum codice,iuueniliter annotauerat,ea me annotasse sine ulla confirmatione affirmat:quasi ego aut uererer ipsum palàm aggredi,si aggredi uellẽ,aut tam pauca tamq; leuia uulnera inflexissem,si me hostem eius esse profiterer. Et quia non satis hic materiæ ad debacchandum habebat,sumpsit sibi patrocinium mortuorum, quos à me ait esse reprehensos: tanquam illi huic, ut se iniuriam passos defenderet, mandauisset,& non potius naturam suam secutus fuerit, sui similis uir,& ut ipse minime laudandus, ita alienæ laudis inimicissimus:& tanquam non iam pridem * famam meam obtrectare ceperit, cum absentis; tum uerò præsentis,non solum apud alios,sed etiam apud summum Pontificem, non minus sapiẽtia quàm dignitate præstantem,qui de me bene & sentit & loquitur,ac honoribus muneribusq; prosequitur: daturus etiam plura,nisi assidue hic rabula reclamaret:qualis apud Latinum regem Drances,ut Vergilius ait:

Tum senior semperq; odijs & crimine Drances
Infensus iuueni Turno. Et iterum:
Tum Drances idem infensus quem gloria Turni
Obliqua inuidia stimulisq; agitabat amaris.

Itaq; cum non multum proficerat occultis delationibus,apertam accusationẽ susceperit,in qua sordes atq; sentinam stomachi sui euo

* Sunt qui putant,famæ,legendum.

Digitized by Google

*sui euomuit, homo quemadmodum re, sic oratione intemperantissimus. Quem ueluti rabidum canem, nisi ad uomitum suum reſorbendum adigam, uenia ſit dicto, ipſe reſorbere nõ recuſo. Qualis enim ſim, cum remordeo, Facius & Panhormita teſtimonio ſunt, qui me momorderunt, nunc à me tanquam leone ita lacerati, ſiue, ne uictis acerbius inſultare uidear, ita coerciti, ut eos non putem poſthac lupis, nedũ leonibus allatraturos, id eſt, uera, nedum fálſa crimina obiecturos. Quo minus Pogio facien dum fuit, ut poſt ruinam illorũ inuectiua itidem me laceſſeret. Sed, ut ipſe circa initia ait, non intelligens ſe de ſe ipſo loqui, arduum ſanè eſt, ſenem * detractatorem conuiciatoremq; coërcere, ſiue, ut barbaris eius uerbis utar, deſuetа eſt fortitudo tãlem ſenem caſtigare, cũ deſuetũ ſit, à cõſuetudine iam remotũ, ſcilicet accepit rem deſuetam pro inſueta, quod mox oſtẽdit, ut ſemper repetit eadem & inculcat orationemq; perturbat, inquiens: Quos fuſte reprimere inſueta uirtus exiſtimatur. Caſtigare pro coërcere, quum caſtigare ſit reprehendere, quod nec inſuetum, nec difficile eſt. Nõ poteſt igitur hic detractator ſenex, atq; conuiciator, nõ magis lingua, quàm animo barbarus, ab inſueta uita deſueſcere, qui fálſum ſe uiſum iri putat, ſi ſcurrili utatur & obſcœna oratione, qualis eſt liber, quem appellauit de confabulationibus, tam ſpurcus, ut eum perlegiſſe uerecundo homini turpe ſit. In quo Therſitem illum Homericum reddit, uel quòd inſulſiſſimus, uel quòd mordaciſſimus, caninam, ut ait Appius, eloquentiam exercens: & ſi inſcriptio eius ita exprimit oratoris facundiam, ut ſimia hominis formam: planè peruerſus Neſtor, cuius ex ore amarior felle fluit oratio. non mitis ſenectute, ſed acerbus, etſi penè putridus, nondum tamen maturus, nec ſaltem auſterus, quod nonnunquam bono uino ex uetuſtate contingere ſolet, ſed, quod malo, acidus, & quod noſtro ſimile uideatur, in acore illo ſenectutis adhuc retinens muſteum*

Faccius & Panhormita.

*In Pogij libris detractorem legitur. Subinde autem hoc uocabulum recurrit.

Caſtigare.

Digitized by Google

ſteum adoleſcentiæ feruorem, temerarius, petulans, procax, ni-
mirum quaſi agendo iuueniliter poſsit fallere ſenectutem, mo-
re illorum, qui caniciem cõtingunt, quo iuniores exiſtimentur.
Quem ſi nouiſſet Hannibal, ut eſt apud Ciceronem, profecto
dixiſſet, ſe deliros ſenes nouiſſe multos, ſed qui deliraret ma-
gis Pogio, neminẽ. Et de quo ipſe etiam Cicero idem, quod de
Antonio diceret, Noui hominis furorem, noui effrenatam uio-
lentiam, cuius acerbitas morum, immanitasq; naturæ nec uino
quidem permixta temperari ſolet. Itaq; etſi Antonio uiuoſior,
tamen quotidie in hac acerbitate ſua proficit, eoq; iam opinio-
nis peruenit, unde maxime gloriatur, ut uulgo principatũ ma-
ledicendi obtinere dicatur, & quia hoc facile facit, in dicendo
eſſe perfacilis, cum tamen docti ſic ſentiant, eum etiam dũ uult
bene dicere, peſsime dicere, & nõ perfacilem in dicendo, ſed ad
dicendum, atq; omnibus maledicendum facillimum, quod in hac
ultima oratione declarauit, in qua nullo à me uerbo læſus, tan-
quàm perditus gladiator, in harenam me prouocauit, quo aut
me trucidet, ut ſpero, aut certe occumbens laudari me non co-
gatur audire, & aduocatis omnibus ſuis armis ita in me irruit,
ut in alijs inuectiuis omnes, in hac ſe ipſum maledicendo ſu-
perauerit: prorſus immanis chimera, cuius prima pars leo flam-
mas emittens, poſtrema draco uenenum ſpirans, media capra
caprinum olens. Verum, niſi fallor, partes ei leoninam ac dra-
coninam auferam, & totum capram ſeu caprum reddam, quia
uetulus eſt, & longis præditus cornibus, quanquam neſcio an
eum magis Cerberum nominem, qui triſauci latratu perſo-
nans exangues territ at umbras, exangues inquam umbras, non
Herculem: Hercules nanq; ego huic Cerbero fiam, quem non
offa, ſicut Sibylla fecit, ſed claua ad necem uſq; ſoporabo. Sed
quid ago? quò progredior? quid in refellendo Pogio Pogium
imitor? quid in ſenem, qui meus non modo parens, ſed etiam

auus

auus esse posset, ferrum stringo? delirat iam decrepitus, desipit, repuerascit. Ad me redeo, contineo impetum, cohibeo iracundiam, rationem quàm affectum sequi malo. Si qua fides est, eius tum stultitiæ, tum periculi misereor. Vtinam hic utinam, quemadmodum nunc ego delibero lacessitus, ita ipse lacessere uolens deliberasset, aut certe de edenda inuectiua quempiam consuluisset prudentium amicorum uel Florentiæ, uel Romæ, nam eam plusquam per octo menses utrobiq; cõposuit. Non ne si Iannotium Manettum, ut eum potissimum nominem, consuluisset, uirum literatissimum, eundemq; prudentissimũ, huiusce modi consilium accepisset? Quid tibi uis ista inuectiua Pogi? cur ueteranus & emeritus iam stipẽdijs in militiam redis? quid gladiator accepta rude harenam repetis? cur non cestus iam artemq; deponis, ut ille Vergilianus Entellus, quantũ opinor, natu te minor? cur, ut de tua arte loquar, Crassum illum non imitaris, qui apud Ciceronem destinabat forum controuersiasq; relinquere? de quo apud ipsum inquit Marcus Antonius, Iam diu multo dicis remissius & lenius, quàm solebas, neq; minus hæc tamen tua grauissimi sermonis lenitas, quàm illa summa uis & contentio probabatur. Respice ætatem tuam, quæ non pugnas desiderat, sed quietem & securitatem, sed lenem & remissam, nec incipientem canescere, ut de sua Cicero ait, sed planè canam orationem. Vt uerum sit, à Laurentio notatos, ut ais, in epistolarum tuarum codice locos quosdam de lingua Latina, expostula apud illum. Si se scripsisse negauerit, iube eum delere, aut ipse tu corã eo adhibitis testibus dele. Satis tibi hoc satisfactionis, satis ultionis fuerit. Si non negauerit, cõuince hominem errare, si causæ tuæ confidis, sin forte diffidis, admone amice, grauiter, cum autoritate, quæ tibi pro tua dicendi copia occurrerit. Nunc tu incertus, an te secum modeste, ac leniter, & ut senẽ decet, agente inficiaturus sit, incertus an retractare

Iannotius Manettus.

factum

factum suum uelit, imò incertus an scripserit, nam plerique negant manum eius esse, in ultum ipsius unguibus ac dentibus inuadis, & causam tuam de bona malam facis, inimicumq; ex amico, & à quo prouocatum te quereris, eum tibi nõ respõsurum opinaris, quẽ scis prouocatores suos æterna ignominia affecisse? Mihi crede, plus obsequio quàm asperitate proficies, ut licet uidere in equis, in bobus, in leonibus, in elephantis domandis. Nec ullum magis animal, quàm homo, exasperanti repugnat, nullum magis obsequio uincitur. Vince moderatione, quem uincis annis. Decet istum ætatem, ut grauis est, ita præstare grauitate. Quid facient adolescentes, cum sint senes adeò feroces? Non tibi nunc de fama, de dignitate, & pudore domestico res est, sed de puerilibus quæstiunculis, & à sene cõtemnẽdis, quædã obiecta cõmodius quasi fastidiẽdo calcamus quàm refellimus. At tu, proh nefas, æstuas, debaccharis, insanis, ut multo te magis ista dedecorent, qui scribis, quam illum, in quem scribis. Nam quod ais autores quosdam à Laurentio reprehensos, hoc maiorem abs te modestiam postulat, nec suam illi causam uellent, qua modestia fuere, conuicijs defendi. Nunquam meliorem causam fecit dicentis petulantia, sed sæpe peiorem. Non stomacho uteris, sed ratione, non contumelijs, sed documentis, nõ maledictis, sed autoritatibus. Neq; enim odio aut inuidia Laurentius, sed iudicio mortuos reprehẽdit, quibus nemo iam inuidet, nemo male ult: tametsi, pace tua dictũ sit, nusquam eum deprehendi in illo opere reprehendentem istos, quos tu reprehensos tantopere excandescis Ciceronem, Sallustium, Terẽtium, aliosq; linguæ latinæ principes, sed hos afferentẽ ad reprehensionem Prisciani, & quorundam similium. Hos ille si nulla simultate, nullo liuore ductus, sed tantum opinione ait errasse: tu tanquam liuore & odio percitus, in ipsum, ut putas, errantẽ irrues? & cum ipse fuerit moderatus et lenis in repre-

hendendo

Digitized by Google

hendendo, tu eris in defendendo furibundus et incensus? Quid inhumanius, quid barbarius, quàm cum iusto hoste pugnãtem, ferrum ueneno armare? Quanquam ò te Pogi, si credimus, plus æquo religiosum, quid tibi cum causa mortuorum? an quia pro pediem ipse moriturus es ad illos iturus? At ego tibi pro nostra amicitia suadeo, ut etsi parum diu uicturus, tamẽ uiuorum tibi studia concilies, qui te uiuentem beneuolentia, atque defunctum honorifica memoria prosequantur. Relinque istas lites inimicis. An nunquam à maledicendo & à male audiendo cessabis? quorum utrũ apud probos animos ingratius sit, nescio. Cui enim tu uel inuectiuis uel epistolis non maledixisti? à quo eruditorum non uicissim male audisti? Nemo profecto ex omnibus, quos uel audiendo uel legendo cognoui, fecit hoc, quàm tu aut crebrius, aut intemperantius. Itaque nullus nõ credet te potius, quàm illum fuisse prouocatorem, Illius enim nulla legi contra quempiam nisi in se defendendo scripta. Tu uerò quid causæ habuisti, ut scriberes in uirum leniss imum Frãciscum Vella tam Cardinalis Placẽtini propinquum, ut carperes errata orationis eius, quam de laudibus Cardinalis Viuarienſis ediderat? Quid in Franciscum Philelphum amicum tuum ad eam diem, ac familiarem, ut in eum scriberes pro Nicolao Nicolo, ut hostis atque inimicus? Quid in Auriſpam uirum suauissimum, & ab omni contentione remotissimum? Quid in Thomam Reatinum, qui in neminem unquam, nisi in te, postea cõposuit? Quid in Guarinum modestiæ exemplum? Quid in Cyriacum Anconitanum de antiquitate bene meritum? Quid in Episcopum Feltrẽsem hominem optimum atq; leniss imum? Quid in alios permultos? à quibus quid maledictorum audieris, cum recordor, pudet me uicem tuam. Caue igitur mi Pogi saltem in uitæ extremo, ne si cætera nequeant, hoc saltem possint dicere, te hominem esse maledicum, nam maledico cuncti male uolunt. Ex

Franciscus Vellatus

Franciscus Philelph.

Auriſpa.

Thomas Reatinus.

Guarinus.

Cyriacus Anconitanus.

Episcopus Feltrensis.

Digitized by Google

quo illud certo scio assequeris, ut ita agendo, Laurentium cogas in te agere modestius. Hæc si Iannotius dixisset, nam consultus hæc certe dixisset, forsan eum ab edenda inuectiua deterruisset. Nunc quando & suo & alieno consilio caruit, nec intellexit, quid sibi conduceret, intelliget ipso edoctus euentu, qui stultorum, ut dicitur, est magister, suæq; stultitiæ, temeritatis, petulantiæ pœnas luet: & quia iuueniliter quàm senliter agere maluit, à me tractabitur, ut iuuenis: & quia gladiatorio me inuasit animo, sicut truculentissimus à me gladiator repelletur. Imitabor ergo non uoluntarius, sed coactus gladiator, bonum gladiatorem, qui eodem ictu occurrit pariter & ferit. Siquidem Pogium, dum deuito uulnerare uolentem, uulnerabo. Quid enim obiecit mihi gladiator iste mirmillo? Nempe quòd se iniuste imperiteq; reprehenderim, itemq; scriptorcs multos: quorum alterum est mali uiri, alterum oratoriæ artis imperiti. Horum utrunq; falsum ostendam, & ipsum potius peruersum esse oratorem, ut illud Catonis de oratore quemadmodum Herennius Senectio in Regulum fecit, ego in Pogium posim econtrario uertere: Orator est uir malus dicendi imperitus, & cum Plinio dicere, Nō tam bene Cato expressit uerū oratorē, quàm aut Herēnius Regulum, aut ego Pogium, & illud eiusdem: Minor uis bonis quàm malis inest, & sicut stultitia quidē audaciam, ratio uerò tarditatem affert: ita recta ingenia debilitat uerecundia, peruersa confirmat audacia. Exemplo est Regulus: imbecillum latus, os confusum, hæsitans lingua, tardissima inuētio, memoria nulla, nihil denique præter ingenium insanū, & tamen eò impudentia ipsoq; illo furore peruenit, ut à pluribus orator habeatur, quæ omnia in Pogio recognoscimus. Ostēdam itaq; eum, quasi alterum Regulum, malum quidem uirum, non quòd libidinosus ac prope libidinis professor, non quòd adulter atq; adeò alienarum uxorum præreptor, non quòd uinolentus

nolentus semper ac potius temulentus, non quòd falsarius, & quidem conuictus, non quòd auarus, sacrilegus, periurus, corruptor, spurcus, aliaq; quæ extra causam nostrã sunt: sed quatenus ad causam nostram facit, quòd manifestarius calumniator, idq; trifariam. Primum, quòd summos linguæ Latinæ autores, ut nõ Latine loquutos, à me reprehẽdi ait. Deinde, me de ipso insolentißime loqui. Tertio, suas epistolas me, ut inelegantes, carpere. Dicẽdi autẽ imperitum, nõ quòd nihil Dialecticæ, nihil Astronomiæ, Geometriæ, Musicæ, nihil iuris uel ciuilis uel pontificij, nihil nec Philosophiæ, nec Theologiæ attigerit, sed quod ad hanc pertinet causam, quòd parũ grammaticæ, minus poëticæ, minimum rhetoricæ nouerit, & id quoq; trifariam. Primũ, quòd ait quosdam, qui de lingua Latina locuti sunt, quibusdam in locis imperite à me emendari. Deinde, quòd locos aliquot Elegantiarũ mearum imperitißime emendare conatur. Postremo, infinita imperitiæ eius testimonia congregabo, ubi stultitiæ quoq; ipsius, & si omnis malus stultus, paßim, ut quisq; locus postulabit, admonebo. Hæc est mea fuscina, quandoquidem gladiator à gladiatore fieri cogor, & ea duplex, & utraq; tridens, imò, ut magnificentius loquar, tridens Neptuni fuscina, & trisulcum Iouis fulmen. Aggera itaq; Pogi, quantumlibet quasi Tiphœus ille Gigantum immanißimus, maledictorũ conuiciorumq; montes, ut me de cœli mei possessione deijcias. At ego te uelut Iupiter fulminibus meis confossum atq; incensum cum montibus tuis prosternam, & æterna montis Aethnæ mole obruam, ubi sepultus uix per ipsum cacumẽ igneos fumos anhelare poßis. Fecisti me, etsi per ludibrium, triumphantem. Non abnuo omen, triumphabo enim. Verum quoniam nemo nisi post pugnam, post cladem hostium, post uictoriam triumphat, tecum prius pugnabo, ac profligatis quinq; legionibus tuis, expugnatisq; oppidis, per mediam urbem in Capi-

tolium usq; triumphabo, ducens te uictum ante currum meum cum militum atq; oppidanorum, hoc est, errorum tuorum multis milibus, quos quidem uinctos in carcerem conijci iubebo. Hic erit meus uerus atq; insignis, non imaginarius & asinarius triumphus, ut iste tuus, ubi te potius triumphantem de me, quasi iam victo, atq; ouantem significare uoluisti. Sed in isto curru tuo me Iouem esse senties, non secus atq; ille Salmoneus, de quo Verg.

Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans,
Per Graium populos mediæq; per Elidis urbem
Ibat ouans, diuumq; sibi poscebat honorem,
Demens, qui nymbos & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum cursu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, non ille faces, nec fumea thædis
Lumina, præcipitemq; immani turbine adegit.

Tali ego telo te, qui fumosas mihi faces thædasq; ingessisti, feriam, faciamq;, ut quod fulmine ictis accidere solet, nemo te cõtingere uelit. Atq;, ut iam tecum pugnare incipiam, ordinemq; propositum sequar, cuius prima pars fuit te calumniari: dicentem, à me summos autores in lingua Latina reprehensos, exordiar à Terentio, qui horum est antiquissimus, quem tu, ut sine ordine & dissipate loqueris, diuersis in locis ponis à me esse reprehensum. In uno his uerbis, POG. Nam illud apud Terentium: Ecce autem alterum nescio quid de amore loquitur, alter scribi debuisse ait. Quod carcer? quæ flagella? quam crucem meretur hic fugitiuus seruus, maternæ linguæ inscius, qui eum non Latine scripsisse arguit, quẽ omnes propter proprietatem linguæ ab ipso præ cæteris seruatam primum inter Comicos adscribũt? LAV. Si tali pœna dignus est, qui alterum recte loquẽtem arguit, tu certe ista pœna dignus es, qui me recte

Quod summos autores reprehenderit.

Terentius Ecce autem alterum.

Digitized by Google

te loquentem reprehendis, atq; etiam dignior, qui non per im peritiã, sed per calũniam peccas. Non enim dixi scribi debuis se, sed scribi debere: hoc est, non à Terentio erratum esse, sed à nobis errari, qui ab ipso Terentio deficimus, & quodammodo Terentium emendamus atq; reprehendimus. Neq; ita scribendum esse de meo sensu dixi Pogi sceleſtiſsime, sed Donatũ, qui commentum super Terentium fecit, dicentem retuli. Quod si nulla Donati culpa, qui hanc scripturam emẽdat, imò magna laus est, quo tandem pacto ipse culpandus sum potius quàm laudandus, qui Donatum habeo autorem? Quanquam uelim mihi respondeas Pogi, ut taceam, quod apertius atq; elegãtius est: ecce alter nescio quid de amore loquitur, quàm alterum, idem in uersu pollere existimas: alterum & alter? & perinde rationem metri constare? Hoc tu non respicis, qui omnes syllabas ignoras, nec uersum unquam nisi per imprudentiam facis, & quidem in prosa, quod ars rhetorica uetat: quale est illud in hac inuectiua: Afris, Hiſpanis, dici nos esse reuersos. Res prorsus admiranda & Pogio, id est prodigio par. Nam uates illæ, quæ apud Delphos futura præcinebant, uel ob hoc præcipue merebantur admirationẽ quòd literarum ignaræ, uersus tamen ex tempore effunderent, Apollineo ſpiritu inſtinctæ. Ita Pogius numine quodam, non Apollineo, sed ampullineo afflatus, uersus effundit insciens. Sed nescio quomodo eum uel Apollo uel ampulla deseruit, ut diceret: quod carcer, pro quem carcerem: sicut ediuerso, proterue animal, pro proteruum animal. Et iterum, moleſta culex, pro moleſtus. Item primum inter Comicos adscribũt, cum primus neq; adscribi dicatur, neq; inter alios, sed ante alios. Item: fugitiuus seruus, cum dicendum fuerit, seruus fugitiuus, aut dicto: fugitiuus, omittendum, seruus, quia nemo fugitiuus, nisi seruus, quod præceptum tradit Quintilianus. Item illud: ab ipso, redundat. Nam lingua materna

Quod carcer. Proterue animal.

Moleſta culex. Primũ inter Comicos adscribũt. Fugitiuus seruus

Ab ipso. Materna lingua.

Digitized by Google

terna quæ sit nescio, quam ut sciam, ad Pogianam domum mihi, ut uideo, eundum est, ubi maternæ, paternæ, fraternæ, sed crebrior falernæ linguæ, ac tabernæ est usus. In altero his uerbis. POG. His statim addidit & Terentium, quem ut puerum castigat. Nam cum ille dixisset, ut unusquisq; miser est: hic noster, ut quisq; maxime miser est, rectius ait poni potuisse. LAV. Pogi carcere ac flagris digne, reprehendone in his uerbis ego Terentium, quæ in omni Terentio non leguntur? Donati sunt ista uerba super Terentium scribentis, quæ fateor potuisse dici elegantius, cuius facti mei rationem fortasse posterius reddam suo loco. In tertio his uerbis. POG. Et Terentius, Flens, ait, reiecit se in eum quàm familiariter. & : quàm pulchre aduenies principium dedit? Sed hic demens etiam Terentium male scripsisse arguit. LAV. Nunquam de illo Terentij loco: quàm pulchre aduenies principium dedit, feci mentionem, nedum ipsum reprehendi, qui etiam mecum facit, quod tu demens non intelligis: quippe in quo, quàm, nõ pro ualde, de quo dubitatur, sed pro quantum ponitur. at quàm pro ualde nego iungi cum positiuo, sed cum superlatiuo, & in hoc hunc locum Terentianum, quàm familiariter, arguo? Quomodo id probas: certe per ipsa mea ex Elegantijs uerba, quæ tamen tu furcifer non protulisti, ut debebas, in medium quæ hæc sunt, Atqui in hac differentia positiui & superlatiui aliquis se obijciet: afferens Terentium in Andria: Reiecit se in eum flens quàm familiariter: quod ego accipio pro quantum figurate, quasi: ò quàm familiariter. Neque tamen in hoc toto meo opere tam licentiam poëtarum consector, quàm usum oratorum. Neque si quid aliter apud autores reperiatur, mihi obesse debet, qui non legem scribo, quasi nunquam aliter factum sit, sed quod frequentius. Non'ne hæc mea uerba Pogi longe absunt ab omni reprehensione Terentij nefande calumniator? In quarto his

Vnusquisq; miser est.

Quam pro quantum.

Digitized by Google

to his uerbis. POG. Sequitur iterum sua impudentia Laurentius inuehendo in reliquos præstantissimos autores. Non enim dicas, ait, pro eodem: dolorem tui, & dolorem tuum, ut dixit Terentius, quod ego non dicerem. Præclarus Terentij emendator. Non miror, si ipse hoc non diceret, qui nihil unquam recte dixerit. Non miror, qui nihil unquam uere senserit, à Terentio dissentire. LAV. O furiose Pogi, ubi est apud Terentium, dolorem tui uel tuum, quod me reprehendere ais? de desiderio, quod apud illum est, dixi, non de dolore: his uerbis: Videmus interdum ipsa deriuatiua pronomina passiue accipi, ut apud Terentium: Vt appareret facile desiderio id fieri tuo, uidelicet quòd tu desideraris, non quòd desideras, quale est: accusatio mea, & crimen meum, quod quidē rarum est, idq; non magis contra me, quàm contra ueteres omnes, qui hæc pronomina possessiua uocauerunt, id est, significantia possessionem, quod nunc non faciunt, quod, ut dixi, rarum est, ideoq; non passim hoc reperias. Non enim dicas pro eodem: dolorem tuum, & dolorem tui, ut dixit Terentius desiderium tuum pro desiderium tui, quod scilicet ipse non dicerem. Vides ut negaui dolorem tuum pro tui? Non negaui desiderium tuum pro tui, nec Terentio contradixi, sed me tantum sic loqui non audere. Et tamen temperaui sententiam meam tum analogia, tum usus raritate, tum uerbi lenitate. Nō enim dixi, quod scilicet ipse non dixissem, quasi poëtam reprehenderem, sed quod ipse non dicerem nunc, qui nec illo tempore, nec poëta sum. An tu in omnibus tibi Terentium imitandum ducis? ueluti in illo: Si mihi pergit quæ uult dicere, ea quæ non uult audiet: aut in illo, Si quisquam est, qui placere sibi studeat bonis quàm plurimis, & minime multos lædere, in his poëta hic nomen profitetur suum. Vbi si quis, singulare est, in his uerò plurale, quod etiam in Thucydide Græci mirantur,

Possessiua pronomina.

Dolorem tuū. Dolorem tui.

Si mihi pergit &c.

Si quisquam est qui placere sibi &c.

Digitized by Google

Thucid. lib. 2. in oratione funebri.

μέλλει γὼ τῶδε, ἀνεκτοὶ οἱ ἔπαινοι εἰσι περὶ ἑτέρων λεχθέντες, εἰς ὅσον ἂν ἕκαστος ἐν αὐτοῖς ἔκας ἦν ἱκανὸς εἶναι δρᾶσαι, ὧν ἤκουσε, τῷδε ἤδη ἐν ἀπιστοῦσιν, & alia plurima, quæ si tu non diceres, homo in loquendo inconsultissimus, ipse dicerem Pogi uenefice, qui non ponendo syncere uerba mea, defensione me

CICERO. mea fraudare uoluisti. Venio nunc ad Ciceronem, quem à me carpi ais, ubi laudatur. Vno in loco sic. POG. In prima uero Philip. quoniam utriusq; consilij causam P. C. probatam uobis esse confido, priusquam de rep. dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, quippe probatam uobis esse confido causam utriusq; consilij. Exclamare libet adolescentis more illius, O tempora, ò mors, ò scelera impunita. De hoc autem, ò uesanam leuitatem, ò temeritatem non ferendam, ò impudentiam manifestam. adeó ne Ciceronis fama, doctrina eloquentia in extremum discrimen redijt, ut nescio quis furibundus demens, insanus, indoctus, petulans audeat Ciceronis eloquentiam sua insulsa dicacitate corrigere? Quod esse potest expressius, quod manifestius stultitiæ signum, quàm cuipiam Ciceronis eloquentiam non placere? quàm audere ab eo dicta commutare, tanquam eloquentius dici possint? Atqui nullus hactenus hominum memoria repertus est, qui id auderet, qui id tentaret. Valla latrator furibundus, conuiciator demens, rabula foraneus, tandem nescio è quo gurgustio emersus, impetum facit in Ciceronem. LAV. Et alijs deinceps multis conuitijs exclamas Pogi, proclamas, inclamas, succlamas, reclamas, increpas, cõcrepas, crepas. Istud est tympano pugnare, non gladio. At ego te gladio meo detracta tibi ista hircina pelle ex tympanista tympanum faciam, ut fiam pro te tympanista. Nam quomodo me probas corrigere Ciceronẽ tympanizator tympanizande? Verba id tua non ostendunt.

Subijcit

Subijciamus mea ad literam, quod tu facere debebas, ut appa-
reret, an Ciceronem uere reprehenderim: quæ hæc sunt. Habet
coniunctio quippe, alium suum usum, dum pro quoniam accipi Quippe pro quoniam.
tur, ut in hoc Tulliano exemplo, Quoniam utriusque consilij
P.C. probatam uobis esse confido, priusquam de Repub. dicere
incipio, pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria. Hoc idē
per quippe sic dicam, Priusquā de rep. dicere incipio P.C. Pau
ca querar de hesterna M. Antonij iniuria, quippe probatam uo
bis esse confido causam utriusq; consilij, uel, quippe quū pro-
batam esse uobis confidam, uel, quippe qui. Hoccine quæso Pogi
est reprehendere Ciceronem: an eum imitandum proponere?
Tua certe accusatio, quantum intelligo, nihil aliud sibi uult,
quàm à me Ciceronem reprehendi, ut male utentem coniunctio
ne quoniam. At in hac coniunctione neminem unquam uidi errā Quoniam.
tem, neq; de ea tunc ego præcipiebam, sed de quippe. Diabole,
quo te melius alio appellem nomine? Διάβολος enim Græce Διάβολος.
dicitur Latine criminator, quod quia atrox scelus putatur, hoc
nomine malignus spiritus, qui tibi istam dictauit inuectiuam, ap
pellatus est. Altero in loco sic, POG. Sed instat in eiusdem
uiri reprehensionem, Sæpe admirari soleo, quòd nunquam tibi
senectutem grauem esse senserim, in Catone maiore Cicero in-
quit. Quam sententiam Vallæ ignauia reprehendit, ait enim:
Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire non posses,
quippe quod nūquam fuit? O præclarum Ciceronis corrupto-
rem. Nimis magnas profecto dijs gratias hoc seculum debet, in
quo natus sit omnium disciplinarum, omnium facultatum autor
ac princeps, qui luce m quandā nobis attulerit, ut aliquando ue-
ri reperiendi & recte discendi monstratorem & ducem habea
mus. O monstrum horrēdum, informe, ingēs, cui mentis lumen
ademptum. Quis adeò bono est stomacho, ut non nauseet, cum
audierit esse rabulam quendam dicacem ex maledicorum foro

Digitized by Google

abreptum, qui Ciceronis autoritati ſuam præferat uanitatem? Quid hoc eſt prodigij dij boni? ut neſcio quæ cicada, & moleſta culex auribus hominum perſtrepens, in qua nihil præter temeritatem inſaniamq; conſpicitur, M. Tullium Ciceronem, qui ſemper in eloquentia tenuit principatum, à quo ueluti fonte omnes dicendi ornatum & copiam hauſerunt, audeat uelut infantem & inſcium accuſare? Quis hoc æquo animo toleret, abiectum neſcio quem immundumq; ac ſtupidum porcellum in hara ignorantiæ, in temeritatis domicilio enutritum, in principem eloquij uomere amentiam ſuam, quem priſci illi doctiſſimi uiri, maximeq; Quintilianus, ut deum eloquentiæ prædicarunt ac coluerunt? LAVR. Cernis Pogi quantopere me terreat crepitus, ſonitus, ſtrepitus tympani tui, qui omnia uerba tua quaſi iucunda mihi decanto. Eſt enim mihi ſuauis cantus tuus, ut coturnicis aucupi eundem cantū fiſtula imitanti. Quid eſt ò coturnix ſtultiſſima iſtud, quod in Cicerone reprehendo? quid eloquentiæ, quid elegantiæ, quid doctrinæ in illo deſidero? nemo intelligit, nemo diuinare poteſt. An quòd nō debuit mirari Scipio, quod mirabile nō erat? quid hoc ad correctionem facundiæ Tullianæ? de re uideor, non de facultate dicendi, de facto, non de ſcientia loqui: quanquam quæ res aut quod factum abs te ſignificetur, tanquam reprehenſum, nullus animaduertit, quod tu doloſe captaſti. Ideoq; ego aperiam, ut dolus tuus, licet ſtolidus, iudicantibus patefiat. Tradebam tūc quandam elegantiam, quam, etſi ſe ingerit nobis, tamen pauci animaduerterunt, ſuauem & gratam. Quis enim non ſic loquitur? doleo quòd te ægrotum uideo, indignor quòd ſemper audio te rixari. Certe non doleo quòd uideo te ægrotum, ſed, quòd ægrotus es, ut uideo: nec indignor quòd audio te ſemper rixari, ſed, quòd ſemper rixaris, ut audio. Tamen ita loquimur, quia ſubeſt latens quædā in hoc ſermone iucunditas.

Quod.

Doleo quod ægrotus es, ut uideo.

Hoc

Digitized by Google

Hoc præceptum probaui magnorum autorum exemplis, cum aliorum, tum uerò Ciceronis, cuius unum exemplum fuit illud, Sæpe admirari soleo, quòd nunquam tibi senectutem grauem esse senserim, pro eo quod est: Sæpe admirari soleo, quòd nunquam senectus tibi grauis fuit, ut sensi. Nam quòd subiunxi: Quid miraris Scipio te non sensisse, quod sentire non posses, quippe quod nunquam fuit: ideo dixi, ut uenustior ac festiuior foret oratio. Nec dixi, cur sic dixisti Cicero, quasi de ipsius elegantia dubitarem, sed cur Scipio admiraris? ideoq; sequitur, quod tu scelerate subticuisti: Verum ita locutus est Scipio cum Catone, quasi diceret, miror senectutem, ut sentio tibi non esse grauem. Denique nisi frequenter hunc dicendi modum, qui est apud omnes autores, æmulatus sum, cum alibi, tum in Elegantijs, quas ipse perlegisti, non recuso, quin Ciceronem uidear, ut tu ais, tanquam infantem & insciũ accusasse. Quòd si ita frequenter sum locutus, uter nostrum Pogi est monstrum horrendum, informe, ingens? Vtri nostrum mentis lumen ademptum? Nulli est obscurum, quantus nunc mihi ad Pogium insectandum pateat campus, si longius excurrere uelim, sed breuitatis ratio ubiq; habenda est. Tertio in loco sic, POG. Alio in loco cum scripsisset Tullius: Qui autem in uirtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem: Valla noster, præclare hi quidem, rectius dictum fuisse ait. Quid monstri hoc est, dij boni, post mille & quingentos fermè annos, quibus inuiolata Ciceronis fama permansit, esse repertum non hominem, sed portentum, nulla re præterquam impudentia præditum, qui adeò ex nectare Apollineo uel asinino potius degustarit, ut solus post hominum memoriam Ciceronẽ in elocutentia corrigere præsumat? LAV. Et quis non cum tympano prodiret in prælium, si tympanis magis quàm armis uictoria pararetur? Tympanũ mihi pulsare semper Pogius uidetur, ut ho

Miror quod nunquã tibi senectutem grauẽ esse senserim.

Digitized by Google

ut hostem perterreſaciat, non enſem, non iaculum, non fundam deniq; cum lapidibus attuliſſe. Quid agis Pogi tympaniſta? quo telo in me uteris? Sunt ne iſta, quæ poſuiſti mea uerba: Dixi ego rectius fuiſſe dictum? A quo rectius ſic dictum eſt? A Tullio ne? Ergo non reprehẽdo, quem recte & rectius dixiſſe fateor. At inquies, te dicere uoluiſſe, rectius Tullium fuiſſe dicturum, aut id rectius dici potuiſſe. Non igitur iſtud ego ſcripſi, ſed tu me ſcripſiſſe mentitus es. Nam ſi mentiri nolebas, cur non mea ad literam uerba ponebas? ut liqueret iudicibus, reprehenderim ne ego Ciceronem, an imitandũ propoſuerim.

Quidem. Verba autem mea hæc ſunt, Quidem, coniunctio duobus modis accipi ſolet. Vno ad diſtinguendas res, ut ego quidem Romæ ſum, tu uerò Athenis. Altero quaſi per exceptionẽ illius, quod affirmes, ut apud M. Fabium: Torquebis quidem filium, ſed fatebitur mater: adeò ut apud hunc & M. Tullium nunquã ferè iungatur quidem & ille, quin huiuſmodi ſequatur exceptio, ut de officijs lib. III. Ab optimis illis quidẽ uiris, ſed nõ ſatis eruditis. Et de amicitia: Qui autem in uirtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem, ſed hæc ipſa uirtus amicitiam & gignit & continet. Hæc mea hactenus uerba palàm oſtendunt, me talem loquendi modum non reprehendere in Cicerone & Quintiliano, ſed ad imitandum proponere. Quid autẽ ea quæ ſequuntur? dicendum erat præclare hi quidem, prout in prono minibus oſtendimus, potius quàm illi: ſed hoc fecit, ut ille coniungeretur cum quidem. Non eſt Pogi hoc, quod abſit, reprehendere, ſed admonere, ne hoc præceptum alteri ſuperiori uideretur eſſe contrarium. Ideoq; non dixi, dicendũ fuit, hoc eſt: Cicero dicere debuit: ſed dicendum erat, hoc eſt: ſecundũ alterum præceptum dici debebat. Et quamuis illud una ratio uolebat, tamen hoc alia ratio obtinuit. Itaq; doceo hic nõ eſſe nũc

Hic quidem. utendum pronomine hic, quemadmodum alibi, ſed pronomine

Ille

ille: quem in modum non semel ipse in Elegantijs sum locutus, ut tu sycophanta deprehendere potuisti. Ex quo apparet me probare Ciceronem, nec eum modo, sed etiam Quintilianū, de quo, si eum reprehendebam, debuisti facere mentionem. Nemo enim, quos non probat, quos q; aperte uituperat, imitatur, & in eo præsertim opere, ubi uituperat Pogi tympanista, diabole, sycophanta, qui semper eadem inculcas, & eadem chorda, ut inquit Horatius, semper oberras inopia dicendi, cum studes ostendere copiam, qua ego copia tanquam grandine te obruerem, nisi uererer, ne in longum liber extenderetur. Taceo, quod præsumo: non, ut docti, accipis, sed ut uulgus, apud quod præsumptuosus frequenti in usu est uocabulum rusticanum. Quarto in loco sic, POG. Ciceronem nouo quodā modo locutum dixit, cum scripsit: Cum in animo haberem nauigandi, pro eo quod est: nauigare. LAV. Quin subijcis Pogi calumniator cætera mea, quæ sequebantur, uerba? ut, quo id à me animo dicebatur, appareat, quæ hæc sunt. Cicero tamen ad uxorē scribens nouo quodam modo locutus est: Cum in animo haberē nauigandi, pro eo quod est, nauigare, ut lib. 1. de diuinatione: haberet q; in animo nauem conscendere. Itaq; subintelligatur. propositū siue uoluntas: sicut in multis fit apud eundē: cū illius diei mihi uenit in mentē: potestatis quàm æquitatis tuæ. Vbi quidam accipi uolunt genitiuum pro nominatiuo. Mihi potius placet subaudiri, conditio, status, qualitas, illius diei, tuæ potestatis, tuæ æquitatis, aut aliquid simile, ita hic: propositum nauigandi. Est ne hoc Pogi peruersissime accusare Ciceronem, an excusare? nam quod dixi nouo quodam modo locutum, ideo dixi, quòd significare uolui: id me nusquam alibi legisse, & idcirco neminem crebro ita loqui debere. nam ego non ausim sic loqui, ac ne illo quidem modo, qui sæpius reperitur, quod est nō nihil huius generis. Idem Cicero secundo de diuinatione libro inquit

Ille quidem.

Præsumo.

Cum in animo haberem nauigandi.

Cum illius diei uenit in mentē.

Digitized by Google

Dederunt irridendi sui facultatem.

inquit: Dolebis tantum Stoicos nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse. Sui nunc pluralis numeri, & irridendi singularis. Liuius lib. XXI. Non uereor ne quis hoc me uestri adhortandi causa magnifice loqui existimet. Vestri pluralis est numeri, adhortandi singularis. Plautus in Captiuis: Nominandi tibi istorũ erit magis quàm edundi copia. Et trium maximorum autorum exemplo eius rei, quem tamẽ quis neget nouum quendam loquendi modum esse, quanto magis illum, cuius unum omnino, quantum scio, reperitur exemplum? O scelleratum hominem, quot res in Elegantijs meis didicit, nunquam sibi auditas, & tamen eas carpit. Illud autem non solum ad Ciceronem pertinet, sed ad Vergilium quoq;, & alios quosdam, ubi ais: POG. Instar eorum qui neq; uitiorum neque uirtutum ullum, & reliqua. Hic hallucinator solœcismum dicit esse, & similitudinem loco instar subdidit. O impudẽtem cerui cem garrulatoris insani, instar montis equum in Vergilio legimus, quod similitudinem significare & Seruius & Donatus, & cæteri grammatici testantur. Apuleius præterea eo uerbo sæpius pro similitudine utitur, & cæteri, qui Latine scripserunt, sed maxime noster eloquentiæ parens Cicero in secundo ad Herennium ait: saxi instar globosi. Quid aliud nisi similitudinem id uerbum potest significare? At iste proterua illa ac furibũda petulantia hos omnes non recte intellexisse id uerbũ in suis Elegantijs affirmat. LAV. O te Pogi terq; quaterq; scleratũ, o nefandum calumniatorem: quanquam quid stomachor potius quàm cachinnor, cũ paleas in me, non tela, puluerem nõ saxa, fumum non ignem iactes? Primum, quòd uerba tua nõ subijcis, ut iudices queant cognoscere, recte ne sis usus hoc nomine, an non, nisi putas aut non posse peccari in isto nomine utendo, aut omnes à me reprehendi, qui eo utantur. Igitur ego subijciam uerba tua, * ut palàm sit, an recte reprehenderim, nam ego te non

Nominandi istorum.

* Locus est corruptus, quid autem si legatur, ut palam sit, nõ quidẽ an ego te recte reprehẽderim, nã ego &c.

non reprehendi, sed an tu recte hoc nomine sis usus, cũ ita scri
psisti. POG. In his rebus cõparandis, quas ipsi nouimus nul
la laude dignas, instar eorum qui neq; uitiorum neq; uirtutum
ullum discrimen norunt. LAV. Deinde quòd interrogas, quid
aliud significare instar posśit, quasi in Elegantijs ipse nõ dixe- Instar.
rim. Nam si legisti in Elegantijs, quid illud dicam significare,
cur interrogas, quasi nescias? si non legisti, cur reprehendis,
quasi scias? Verum legisti & nosti, quid ego dicam significare
istud nomen, & quomodo probem. Postremo, quòd neq; Cice-
ronem neq; Vergilium reprehẽdo, sed autores affero meæ opi
nionis. Neq; ullius aliorum istorum feci mentionem, nisi unius
Seruij: quæ mea uerba hæc sunt, Instar montis equũ diuina Pal
ladis arte, instar Seruius ait ad similitudinem. Quid similitudi-
nis equo ad montem? quòd si etiam similis esset, non tamen eum
magnum potius quàm paruum, quod Vergilius sensit, intellige
remus. Pauloq; post, Instar potius significat ad æquiparationẽ
uel ad mensuram, ut apud eundem Vergilium: Argolici clypei
aut phœbææ lampadis instar. Cicero, hexametrorũ instar ucr-
sum. Nam illud apud eundẽ, instar mortis, & fulminis instar,
significat æquiparationem doloris in morte, & impetus ex ful
mine: quale est instar saxi globosi, non ad similitudinẽ globosi
tatis, quæ saxo inest: hoc de tua oratione dici nõ potest, ut ex-
ponamus ad æquiparationẽ eorũ, siue ad mensurã eorũ, quod
ego si reprehendissem, non emendassem, ita ut tu impudẽtissimi
orts, non ceruicis, ais me emendasse, sed more eorũ, & alijs nõ
nullis modis. Nam quid aut stultius, quàm credere: instar eorũ:
me sic emendare, similitudinẽ eorum, cũ nec constructio cõstet,
nec ulla certa significatio? aut peruersius, quàm cõqueri tanquã
reprehendaris, cũ nõ reprehẽdaris? aut imperitius, quàm dispu
tare: nihil aliud significare id uerbũ, quàm similitudinẽ, contra
eum qui, ut ais, ipse loco instar posuit similitudinẽ? Et cũ ita sis

stultus

ſtultus, peruerſus, imperitus, rudis, hebes, plũbeus, & pluſquã plumbeus, tamen parentem tuum audes appellare Ciceronem. Nõ tu Ciceronianæ familiæ es Pogi, ſed Ciceronianæ, & quaſi ad te illius pertineat defenſio, ais eum à me uituperari, cuius in Elegantijs hæc uerba legiſti. De exactiſſima uerborum latinitate & elegantia M. Tullio Ciceroni Marcoq; Fabio Quintiliano præcipue obſeruata: duobus luminibus atq; oculis, cum omnis ſapientiæ, tum uerò eloquentiæ latinæ. Pergamus ad reliquos. POG. *Sequitur ueſaniam ſuã Valla in Salluſtium incurſans, qui ſcripſit ſtrenuus quiſq;, ipſe, ut non recte dictum,* SALLVSTIVS. *ſtrenuiſſimus quiſq; emendat.* LAV. *Salluſtium'ne ego Pogi calumniator emendo? Salluſtium incurſo? Salluſtius'ne ita ſcriptum reliquit? Agnoſce, ſi modo non noſti calumniam tuã, & te, non me eſſe ueſanum: non'ne hæc mea ſunt uerba? Ex poſtiuis autẽ illa excipiuntur, quæ carent ſuperlatiuo, qualia ſunt quæ habent, i, uel, u, ante us: pius, ſtrenuus, quæ nonnunquã patiuntur ſuperlatiuum, ideo utranq; rationem ſequuntur: omnis pius, & pius quiſq;. Salluſtius in Iugurthino: Nam ſtrenuus quiſq; aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus diſceſſerat. Vides Pogi ut non emendo, non incurſo Salluſtiũ, ſed autorẽ affero? At enim ſubijcio poſtea: Ipſe mallem dicere ſtrenuiſſimus quiſq;, piiſſimus quiſque, hoc non obſtat, primũ quia ſequitur: quidam tamen Salluſtiniani codices ſcriptum habent ſtrenuiſſimi: ex quo in hoc quoq; ipſum Salluſtium autorem ſequor: deinde, quòd non de uno ſtrenuus, ſed de omnibus huiuſmodi nominibus nunc loquor, quæ ferè in ſuperlatiuo potius quàm in poſitiuo reperiuntur iuncta cũ quiſq;: poſtremo quòd non dixi: quaſi in perſona Salluſtij ipſe maluiſſem, ſed in mea ipſius mallem dicere. Nam quomodo uideri poßum emendare Salluſtium, qui, incertum eſt, an ſic ſcriptum reliquerit, ut me tu ais emendare uoluiſſe? Ego tantum ex uaria ſcriptura, quid*

Omnis ſtrenuus.

Strenuus quiſque.

Strenuiſs. quiſque.

mihi

Digitized by Google

mihi satius uideatur, pronuntio. At cur præponis, inquies, illam scripturam, quæ in paucioribus codicibus est: Præpono, non ut Sallustium emendem, sed ut admoneam sequendũ, quod plurimorum confirmat autoritas: præpono, quia nõ protinus, quod in pluribus codicibus legitur, id & uerius est, ut uel in illo Terẽtiano, quem diximus, loco: ecce alterũ, quem Donatus emendat, ecce alter. & principium T. Liuij: Facturus ne sim opere pretiũ: ita enim ferè in omni editione legitur. At Quintilianus ab ipso T. Liuio scriptum esse testatur: Facturus ne operæ pretiũ sim, idq; principium melius esse, quàm quomodo emẽdatur. Iam tũc enim, quod mirum sit, locus ille emendabatur, imò, quod magis mirere, corrumpebatur. Illud quoq; Ciceronis ex politia Platonis sumptũ, quis nõ corrupte sic legit? Neq; ego, si Seriphius essem, forẽ ignobilis, neq; tu, si Athenienſis esſes, clarus unquã fuisses, οὔτ' ἂν εἰ ἐγὼ Σεριφίος ἦμι, ἔνδοξος ἂν ἐτύγχανον, οὔτ' εἰ σὺ Ἀθηναῖος, ὀνομαστός ποτε ἂν ἐγένου. Quod ita transfertur, Quòd neq; ipse, si Seriphius foret, clarus fuisset: neq; ille, si foret Athenienſis. Ergo apud Ciceronem sic legendum est: Neq; ego si Seriphius essem: neq; tu, si Athenienſis esſes, clarus fuisses: uel, neq; ego si Seriphius essem, forem nobilis: neq; tu si Athenienſis esſes: uel addas illud extremum licet, clarus unquã fuisses. Sed hæc hactenus. Satis ostendi nihil mi-nus quàm Sallustium à me uel incursari, uel emẽdari. Sequar in cæteris, quoad potero, temporis ordinẽ. POG. Varronẽ ac Festum Pompeium exponendo nomen uades uult aberrasse. Quis non dedignetur, cũ legerit Varronis & Sallustij nomen, quorũ tanta doctrina, tanta autoritas fuit, ut eã citius admirari omnes, quàm laudare queant, ab, nescio quo, uesano latratore uiolatũ? Quis nõ odio dignũ putet: hominem tanta uesania repertum, qui cum ne primis quidẽ labijs latinã linguã degustarit, omnes præ se cõtemnat linguæ latinæ scriptores? LAV. Et alijs multis me

Facturus ne operæ pretiũ sim.

Ciceronis locus emendatur.

VARRO. FESTVS.

tis me Pogi conuitijs insectaris: quanto facturus melius, dum modo bonam causam haberes, si crimen aperires, quod minime facis. Quid enim te amentius atq; eneruatius, qui in causa iudiciali nec narras, nec confirmas, nec confutas? An speras tui similes iudices fore, ut, accusatore non probante, reũ capitis cõdemnent? & hoc tibi sufficere? Laurentius ait errasse eos, quorum autoritatem ego Pogius laudo. Laudas tu illorum autoritatem Pogi? at ipse non laudo, nec, quid sit laudare autoritatẽ, intelligo. Non sufficit istud iudicibus ad pronuntiandum, si sufficit tibi ad calumniandũ. Affer loca reprehensionis, profer uerba, hoc cur non facis? nempè non tam, quod inscius es, quàm quòd malignus, & fallendi iudices auidus. nam uerba mea in Elegantijs, ut mox ostendam, Festum Pompeium testem citãt,

VAS. *de Varrone autem ita inquiunt: Vas, inquit Varro appellatus est, qui pro altero uadimonium promittebat. Consuetudo erat cum reus parum esset idoneus incœptis rebus, ut pro se alterũ daret. Videtur Varro significare uadem eundem esse, quem fideiussorem uocamus, & uadimonium fideiussionem. Nos hoc negare ita esse qui possumus? cum Varro omnium consensu sit Romanorum eruditissimus, & linguæ latinæ peritissimus? qui Latinas literas fecit & latiniores, & literatiores? Vides quanta cum ueneratione Varronis mentionem facio? Quid illud, quod sequitur? Verum ego non ausim reprehendere, sed tantũ affirmare non legisse, duntaxat, quantum aut recordor, aut intelligo: uadem eum esse, qui uadimonium pro altero dat, si uadimonium significat fideiussionem, sed eum, qui sponsor est alterius in capitis periculo, siue idem supplicij subiturus, siue pecuniam soluturus. Vides etiam, ut' nego me reprehendere eum, cuius tu nomen ais à me uiolatum? Vides ut exceptione utor, si uadimonium significat fideiussionem? nam si non significat, uerba mea pro nullis sunt. Nec dixi: ait Varro uadẽ significare, sed Varro*

uidetur

Digitized by Google

uidetur significare, uadem eum esse, quē fideiussorem uocamus, & uadimonium fideiussionem. Vides ut nihil affirmo, quem tu uesanissimus latrator affirmas detrahere Varroni atque adeò Festo: cuius post Ciceronis, Liuij, Quintiliani exempla, testimonium affero, inquiens: Quod Festus quoq; sentit dicens: uas sponsorem significat in re capitali. POG. Plinium his adiungit, quem ignorantiæ notet. Ait enim: Illud Plinianū in septimo naturalis historiæ non placet mihi. Salue primus omniū parens patriæ appellate: & appellatus dicendum censet. Ego male scriptum putarem, si ei placeret, qui cloacam pro stomacho gerit. LAV. Quàm pulchre Pogi cum cæcis dimicares? quam belle cum surdis cōtenderes? quàm fortiter cum pueris luctareris? Verum tu mihi cæcus, surdus, puer uideris esse, uoluntatem habens fallendi, non facultatē. Nam cur ais: Ego male scriptum putarem, si ei placeret? Certe quòd hæc in Elegantijs uerba legisti, quæ tamen referre uoluisti. Quare illud Plinianū in septimo naturalis historiæ, nisi menda librarij est, non placet mihi: Salue primus omniū parens patriæ appellate. Sed sic scriptum ab autore suspicari libet: Salue prime omnium parens patriæ appellate. Vel, Salue M. Tulli primus omniū parēs patriæ appellatus. Cur nō Pogi syncere retulisti, quo nā modo uitium grāmatice emendarē? cur tot uerba mea præteristi? cur quæ nō dixi, facis me dicentē? rursus nō facis dicentē, quæ dixi? An hoc parū, quo utor, temperaměti est: nisi měda librarij est? an parū modestiæ id addit: sed sic scriptū ab autore suspicari libet: cum præsertim, quod tu nō ignoras, uix ulli sint codices corruptiores, quàm Pliniani? Nō dicā hoc loco (quod nō est institutæ de calūnia disputationis) fieri posse, ut Plinius utiq; in tam opere grādi lapsus sit, ut inquit Horatius: Nāq; opere in lōgo fas est obrepere somnū. Et sæpe bonus dormitat Homerus. Cū etiam Cicero, ut de alijs plurimis autoribus taceā, insignē admiserit

PLINIVS.

Salue primus omnium parens patriæ appellate.

Digitized by Google

Solœcismus Ciceronis.

Solœcismum in oratione de accusatore constituendo, ut Pedianus notat: Si quis iudices fortè miratur me ad accusandũ descẽderim. Hæc dicerem longius, si (ut dixi) essent institutæ disputationis. Nunc tantũ hoc dixisse contentus sum aduersus calumniam tuam: te debuisse cogitare, nonnunquam talia quædam magnis quoq; autoribus accidere, neq; pro magno flagitio putare, & ingentis criminis loco ponere mihi, quòd hoc dixerim, si, quod nõ feci, dixissem. POG. Ponã aliquos locos, in quibus sua uesania castrametata est aduersus eos uiros, quos antea nominaui. In uerbo senior, quod Seruius, Varro, Plinius ut ipse ait: asserunt comparatiuum esse per diminutionem, Valla latini eloquij alumnus contrà sentit, ac alios asserit nõ recte eius uerbi uim intellexisse. O duram sortem temporum, quibus ignorãtia in pretio habetur. O infelices, ut ita dicã, tot uiros doctissimos, quorum memoria cum mille amplius annis summa in ueneratione omnium gẽtium fuerit, cum nobis ad omne doctrinæ genus aditum patefecerint, post tot secula in rabulam quendã detractatorem temerariũ inciderint, qui nunc tandem asserat, se illorum errata patefecisse: quanquam non illorum errores, qui nulli sunt, sed suã dementiã, quæ est maxima, palàm fecit. LAV. Assero ne Varronem & Plinium istius uerbi uim non recte intellexisse? Assero me eorum errata patefecisse? Aio istos asserere senior comparatiuum esse per diminutionem? Et quomodo istud fieri potest, ut ego asseram, & illos asserentes faciam, qui libros eorum ista tradentes non legerim, iampridem culpa temporum amissos? Et tamen ipsa mea in Elegantijs uerba negant me aliquid asserere, cũ dixi: Si uerò hoc Varro & Plinius ait: aperte significans me non satis habere fidei Seruio referenti, quem, assere uerberari dignus, Varronem & Plinio comparas: quasi tantum audaciæ sit, Seruium grammaticum, quantũ illos reprehendere, cuius plurima errata nunc in mediũ proferrem,

Senior. SERVIVS.

non

non dico, quæ ego præter alios notaui, sed quæ literatores ipsi notauerunt, uel in historijs, uel exponendis uocabulis, uel in alijs multis, nisi nollem esse longior, præsertim in detrahendo, & ea scholis omnibus uulgata essent. Et tu ais nullos illius errores esse, de quo Beneuenutus *quidam memoria patrum, qui multum operam in commentandis autoribus posuit, non ille quidem exultus & elegans, sed sedulus atq; studiosus, non dubitarit dicere: Ille bestialiß. Seruius: profecto de te* Pogi, *qui negas illum unquam errasse, dicturus: hic bestialißimus* Pogius, *hoc est, dementißimus. Tuam igitur dementiam* Pogi *sic loquẽdo palàm facis, qui Seruium me & hic & alibi reprehendente nõ protegis, nisi conuicijs & abs te, & in te dici dignis, quem certe* Beneuenutus *ipse castigare posset, utentem uerbis sine supposito, & extra legitimum uerbi modum, ueluti inciderint, & sua uesania, pro, eius, quod* Priscianus *uetat, cum non sit nunc reciprocum, & fortaßis, quòd pro, quosdam locos, dixeris, aliquos locos.* POG. *Quintilianum suum, quem omnibus ingenijs sine controuersia, & ipso* Varrone *doctiorem affirmat, neq; eximit à contumelia cæterorum, neq; paßus est esse dicacitatis expertem, qui scripserit: adeò, ut paulominus promptis etiam noceat scripsisse.* LAV. *Si causa probanda esset rationibus, signis, coniecturis, rumore, posset de ueritate, de iure dubitari: nunc tota constat signatis tabulis, atq; chirographis, hoc est, scriptura mearum* Elegantiarum, *quam tamen* Pogius *conatur corrumpere etiam, ò scelus inauditum, cum minime possit: qui si trapezita atq; argentarius foret, profecto fidem quotidie frangeret, omnium credita abiuraret, manumq; tum suam negaret, tum alienam falsaret: quanquam in sua trapeza hoc etiam fecit, ut aunt: Intelligunt, qui eũ norunt, quid significem, quàm capitale crimen attingã. Quod idcirco non aperio, quòd mihi constitutũ est crimina eius nũc nõ promere, ne aut omnia*

Sua pro eius. Aliquis pro quidam. QVINTILIANVS.

Digitized by Google

recenſendo nullum dicendi faciam finem, aut pauca attingẽdo, non plura, quæ obijciam, à multis habere exiſtimet. Nam de Carthagine, ut inquit Salluſtius, ſatius eſt tacere, quàm parum dicere. Quis enim dubitare poßit, poſt homines natos improbiorem Pogio extitiſſe hominem? qui hæc dicat, cum ita in Elegantijs meis legerit. Adeò exponunt pro ualde, ut Terentius: Iuuenem adeò nobilem. Significat etiam intantũ, nonnunquã ſequente ut, nonnunquam non ſequente, ut apud Quintilianum: Cuncta ſi uidetur iura percurrite: nuſquã pro nobis adeò ſolicita lex eſt, ut quod præſtat, extorqueat: dedit cæco talionis actionẽ, nõ manus recuſantis impellit, iniuriã cædis agere permiſit, ſed nõ cogit inuitos, adeò penè leuius eſt ultionẽ perire, quàm poteſtatem. Hic eadẽ ſententia fuerit, ſi dixero: adeò, ut penè leuius ſit ultionẽ perire, quàm poteſtatẽ. Nã ſæpe hoc modo legimus: adeò: poſitum cũ uno uerbo, nõ cũ duobus: quale fuerat exemplum ſuperius, ut apud eundẽ. At cum protinus reſpondendũ eſt, omnia parari non poßunt, adeò, ut paulominus promptis etiam noceat ſcripſiſſe, ſi alia ex diuerſo, quàm opinati fuerant, occurrerint. Licuißet etiam ſic dicere: adeò paulominus promptis etiam nocet ſcripſiſſe. Quid ego reprehendo in Quintiliano Pogi uenefice? quanquam ita ſtolidus es, ut ex uerbis tuis, quid reprehendas: non conſtet, ſed quid me reprehendiſſe ſignificas? an, quòd interponendum ſit, ut? at id exemplo eiuſdem probo: an quòd non ſit interponendum? at ipſe nõ nunquam non interponi poſſe eiuſdem exemplo confiteor. Præterea cum dicas hunc locum à me reprehendi, cur non & ſuperiorem, qui ſimilis eſt, reprehendi dicis? Sed quid plura? quaſi credibile ſit me adduci poſſe, ut Quintiliano, cui, ut ais, tantũ tribuo, aliquid detractum uelim. De quo meo iudicio nõ eſt huius loci diſputare. Vbi enim dicor uituperaſſe autores, de his mihi reddenda ratio eſt, nõ ubi laudaſſe. Neq; ſi hũc tantopere

Adeo.

laudaui

laudaui, fit, ut laudes Ciceronis eleuauerim, imminuerim ue. De quo Quintilianus cum alia multa, tum uerò illud: Ille, inquit, se profeciſſe ſciat, cui Cicero ualde placebit. Ex quo palàm eſt, me quidem, cui ſi Quintilianus placet, nimirũ & Cicero ualde placet, profeciſſe, tibi uerò qui nihil profeciſti, neq; Quintilianum placere, neq; Ciceronem. De quibus duobus ita ſentio, ne alia attingam, quæ ad utriuſque laudes pertinent: neminem poſſe neq; Quintilianum intelligere, niſi Ciceronem optime teneat, nec Ciceronẽ probe ſequi, niſi Quintiliano pareat, neq; unquã fuiſſe quempiam eloquentem poſt Quintilianum, nec eſſe poſſe, niſi qui ſe totum arti eius formandum imitationiq; tradiderit. Et qui talis non eſt, huic ego me, quantuſcunq; is fuerit in dicendo, longe antepono. Vides quantum Quintiliano tribuo? Non igitur eum reprehendo ſcelerate ſycophanta, ſed te, qui ais me non eximere illum à contumelia cæterorum, quaſi is in contumelia antea fuerit. Non enim quis dicitur eximi à periculo, ab egeſtate, à malo, niſi in quo poſitus erat. Nũc Quintilianus non acceperat contumeliam, à qua tu uis eum per me eximi debuiſſe, ergo eximit dixiſti pro excipit, non Tulliane, ſed Pogiane. POG. Macrobium male poſuiſſe ait ſcribentem, Quarum altera pendet ex altera: aliam ex alia ſcribendũ fuiſſe ait. Sed in hoc ſuperius ſua dementia Ciceronis teſtimonio compreſſa eſt. LAV. Iſtud ego ſi feciſſem ut tu mentiris Pogi, feciſſem uel ipſo autore Macrobio, qui in proœmio de ſaturnalibus ait, Ne, ſicubi nos ſub alio ortos cœlo linguæ latinæ uena non adiuuet, in meo ſermone natiua Romani oris elegantia deſideretur. Mentiris autem: quia poſt aliquot exempla, quorum unum fuit Plinij lib. 11. loquẽtis de formicis, quæ ex diuerſo conuehunt altera alterius ignara: intuli, quare dicamus ſic aliquando loqui permiſſum. Ergo Macrobium potius defendi: defendi inquam aduerſus Diomedem, Donatum, Seruium,

Iudiciũ de Ciceronе & Fabio.

Eximere pro excipere.

MACROBIVS.

Alter nõ ſemper de duobus.

Digitized by Google

Priscianum, aliosq; permultos, qui aiunt alter dici de duobus, alius de pluribus: non ut illos improbarem (nam ferè ita usurpantur hæc nomina) sed ut admonerẽ, aliquando aliter his usos autores. Tu potius homo indoctißime tot scriptores improbas, qui nihil inter hæc duo nomina uis differre. O' ingenium obtusum, retusum, atq; pertusum: exempla quæ affers, num sentis contra te esse? inquiens, POG. Culpet hic asellus insolens Ciceronem, qui in secundo ad Herennium: alteri non erant, inquit, alteros non habebat. item in epistola ad Rufum, alterũ timori adscribam, alterum negare te mihi non potuisse arbitrabor. item ad Torquatum: alteri dimicant, alteri uictorem timẽt: cæteros præterea culpet nobiles scriptores, qui eisdẽ utuntur uerbis. Nam scripturam sacram aperte contemnit, & eius traductores sæpißime culpat, tanquam male & non latine locutos. Alter alterius onera portate, inquit ueritas, quæ si uerba contemnit, maximo scelere se astringit: nimirum hoc est, quod in suis Elegantijs tanto insudauit tempore, ut omniũ, qui eßent, stultißimum se esse profiteretur. LAV. Non sentis Pogi pugione pungende? nõ sentis exempla ista Tulliana de duobus dici, non de pluribus? de duobus enim usitatius, &, ut grammatici illi testantur, melius dicitur, alter alterũ uerberat: de pluribus, alius alium uerberat. Nec interest, quo numero loquamur, singulari an plurali, dum sint duæ partes. Nam si tui serui cum meis ueniant ad manus, non recte dicam, alij alios, sed alteri alteros uerberant: quod secus fit in uerbis tuis, alter alterum trudit, ubi cum de pluribus fiat mentio: alius alium trudit fuerat usitatius: sed tamen sic quoque dici potuit. Sed quinam sunt isti nobiles scriptores, qui isto modo loquantur? certe nullos habes, ideoq; ad aram, quod ultimum est miserorum subsidium, confugis, affersq; testimonium sacræ scripturæ. Ista tibi Christianæ religionis ara subsidio esse nõ potest, qui deos inuocare

Alter alterum. Alius alium uerberat.

care soles: ò dij boni, ò dij immortales, me hercule, & alia huiusmodi, qui adeò inimicus est Christianæ religionis, quæ uera religio est, & cuius autor CHRISTVS ueritas est, adeoq; amicus falsitatis, ut etiã appellando ueritatẽ falsum dicas. Non enim ueritatis, hoc est, CHRISTI sunt ista uerba, sed apostoli: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ CHRISTI, si modo dicenda sunt hæc uerba apostoli, & non potius interpretis nescio cuius, de cuius doctrina non est huius loci disputare, tantum dixerim: hunc esse Græcum loquendi modũ, alter pro alius poni: quod te, qui Græcissare soles, nescire, deforme est, & ad istam disputationis aram confugere. Videor ne tibi nunc demens, & stultissimus Pogi? Videor ne asellus insolens Pollio Asini? Dicam uicissim, quid tu uidearis mihi, qui ais me sacram scripturam aperte contemnere, & mox de hoc ipso dubitas, inquiens, Si scripturæ sacræ uerba contemnam, nec, ut tu facis, mentiar, uideris tu mihi Pogi, non dicam asinus, & si nonnihil uideris, ne sim tantopere in te contumeliosus, sed elephas, cum propter alia, tum ucrò propter hæc, quòd horrendo barritu, quòd immanibus dentibus ueluti cornibus, quòd ingenti proboscide præditus est, quòd, ut ipse ater est, ita conspecto atro & simili sanguinis uino, ad effundendum hostis sanguinem præceps fertur, sed idem, cũ obsistentes reperit, ac uulneratur, dato tergo in suos ruit, & maiorem per illos dat stragem, quàm per hostes dedisset, Huic tu Pogi es assimilis in hac nostra pugna, qui elephãtino stridore, elephantinis dentibus, & lingua quasi proboscide, nec cõspecto, sed hausto ebrie tãtum uino nigro, nec pelle, sed anima atra in me præceps irruisti, idem nunc à me multis cõcisus uulneribus, dato tergo, magnam per tuas copias stragem edis: me insequente, & assidue quasi subter caudam (ibi enim elephas, cui tu es assimilis, putatur esse mollissimus) feriente, nec cessaturo, dum corruas.

Iurisconsulti. POG. Idem Iurisconsultos omnes, & legum scriptores codẽ loco habet, quo & reliquos, Pomponium. Caium, Vlpianum, nescisse ait eos, tum alia permulta, tum quid munus differat à dono. LAV. Plura, si plura haberes Pogi, diceres de iniuria Iurisconsultis à me illata, & his, quos tu legum scriptores appellas, cum isti neq; scriptores fuerint legum, nec solum leges, sed omne ius sint interpretati: quæ quid differant, tu prorsus ignoras, quorum Vlpianus ait: donum esse genus, munus speciem. Marcellus ecõtrario, munus esse genus, donum speciem. Tu quid hic faceres, quæso Pogi iuris humani diuiniq; consultissime? quid responderes, si quis te consuleret? certe aut peius, aut ita responderes, ut alterum probares, alterum improbares. Ego, ut neutrum contra alterum defenderem, mediam uiam tenui. De quibus iurisconsultis nonnihil posterius dicam.

Donum. Munus.

HIERONYMVS. Reliquum iam est, ut de Hieronymi accusatione dicamus, ais enim. POG. Scripturam sanctam hic homo prophanus adeò contemnit, ut plura in ea non recte scripta asseueret. LAV. Merito ais me Pogi, contemnere scripturam sacram, qui eam ipse tantopere uerearis, cum Herculem, cum Iouem, cum deos omnes testeris. Sed quid est per deos bonos, ut tecum tuis uerbis agam, scriptura sacra? omnis'ne ueteris nouiq; testamẽti interpretatio? at ista multiplex est & uaria, atq; hæc illi magnopere repugnans. An ignoras ex Hebræo in Græcum primam translationem fuisse septuagintaduorum interpretum? secundã Aquilæ, tertiam Theodotionis, ac deinceps peruentum usq; ad sextam, atq; ita apud Græcos Latinosq; fuisse incerta omnia? Vbi quid dicas tu esse sacram scripturam? certe nullam, nisi ueram interpretationem. At hæc quæ sit, incertum est, utiq; in testamento nouo, cuius multi fuere interpretes, ut ex ueteribus scriptoribus licet cognoscere. At inquies: Hieronymus uirunq; testamentum postea transtulit. Vtinam quidem utrunq; synce-

rum

Digitized by Google

rum haberemus, etsi non eum omnes Ecclesiæ receperunt. Sed cur in multis eum non frequentamus, ueluti in psalmis secundum Hebraicam ueritatem? quanquam nouum ipse non transtulit, sed aliquoties repurgauit, non tam in uerbis, quàm in sententijs, quod rursus, ut opinor, si reuiuisceret, in quibusdam deprauatum uitiatumq; corrigeret, quemadmodum in opere meo de collatione noui testamenti, quod tu opus inuidiam uocas, ostendo. Itaq;, ne multus sim, si quid emendo, non scripturam sacram emendo, sed illius interpretationem: neq; in eam contumelioſius ſum, ſed pius potius: nec aliud facio, nisi quod melius, quàm prior interpres transfero. Vt mea translatio sit, si uera fuerit, appellanda sancta scriptura, non illius, etsi proprie scriptura sancta sit ea, quam sancti ipsi uel Hebraice uel Græce scripserũt, nam Latinum nihil tale est. Quare stulte, ut semper obijcis mihi Hieronymum, inquiens, POG. Notaui pauca è multis, in quibus beatum Hieronymum, ut malum interpretẽ, culpat. Non ueni soluere legem, sed adimplere: ad soluendum legem dicendum fuisse ait. Putatis quia ueni soluere legem, non quia, sed quod ponendum dixit. LAV. Tuum est Pogi docere hanc esse Hieronymi interpretationẽ, & cuius illa sit, quam Augustinus, quam Ambrosius, quam Hilarius, quã Cyprianus, quam ueteres alij sequuntur. Ego me fateor, ut in Elegantijs dixi, potius translaturum fuisse: putatis quòd uenerim, siue potius me uenisse ad legem soluendã, siue, ut soluam? non ueni ad soluendam, sed ad implendam, siue, non ueni ut soluam, sed ut impleam. Et hoc opinor futurũ fuisse latinius, & proinde apertius, nec minus uerũ. Sicut in illo quoq;, quod tu etiam crimini das. POG. Ascẽdit in arborẽ Sycomorũ, quia inde IESVS transiturus erat, pro uerbo inde, illac posuit. LAV. Non posui, sed ponendum fuisse puto, atq; ita transferendum. Tu uerò Pogi Græcæ Latinæq; grammaticæ columen, si positum esset, illac

Non ueni soluere legem.

illac, putares ponendum fuisse inde? Minime minime, inquies,
Illac trāsiturus. Inde. Ergo tu quoq; confiteris ponēdum fuisse illac, id est, per illam uiam, non inde, id est, ab illo loco. Nam in alijs apertior mēda est, quam tamen tu sycomoris pasci dignus, defendis. POG. Si ibi fuerit filius pacis requieſcet ſuper eum pax ueſtra, ſin aūt,
Sinautem. ad uos reuertetur. Et alibi: ſi quidem fecerit fructum, ſin autē, ſuccides illam, quod uitioſe dictum fuisse ait. LAV. Non ne tu Pogi ais debere nos ſequi ſanctā ſcripturam? ea porrò ipſa non ne conſiſtit in ipſis ueris Euangeliſtæ uerbis? Atqui ille
εἰ δὲ μή. Sin minus. loquitur per negationem, εἰ δὲ μή, hanc negationē in Latino nequaquam reperio, ſed, ſin autē, quod non eſt negatiūm. Hunc tu in modum Hieronymum exiſtimas tranſtuliſſe? Hoc ego ſi mutare uellem, aut ſi aliter transferrem, clamares me corrumpere ſcripturā ſanctam, & non potius corruptā emendare cōfitereris: quanq; ſententia, etſi peccatur uerbo, aperta eſt. Ego autem in opere illo nō de ſentētia Euangeliorūm aiebam, ſed de elegantia linguæ Latinæ. Inelegans itaq; dicebam eſſe, pro ſin
In conuertendo dominus. minus, dicere ſin autem, nam illa teſtamenti ueteris ſunt, quæ tu cum illis, quæ erant noui, miſcuiſti, inquiens, POG. In conuertendo dominus captiuitatem Sion. Inauditam locutionē ait, & non Latinam. LAV. Ego me nego talem locutionē audiſſe, tu qui te ais, profer uel unum exemplum. POG. Sæpe ex-
Expugnauerūt pro oppugnauerunt. pugnauerunt me à iuuentute mea. Hieronymū arguit, & oppu
Poſuit pro ſubſtituit. gnauerūt poſuit. LAV. Poſuit pro ſubſtituit inquis. Vbi ego poſui aut ſubſtitui oppugnauerunt? Nūquid iſthic ego Hieronymi feci mentionē ſceleroſe Pogi? nūquid nō etiā dixi in quibuſdam codicibus legi oppugnauerunt, quod eſt melius, cū ſequatur: etenim nō potuerunt. Nam qui oppugnāt & nō expu-
Accola. Incola. gnant, ij nō potuiſſe dicēdi ſunt. Cui ſimile eſt illud: accola fuit in terra Cham: cū legatur in nōnullis exemplaribus, et melius:
Septena. incola fuit. Ita forſitan de ſeptena pro ſeptem, & quinquageni

pro

pro quinquaginta, siquidem rem ego notaui, nõ certũ hominẽ. Quinquagenis
Nam ubi ais. POG. Vt super Ionam fabulæ, hic homo religiosus scripta super Ionam, fabulam, nõ historiã putat. LAV. Ego non dixi Pogi sycophanta fabulam esse, scripta super Ionam, sed Hieronymũ, dum super Ionam scribit, facere mẽtionẽ fabulæ de Andromeda & Perseo. Tu uerò, ut mihi cõflares inuidiã, dixisti me scripta super Ionã, fabulã, nõ historiã putare. Ergo tu Pogi homo religiosissime, scripta super Prophetas, aut sup Euangelia, cæteras q; sanctas scripturas, historias putas? et tot commentaria, ut aiunt, siue commenta uel Latina uel Græca Ambrosij, Hilarij, Augustini, Gregorij, Basilij, Chrysostomi, ac reliquorũ, historias appellabis? Vides, ut aut fatue, aut calũniose loqueris? Quanquam possem meo iure tibi nõ respõdere, ubicunq; de linguæ Latinæ elegantia agitur, in qua isti, quos modo nominaui, non tantam habent, quantam in scientia diuinarum rerum autoritatem, nec tam romane loquitur Augustinus, quàm Cicero, nec tam Hilarius, quàm Quintilianus, quem Hieronymus ait Hilarium fuisse sectatũ. Quare nec de Ioue quidem statore & Gallis Cybeles tibi respondeo, nisi forte ad religionem & sacram scripturã pertinere sentis, ne quid ego detraham Ioui aut matri eius, cum fanaticis gallis suis. Ad te ista pertinẽt Pogi, qui deos inuocare soles, & fanaticus es, & gallus, sed nõ, ut illi, castratus. Verũ illud quod ad extremũ mihi reseruaui, ais ne esse Hieronymi? certe ais, quod mihi criminis loco ponis, inquiens. POG. Sermonem quem audistis, non est meus. Maluit interpres, inquit, Latine quàm grãmatice loqui, ò durum caput, ò ceruicem ferream, ò ingenium eruginosum, ò stupidum cerebellũ, cõtra Hieronymum ne Vallæ præsumptio hiscere audet, uirum doctissimum, sanctissimum, omnibus seculis ab omnibus gentibus cõprobatũ? LAV. Dixi ego interpres? sed esto dixerim: Hieronymus maluit Latine quàm grammatice loqui.

Digitized by Google

loqui. In uituperationem ne eius id dictum est, an in laudem? An non præclarius est Latine quàm grãmatice loqui, & quasi præstantius atq; nobilius quiddam, quippe quod inter uirtutes Rhetoricæ numeratur, non Grammatice? O Pogi temulẽte ac literatorum sterquilinium, & tuis conuicijs, quæ iactas, dignissime, non ne ista sunt Quintiliani lib. 1. idem, quod ego modo dixi, sentientis, cum inquit: Quare mihi non inuenuste dici uidetur, aliud esse Latine, aliud grãmatice loqui. Agnosce agnosce modestiam meam: quis ignorat illam orationem magis esse poëticam quàm oratoriam, & similem illi: Vrbem quã statuo, uestra est: quæ nec Græco respondet, ubi dicitur sermo, nõ sermonẽ? Et tamen ego indulgẽtior, quàm ueritas postulabat, non modo non improbaui id, uerũ etiam laudaui, de qua re feci mẽtionem nõ in opusculo, ut tu ais, sed in pluribus libris de collatione noui testamenti, quod tamen tu opus his uerbis carpis.

Aliud est Latine, aliud grammatice loqui.

POG. Opusculũ præterea edidit, in quo uirũ sanctissimum, doctissimumq; reprehẽdit multis in locis sacræ scripturæ, tanquã ab eo male interpretatis. LAV. Aut ædidit accipis pro condidit, quod barbarum est, aut planè mentiris, cum nõdum illud publicauerim, nec tu unquam inspexeris, in quo tamen ais à me reprehendi Hieronymum: in cuius proœmio hæc uerba sunt, cum retulissem Hieronymi uerba dicentis, seculo suo tot exemplaria noui testamenti fuisse, quot codices: Verum si post quadringentos omnino annos ita turbidus à fonte fluebat riuus, qd mirũ, si post mille annos (tot enim ferè ab Hieronymo ad hoc æuum sunt) hic riuus nunquã repurgatus aliqua in parte limũ sordesq; contraxit? Cernis Pogi Polypheme, cui mentis lumen ademptum est, me illud opus condidisse, non ut Hieronymum, quod procul absit, reprehenderem, sed ut meo seculo posteritatiq; prodessem, prout certe, quantum spero, prodero. Sed hæc satis superq; satis sunt ad confutandam primam calumniam

Ædere pro condere barbarum.

tuam

Digitized by Google

tuam, qua me insectabaris, tanquam reprehensorem Terentij, Ciceronis, Sallustij, Varronis, Festi, Plinij, Quintiliani, Macrobij, Iurisconsultorum, Hieronymi. Nam de his, quorum nihil à me reprehensum specialiter retulisti, non attinet respondere, neq; nunc, neq; in posterioribus, ubi quosdam à me iure fuisse reprehensos ostẽdam. Eorum si quid certi retulisses, tuam uel calumniam, uel imperitiam conuincerem. Transeam ad alterum huic diuersum calumniæ genus. Nam sicut alijs detraxisse me mentitus es, ita mihi plurimum arrogasse, inquiens. POG. Dicit insuper se imitaturum esse Camillum, ut sicut ille urbem à Gallis captam restituit, ita ipse literas latinas exules, profugas, atq; aberrantes urbi restituat. O caput insulsum, ò cymbalum resonans sine sensu, comprimat os insanũ, & istam suã fanaticam iactantiam conterat, persimilis est Valla noster homini ridiculo, qui cũ aliquando se ex quadam turri uolaturũ certo die profiteretur, & populus ad id spectaculum cõuenisset, homines suspensos uarijs alarum ostẽtationibus usq; ad noctem detinuit, deinde omnibus uolatum cupide expectantibus, populo oculũ ostẽdit. Ita Laurentius noster post multas atq; ingentes uerborũ pollicitationes, post tantam expectationẽ promißorũ, tandem nõ quidẽ oculum, ut ille, sed uolantis cerebri insaniam, uertiginem, & pergrandem ignorantiæ supellectilem ostendit. LAV. En qui obijciat alteri uel cerebri uolantis insaniam, uel imprudentiam. An nõ deliri, desipientis, insani, atq; insanabilis senis ista sunt uerba? Parum abest à re uerborum obscœnitas. Nec qui sic loquitur, multum sanè ab illo Pogiano Dædalo differt. Quis omniũ qui curiam apostolicam sequũtur, tam literarum ignarus, tam humilis, tam abiectus est, qui Senatui Populoq; Romano hæc, nedum Latino orbi, ut Pogius sperat, legenda proponeret, quæ scripsißet? Quæ ego quasi uelanda mihi una præposita litera putaui, ucritus, pferre, qd Pogius scribere gloriatur

Quod sibi plurimũ arrogauit.

Digitized by Google

gloriatur. Tu uerò Pogi, quod ita loquaris, haud equidē miror, qui illam corporis partē ſicut nunc uerbis, ita manibus, ut aiūt, uulgo denudare conſueſti. Quæ impudentia quàm haud in me ulla ex parte cadat: & quantopere de mea iactantia mētiaris, ipſa uerba elegantiarum teſtimonio erunt. Quouſq; tandem Quirites (literatos appello, & Romanæ linguæ cultores, qui & uere & ſoli quirites ſunt, cæteri enim potius inquilini) quouſq; inquam Quirites urbem ueſtram, nō dico domicilium imperij, ſed parētem literarum à Gallis captam eſſe patieminī? id eſt, latinitatem à barbaris oppreſſam? quouſq; diruta ac prophanata omnia duris ac penè impijs aſpicietis oculis? An dum fundamentorum reliquiæ uix appareant? Alius ueſtrum ſcribit hiſtorias, iſtud eſt Veios habitare. Alius Græca transfert, iſtud eſt Ardeæ conſidere. Alius orationes, alius poëmata componit, iſtud eſt Capitolium arcemq; defendere. Præclara quidem res, & non mediocri laude digna, ſed non hoc hoſtes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis Camillus imitandus eſt, qui ſigna, ut inquit Vergilius, in patriam referat, eamq; reſtituat. Cuius uirtus adeò cæteris præſtantior fuit, ut ij, qui uel in Capitolio, uel Ardeæ, uel Veijs erant, ſine hoc ſalui eſſe non poſſent, quod hoc quoq; tempore continget, & cæteri ſcriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid compoſuerit, non parum adiuuabuntur. Equidem, quod ad me attinet, hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo, quantulumcunq; uires meæ ferent, exercitum, quem in hoſtes quamprimum educam, ibo in aciem, ibo primus, ut uobis animum addam. Certemus quæſo hoc honeſtiſſimum pulcherrimumq; certamen, nō modo ut patriam ab hoſtibus recipiamus, uerum etiam, ut in ea recipienda, quis maxime Camillum imitabitur, appareat. Difficillimum quidem præſtare, quod ille præſtitit, omnium imperatorum mea ſententia maximus, ritéq; ſecundus à Romulo con

lo conditor urbis appellatus. Ideoq; plures pro se quisque in hanc rem elaboremus, ut saltem multi faciamus, quod unus effecit. Is tamen iure uereq; Camillus dici existimariq; debebit, qui optimam in hac re operam nauauerit. Quid ego in omnibus his uerbis Pogi cum iactantia dixi? quid non cum literatis omnibus cõmunicaui? Is autem se iactare existimatur, qui alijs se, id quod ego non facio, præponit. Nã quod dico Camillum nobis esse imitandum, id uerò honestißimum est, ut optima quæq; nobis ad imitandum proponamus. Nisi satius est nunc iuuentuti Pogium quàm Ciceronem, Quintilianum, Demosthenem pro exemplo oratoris imitari, Pogium, inquam, tam polite, tam enucleate loquentem, qui, ne alia persequar, inquit, POG. Deinde omnibus uolatum cupide expectantibus, populo oculum ostendit. LAV. Quasi alij essent cupide expectantes, & alius populus, & non ijdem, ut superuacuum fuerit addere populo. sicut iterũ, POG. Et populus ad id spectaculum conuenisset, homines suspensos detinuit. LAV. Cum dicere deberet: eum suspensum. Hæccine mea uerba (uos appello iudices, omnes autem, qui hæc legitis, iudices estis) merentur hanc contumeliam, ut aduersus me Pogius exclamet: ò caput insulsum, ò cymbalum resonans sine sensu, comprimat os insanum, & istam suam fanaticam iactantiam conterat? Non opinor uos ita sentire, sed potius ipsum ob id Pogium mereri, ut à uobis audiat: comprime istud os insane Pogi, caput infandum, & tuam istam fanaticam maledicentiam compesce, & resonare sine sensu & tympanizare desine. Vtinam potius, quod falsò Laurentio obijcis, te iactares, quàm alijs per calumniam malediceres, quàm os tuum obscœnis uerbis pollueres, quàm nostras etiam aures cõtaminares. cum necessarium quoq; est exponi turpia, non facile patimur obscœnitatem uerborum, nedum, quando nulla neceßitas, nulla ratio, nulla causa subest, ut modo in uerbis tuis. Enimuero si uis, si facultas

Omnibus expectantibus populo ostendit.

Cum populus conuenisset, homines suspensos tenuit.

nobis adesset, grauiter te ob istam tuam loquendi licentiam mul
* als. qui ista secum cogitãt, & te si possent &c. ctaremus. An non putas Pogi nonnullos esse lectores,* qui, ista cum legunt, te, si possent, grauiter mulctarent? Verum de impudentia tua nihil ad me, sed de calũnia: cũ de me ipso iactanter locutum esse mentiris. nec minus maligne, cũ inquis, POG. Eorum autem, qui nostra ætate fuere, præclarissimos uiros esse dicebat, Leonardum Aretinum, Guarinum Veronensem, se tertium Italiæ lumen, cum tamen primum locum mereretur, nisi illis paulum humanitatis gratia cõcedere uellet. Sed quid mirum, si duobus illis se præferat, cum se ipsum maioris doctrinæ, quàm M. Varro fuerit, palàm prædicet, seq; nulla in facultate illi cedere, quem Cicero & beatus Augustinus omnibus latinis præferunt sapientia & doctrina? Venit mihi in mentẽ Cardinalis olim Tudertini, natione Romani, qui cum post obitum Innocentij Papæ quinti coram eo quereretur: quis ad pontificij gradum assumeretur, respõdit. LAV. Et fabulam ineptam tuo more exequeris, & alio in loco, POG. Cum se asserat, tanta est insania, solum huius sæculi doctorem. LAV. Nihil inuenis in * scriptu-
* Forte, Scriptis, legendum. ris meis arroganter dictum, nihil ambitiosum, nihil insolens. Idcirco ad figmenta & ad tua mendaciorum arma confugis, in quem illud prouerbium cadit: mendacem memorem esse oportere. Num es memor te in ultima epistola libri quarti ad Quirinũ scripsisse his uerbis? POG. Ait quidam huius uiri affinis multis astantibus, quatuor esse in Italia solos latinæ linguæ principes, primum Leonardum Aretinum posuit, secundo loco te designauit, tertia in acie hunc nostrũ collocauit, quartum attribuit nescio cui Longobardo. LAV. An potius huius epistolæ recordaris Pogi, & sciens tibiipsi contraria nunc loqueris, quasi nunquam coarguendus? At quàm facile est mendacem, utique tardum & hebetẽ, coarguere. Ais me dicere, primas partes mereri me, nisi illis paulum uellem cõcedere humanitatis gratia: quasi ideò

non

Digitized by Google

non mereatur quis primum locum, quia paulum alijs concedit humanitatis gratia. O stultißimum hominem, nõ dico, quòd si quis concedit alteri paulum, non tamen primum locum concedit, sed quoduis causa humanitatis facere, ut qui alioqui primas partes tenere merebatur, is iam non mereatur, & ob hanc uirtutem minori præmio dignus sit. Mentiris itaque me ista uerba dixisse, quorum neque testem habes, nec locum, nec tempus, nec cætera exponis, nec intelligis mihi quoque facultatem esse de te multa fingendi. Sed quia plura de stultitia tua, qui ais me nunc posse me ipsum præferre Varroni (quod uerbum, sicut cætera, abs te confictum est, quod Cicero & beatus Augustinus illum præferant omnibus latinis sapientia & doctrina: quasi uerò (ò increbilem amentiam) hi duo sententiam tulerint de futuris hominibus, & non de his solum, qui fuerant, aut erant. Quid enim si post illos existat aliquis Varrone doctior, aut Vergilio præstantior, aut Sallustio, Liuioq; melior historicus? negabis tu eum esse doctiorem, præstantiorem meliorem, quod non ita ueteres iudicarint? Hanc tuam dementiam pluribus exagitarẽ, nisi ea maior esset, quàm ut à me satis pro dignitate exagitari queat. Cuius generis est quod ais: Tres fuerunt nostra ætate. quasi ego & Guarinus fuerimus tua ætate, non simus. Iam uero illud: Cardinalis olim Tudertini, natione Romani, quasi Roma natio sit, & ille, qui defunctus est, sit nunc Cardinalis Aquilanus, qui olim fuit Tudertinus. Inquinate loquentium ille sermo est. quos tu Pogi bene dicendi dux, si tibi credimus, duces habes, in illo non habes, sed te imitantes ac ducem habentes fallis. Pontificij gradum pro pontificatus. Pontificij enim dicimus adiectiue iuris, non gradum pontificij substantiue. Pergis in accusanda iactantia mea, inquiens, POG. Num parũ est hoc stultitiæ uestigium, cum sibi idem, quod Tullio licere præsumat? Quid ais Cicero? Nempe se triduo iurisconsultũ fore, si uelit. Quid ego?

Natione Romanus.

Pontificiũ pro pontificatus.

Digitized by Google

triennio gloſſas ſuper Digeſta perſcripturum etiam meliores Accurſianis. LAV. Ita ne Pogi idem eſt fieri iuriſconſultum, & operis unius Iuriſconſultorum gloſſatorem? triduum, & triennium? Nam quod dixi: meliores Accurſianis, ſi uidetur tibi arrogans, nõ eſt cauſa, cum etiam arrogantem me ſtatuas, quòd omnibus me Phœbi ſacerdos imperite antepono Catholiconibus, Hugutionibus, Aimonibus, cæteriſq; huius generis hominibus, qui nõ minus intellexerũt linguã latinã, quàm Accurſius & Accurſiani omnes, qui latinitatẽ iuris ciuilis exponere auſi ſunt, ipſi male latini. qualis tu es, qui dicis ueſtigium pro indiciũ, cum ueſtigiũ ſit tantum rei geſtæ ſignum, ex illo ſumptum, quod ex pedis impreßione relinquitur. POG. Sed illud dignum Laurentij proſopopœia: tot maria emenſum Vallam fuiſſe. credidi alterum Vlyſſem aut Aeneam ad Italiam longos poſt errores aduectum, non Vallam, qui nunquam mare niſi Neapoli uidit, neq; eſt unquam pelagus ingreſſus. militiam expertus iactauit. Marium aut Hannibalem crederes, non hominem timidum, ignauũ, torpentem, qui nunquã enſem nudum conſpexit, ò monſtrum ſeditioſum, turbulentum, ad terras ultimas deportandum. Quod unquam tale portentum dijs hominibuſq; infeſtum eſt omnibus ſeculis auditum? Procreauit olim terra, ut ferunt fabulæ, Gigantes, qui magnitudine corporum ſiſi ſuperis bellum inferre conarentur. LAV. Et alia deinceps in me truculenta. Hæc non ideo retuli, quòd mihi ſit magni facienda iſta inſectatio, ſed ut de ipſius furore, mendacio, inconſtantia liqueret. Nam quid furioſius, quàm ita in me inuehi, quòd ſcripſerim me, ut ait, tot maria emenſum, & militiam expertum, quaſi magnæ hoc iactantiæ ſit, quod ſæpiſſime hominibus nullius momenti contigit? Quid mendacius, quàm negare me nauigaſſe, qui Venetias mari circumfluas, qui inſulam Siciliam adij, qui non ſemel oram Aethruſcam Liguſticamq; ſum præteruectus, qui pugnis naualibus ad inſu-

Veſtigiũ pro indicium,

lam

lam Inariam, & alibi interfui, non sine uitæ periculo? negare me etiam militiam expertum, & nudum conspexisse ensem, qui tot expeditionum clarissimi Regis Alphonsi comes fui, ac tot prælia uidi, in quibus de salute quoq; mea agebatur, qui deniq; Salerni pro incolumitate Monasterij, cui germanus, ad quem uisendum post multos annos eò cum triremi traieceram, præerat, fortissime dimicaui, locumq; tutatus sum? taceo cætera, ne iactare me uidear. Quid denique inconstantius, quàm dicere me seditiosum, turbulentũ, dijs hominibusq; infestum, & Gigantibus similem, qui bellum superis intulerunt, & eundem timidum, ignauum, torpentem, & qui nunquam ensem nudum uiderim? Ego quidem, ut scias Pogi, fui semper uiuacissimæ naturæ, ita ut nemo magis, si qua fides præceptori meo, ex omnibus condiscipulis (nam illa puerilis ætas præcipue ingenium prodit) sed minime seruus, & procul ab omni malignitate, & qui, ut semel dicã, nec facere possem nec pati iniuriam. Tu uerò quo pacto & facias & patiaris iniuriã, uel hodiernus dies, qui est ante. IIII. no. Maij, testis est. Nam quum tuo & collegæ, & æquali Georgio Trapezuntio in frequenti Cancellaria quasi in secundo senatu coram ipso præside Cancellario dixisses: mentiris per gulam, quòd Inuectiuam in eum scripsisses, ut certe scripseras, Venetiamq; miseras, ille tibi unum atque alterum colaphum duxit. Ibi tum exorta est, quasi in medio theatro, quod uere fuit olim Pompeianum theatrum, pugilum ueteranorum cruenta certatio, ut ægre concursu patrum dirimi potuerit. Sed id summus Pontifex, ut est iustissimus, non siuit abire impune. Hæc militia, hæc sunt prælia, quibus interfuit Pogius, imò præfuit, & si finem quæritis, quasi victor inflatis oculis, tumido ore, ac minabundus arrepto fuste discessit.

Digitized by Google

LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI atque de lingua Latina bene meriti antidoti in Pogium ad Nicolaum Quintum Pontificem Max. Lib. II.

QVAE restat tertiae eiusdemq; ultimae calumniae confutatio, erat illa quidem in superiorem librum conferenda, uerum quoniam haec materia principium, caput, & origo, si Pogio credimus, extitit huius tempestatis, quam iste omnibus in me uentis emissis concitauit, faciundum putaui, ut secundi libri principium esset, nō finis primi, & quasi nunc ipsam causam agere incipientes, orationem exordiamur. Vbi quaeso uos Iudices, ut, si quam antea praestitistis, iam acriorem quandam praestetis attentionem accusatori Pogio & Laurentio reo. Haec autem est eius accusatio, POG. Scripsi olim postquam redij ex Britannis plures uarijs de rebus epistolas, quas postmodum multorum suasione eas legere cupientium, in quoddā uolumen redegi, quod cum in manus leuissimi atque petulantissimi hominis Laurentij Vallae, quem ignominiae causa nomino, incidisset, multis in locis illas carpens pro earum uitijs suam ignorantiam expressit. Quae qualia sint, paulo post discutiemus. Nō miror hallucinatorem quendam fanaticum ac dementem in me insaniam suam euomuisse, qui propter innatam mentis imbecillitatem, propter infixam cordis insaniam, propter insitam animi peruersitatem omnes priscos illos domesticos uiros, quorum memoria omnibus seculis summa laudis uenerationе celebrata est, fera quadam & immani proteruitate contemnit, reprehendit, culpat, aspernatur, & tanquam fortunae rotam in manu tenens sursum deorsum uoluit, & uersat omnia, & ad suum arbitrium

Quod reprehenderit epistolas Pogij.

Digitized by Google

bitrium trahit. LAV. O Pogium diſertum, ò egregium oratorem, qui prius amplificat, quàm planũ faciat crimen. Quemnam ſic uidiſti loquentem præpoſtere? Niſi forte fraudulenter id facis, qui cum probare non poſsis quod obijcis, quaſi dolens doctiſsimorum uicem mihi ſub umbra illorum inuidiam conflas. Quid attinet Pogi tantopere in crimine alieno excandeſcere? Exigo ut probes iniuriam à me tibi illatam. Quod dico de me, ipſi Iudices, ipſi audientes exigunt, quorũ ſemper animus in reũ propenſior eſt, donec conſtet de crimine. Mirantur, mihi crede, cum nihil probaueris, te à ſe poſtulare, ut me condẽnent, ut puniant, ut tibi ueluti carnifici tradant, imò adeò quòd iniuſſu ſuo reum iugulare coneris, Finge Pogi ipſos tecum agere Iudices, atq; his uerbis loqui, IVDICES. Quid ita uis Pogi excarnificare Laurentium? carpſit epiſtolas tuas? poſtulas ultionem? quæris eius ſanguinem? en tibi cum gladio ultores aſſumus. ſed prius eſt, ut planum facias, quod obiecisti, idq; ordine. Nondum enim tibi probandum eſt, quod inſcienter carpſit, quod maligne (nam hæc poſterius quærenda ſunt) ſed quæſtio facti eſt, quòd carpſit. quod niſi probaueris, ſuperuacuum ſit atque ineptum de alijs quæſtionibus diſputare. Qua igitur ratione, qua fide nobis probas Laurentium carpſiſſe epiſtolas tuas? Nihil uidimus tale, nullos teſtes, nulla documenta, nullas ſuſpiciones, ſed tuam unius tantummodo aſſeuerationem. niſi expectas, ut reus, quem morte dignum clamas, crimen agnoſcat. Si habes probationes, quin proferas? ſi non habes, quid illum in iudicium trahis? Quod ad nos attinet Pogi, parum nobis reuerentiæ præſtas, & nimium tibi apud nos ſumis, qui accuſatoris, & teſtis, & iudicis, ac propè carnificis officium uſurpes. Itaque quoniam crimen non probas, non modo Laurentiũ abſoluimus, ſed etiam calumniæ te condemnamus, & quidem pœna talionis ex lege duodecim tabularum quæ ait: Caluniator idem quod reus patiatur, ſi conuictus

uictus erit. Hic tu uociferaberis. POG. En probationes Iudices expeditæ, sufficiētes sine cōtrouersia. En exhibebo codicē ipsum Epistolarum mearum, quem Laurentius iste sacrilegus notauit, suggillauit, & multis quasi uulneribus contrucidauit. Accipite, inspicite, iudicate, & hunc teterrimum sicarium condemnate. IVD. Nunc aliquid facis Pogi, quē tamen audire nō debere=mus, inepte iudicia adeuntem, & experiri nescientem. Quo ma=gis cauendum tibi est, posthac ne istud admittas. A causa enim ca dit, qui non eo modo, quo debet egerit. inspiciamus codicem, en annotationes in marginibus, legamus, atqui duplex manus, dif=ferens atramentum, diuersum sanè chirographum, sed legamus, Solesimus: quia nos debemus dicere gratiam. Mentiris, falsum est. num legisti Ciceronem belua insana, qui id ponit sæpissime? sed detrahendi studium te amentem ducit. Cuiusnam hæc oratio à uerbo mentiris? cuius hæc manus? Mea redarguentis, inquies, & probantis, illum errare, non me. Itáne Pogi hominem, post sumptam de illo ultionem, in iudiciū uocas? capitis accusas? quasi tu percutientē non uulnerauerit? Non est appellandus Iudex in eum, contra quem ipse iudex extitisti. Præpostera res est, inimi=cum ulcisci, deinde accusare. Certe satis superq; satis tibi ultio=nis istud esse debuerat, ut ad singula loca reprehensionū insecta tionem subscriberes. En nullus locus est, quem non acerbe iuua=seris, etsi non minor pars notationum habet tantum iuum uer=bum: barbarismus. Sed quousq; pergunt hæ notationes? certe ad septem omnino epistolas, & propè totidem folia. Sine dubio non probe factum est, ut alienas epistolas utiq; in alieno codice quis notauerit. nam in suo forsitan utcunque permissum sit. Ve=rum Pogi etiam præter inuectiuā maior tua offensione est ultio. Itaq; quantū ad hunc codicē pertinet, factum uestrum Lauren=ti ac Pogi in æqua lance ponimus, si modo abs te scriptum hoc esse Laurenti confitere, nisi codicē istū tibi uendices. Nulla enim

lex

Digitized by Google

lex uetat, imaginem regis atq; adeò dei me è domo mea posse de-
lere, & aliam quamlibet pingere, & cætera quæ sunt id genus:
ita nec librũ, nec literas eradere, mutare, corrũpere. Vendicás-
ne igitur tibi istum librũ, & te notatorẽ harum reprehensionũ
confiteris? LAV. Equidem optime Iudices, nec si meus quidem
hic codex esset, ista annotassem. Cæterum quomodo aut ego quẽã
dissimulare manum meam omnibus notam? aut quisquam dicere
audeat hanc esse? quæ, præterquã quòd nihil simile habet cũ mea,
nónne per se loquitur ipsa hominis esse Catelani? Cernitis hoc, s,
pro c, positũ? Solesimus pro solœcisimus? nã sic Catelani pronun
tiant. Habet enim omnis patria sua in pronuntiando uitia. Quid
multa? ipsius aduersarij confessionẽ extorquebo. Euoluite quæso
codicem usque ad calcem, en nomen adolescentis, en manus ea-
dem, en ipsius testatio, quòd illas notas apposuerit, en subscriptio
Pogij, quæ manum ac factum illius confitetur. IVD. Bene ad-
mones: hoc quoque legamus: agnoscimus iam Pogij manum.
POG. Tu bastarde impure nouus perfidia: si nõ deterior es ma
gistro, stultitiæ indolem præ te fers. corrige teipsum & mores
tuos, & satis erit tibi difficilis prouincia. ingeniũ tuũ male com-
positum est, & magistri tui insanum ac iactabandum redundans
stultitia, tibi soli, qui nihil nosti, ignota. Et si tu asellule esses alte
rius ætatis, ego te exciperẽ satis opolenter. Vale. IVD. Ferox
es nimis Pogi immaniq; natura, qui cum in alieno codice tantam
exerceas scribendi licentiam, nolis alium exercere in suo: casti-
gans adolescentem pro illius ætate nimis grauiter, pro tua minus
grauiter. Quem quòd adolescentes etiã audeant reprehendere,
nõ miramur, cũ scribas opolenter pro opulenter: & tu bastarde
impure nouus perfidia si nõ, pro noue. Verũ abs te quærimus, si
peccauit adolescens, quid Laurentiũ, & mordes hic, & in iudi-
cium uocas? si Laurentius, quid adolescentem insectaris? Certe
quod constat tua cõfessione, non Laurentius scripsit ista, sed adole

Opolenter pro opulenter.

Nouus pro noue.

Digitized by Google

ſcens. Ex quo nihil tibi cõfert exhibitio codicis. Hic tu, Et ſi nõ ſcripſit, inquies, Laurentius tamen adoleſcenti dictauit, ut ſic per illum me reprehenderet. IVD. Diximus Pogi te agere neſcire, nec ſatis gnarũ concipiendi libellos, nec in genere demonſtratiuo, quo laudes uituperationesq; tractantur, fortaſſis exercitatus es, in iudiciali autem omnino te rudem ac tyronem uidemus, etſi ſummis oratoribus Ciceróni ac Quintiliano, qui in iudicijs regnauerunt, patronum te eſſe promittas. Cur enim iſtud ab initio non proponebas, de qua nobis re foret iudicandũ? Sed uemã tibi iterum atq; iterum damus. eſto propoſueris iſtud ab initio: expectamus abs te ut iſtud ſaltem planũ facias: habeſne teſtes? POG. Nullos. IVD. Cõfitetur adoleſcens? POG. Minime. IVD. Vnde igitur ſcis? Ita, inquies, ſuſpicor. Ita ſuſpicionem tuam loco probationis affers? & quia ſic accuſator ſentis, poſtulas ut nos Iudices reũ condẽnemus? At iſtud ne regi quidem, etiã ſi de uita ſua ſuſpicaretur, indulgendum putaremus. Quid ſi ueriſimile eſt hoc, quod obijcio? inquies. Quo tandem modo ueriſimile? certe id uel ex hoc ueriſimile non eſt, quod ſi dictaſſet Laurentius, dictata legiſſet, nec illud uerbum barbare ſcriptum: ſoleſimus, reliquiſſet, nec tam cito fuiſſet in dictando deſeſſus. Nam uerba illa omnia uix decem uerſuum inſtar ſunt. Nec unquam uidimus quẽpiam dictantem uitia libri alieni ſibi ignoti, quem non ipſe manu teneret, ſed alter, qui in eius marginibus uitia illa annotaret, cum dictarentur, ſed & hæ quidem cauſæ faciunt nobis non ueriſimile Laurentium dictaſſe. Tu autem quî putas ueriſimile? POG. Certe quòd ſunt occultæ inter nos ſimultates, ideo occulte agere maluit, & nuper fuerant aperta odia. eſt itẽ mutuus liuor atque æmulatio. IVD. De tuo Pogi animo iſtud eſt affirmare, non de illius, quẽ tu ignotum habes, & te malignum confiteri, non illum. POG. At cur id adoleſcens ille ſua ſponte feciſſet? IVD. Quia adoleſcens, quia, ut nouimus, dicaculus eſt,

Soleſimus.

quia

Digitized by Google

quia in codice suo, quia nõ suspicabatur te rescituru. Quis prætereà motum alieni animi nouit? LAV. Optimi Iudices, nã hic in quadam epistola scripsit, Non enim marmoris sculpti Catalani cupidi sunt, sed auri, & seruorum, quibus ad remigiũ utantur. Sed quid plura? uolo ex ijs quoq;, quæ ad exprobrandum mihi imperitiam meam Pogius attulit, docere, non modo me autorem non fuisse illarum notationum, sed nec illum per imprudentiam falsam ue suspicionem, uerũ per apertam calumniam me autorem esse dixisse, Quorũ unum est: instar, de quo supernus disputaui, quod non emendassem: similitudinẽ, sed more, uel ritu, uel in morem illorum: alterũ est affectio, de quo ait, POG. Affectionis nomen scriptũ culpat, & ait in Tullio non reperiri. Quid ageret hic stultissimus asellus ad pastũ & ignominiam natus si Tullij opera non extarent? Hic aperte stuporem cordis ostendit, & parum se habere cõmercij cum scriptis Ciceronis, cum uerbum ab eo totiens usitatum ignorat. Nam cum in manibus essent libri ad Herennĩũ, inter legendum in sexto animaduerti libro posita esse uerba hæc: Ad demonstrãdum, quæ uis sit eius affectionis, qua impulsus reus aliquid commisisse dicatur. Paulóq; post: Ipsa diligenter natura eius affectionis, qua leuissime. & cætera. Et deinde: Nam affectionis quidem ratio, & reliqua. Sed multis quoq; in locis eo uerbo Cicero utitur, quæ satietatis causa omisi. LAV. Vis me uideri Pogi detrectatorem, uis imperitum, nec intelligis, quo plura profers exempla, eo minus credibile esse, me istud ignorasse. At ego utrunq; in te refundam, &, ut initio dixi, eodem ictu me protegam, teq; uulnerabo, & quidem, quàm tu feciſſes, uehementius. Grauius enim crimen est scientem falsa obijcere, ut tu facis, quàm inscienter, ut ego tibi uideor. Nonne legisti in Elegantijs meis illum locum in hæc uerba? Affectum nunquam uideor reperisse apud M. Tullĩũ, frequentissime affectionem, contra apud Quintilianum frequẽtissime affectum, uix

Affectio. Affectus.

unquam

unquam affectionem. Hanc Cicero modo sic definit, Affectio est animi & corporis ex tempore aliqua de causa mutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & alia, quæ in eodem genere reperiuntur. modo sic: Affectio est quædam ex temporum aut negotiorum euentu, aut administratione, aut hominum studio commutatio rerum, ut non tales, quales habitæ sunt, aut plerunque haberi solent, habendæ uideantur. & alia deinceps multa. Cur hunc locum legisse te dissimulas Pogi sycophanta? Nempe quia non repugnaturum me tibi sperabas: ritu latronis, qui uiatorem, quem aggreditur, non uim ui repulsurum suspicatur, à quo nonnunquam ipse uulneratur, spoliatur, occiditur. Agnoscis Pogi te latronem esse? cõuinci? & à me uiatore uulnerari atque spoliari? Spolio enim te, cum doceo, plus me commercij cum Cicerone habere, quàm te, qui nescieb as apud illum non reperiri, affectum. Præterea quod ais, Si Ciceronis opera non extarent, me magis negaturum affectionem reperiri in illius operibus. quasi posit aut affirmari aut negari, uerbum reperiri in operibus, quæ nunc ipsa non reperiantur: quod adolescens ille nõ dixisset, qui, ut opinor, notauit hoc uerbum, quod male acceperat me tradente: pro affectu affectionem intelligens. Transeo, quod ais: cum in manibus essent libri ad Herennium: quasi aliquod certum tempus significaueris, cum ij libri in manibus tuis erant, & me stultissimum asellum appellas. Omnes tu quidem facis asinos: ægre fero eo minus contumeliam meam. Verum posthac non stultissimum me, nam tu talis es Pollio Asini, sed aureum asinum memento appellare, & ad me scribere librum, quem audio te proxime composuisse, de asino aureo. Pergamus ad reliqua, huic simile est, quod ais, POG. Scripsi: nonnunquam in mentem uenit recessus tui. at Valla solœcismum dicit asinarius stultitiæ plenus. Quo enim ore, qua temeritate redarguit id quod sæpissime à Tullio usurpatur? qui in epi-

Affectus.

stola ad

stola ad Matium ait: Solet uenire in mentem illius temporis, quo proxime unà fuimus. LAV. Iam de me Pogi melius sentis, quẽ de asino asinariũ feciſti, &, quo minus indigner, parem parenti tuo, quem asinarium fuiſſe ne ipſe quidẽ negare in patria tua poſſis. Sed ut ad rem tibi reſpondeam, audes non dico per canem aut anſerem, ut Socrates ſolebat, ſed per tuum aſinum deierare apud Iudices iſta mihi te ex animo obijcere? qui in eo loco, de quo ſuperius diſputaui, ubi Ciceronem à me reprehendi dicebas, cum dixit: in animo haberem nauigandi legiſti, quid de hac re tradidi, cum hæc exempla attuli: cum illius diei mihi uenit in mentem, &, non minus ei uenit in mentem poteſtatis quàm æquitatis tuæ? Quem in modum nonnunquam, ut ipſe uidiſti, in Elegantijs ſum locutus. Quod cum ita ſit, quo tu ore, qua tanta temeritate audes dicere, me aut hoc ignoraſſe, aut te, quòd ita loquaris, reprehendiſſe? At cur adoleſcens notaſſet? ipſe uiderit. mihi non facti alieni, & præſertim iuuenilis, reddenda eſt ratio. POG. Alter alterum trudit ſcripſi. At noſter Phœbi ſacerdos alium pro altero ſcribendum dicit. LAV. In hoc te conuinci ſuperius Bacchi ſacerdos comprobaui, & diſſentire id à præceptis meis, &, quòd ita tradidiſſem, te non ignorare. Ergo hic ſicut in cæteris ſuprà locis, calumniatus es. POG. Illud uero abſurdum: cũ uiſitaſſem pridie Abbatem cuiuſdam epiſtolæ principium feciſſem, ille latrator ridiculus poſtridie fuiſſe dicendum ſcribit. Qua in re magnã inſcitiã præſefert omni pudore uacuã. Etenim pridie cũ tempus præteritũ ſignificet, hoc eſt, qui proxime præceſſit, diem, poſtridie futurum, quomodo conueniſſe aliquem poteram die, qui eſſet futurus, perinde ac ſi dicas, cum te cras conueniſſem? Inſana profecto huius rabulæ impudentia eſt, qui libidine detrahendi, tanquam uentris crepitus, inconſulte nimium uerba effundit. LAV. Siccine ego Pogi quid ſit pridie & poſtridie ignoro? ſiccine tu ita me ſcripturum, ut iſte puer ſcripſit,

In mentẽ uenit receſſus tui.

Digitized by Google

Pridie. Postridie.

scripsit, existimas? profecto nõ existimas, qui in Elegantijs meis legisti dicentem: pridie quidem esse præcedẽti die, non, ut tu ais, die qui proxime præcessit, hoc est, heri, sed qui præcesserit alium quẽdam, quàm hodiernum aut hesternum. Postridie autẽ postero die, non dico crastino, ut tu sentis, sed die sequenti aliũ quendam, ut ibi copiose disputaui. Quale est illud exemplum: quidam pridie ductam uxorem postridie repudiauit. Et audes Asini Pollio asinino pullo similis, dum sic inuerecunde loqueris, dicere: me inconsulte nimium uerba effundere? qui cum fatearis te meas Elegantias perlegisse, tamen dissimulas te legisse, ut credibile facias, à me tuas epistolas esse reprehensas. Vis tu hoc Pogi facere uerisimile? ne obijcias mihi imperitiam: nam istud potius adolescentem suspectum facit. Dic me, prout in elegantijs enucleate disserui, scisse, quid pridie significet, ac te, qui hoc ignorabas cum epistolas scriberes, reprehendisse. Nam ignorabas tunc Pogi usum istius aduerbij, quippe quod plusquam ucies in epistolis male usurpas, non pro die præcedenti, sed pro nuper siue proxime, siue superioribus diebus, prout ostendam in uitijs ipsarum epistolarum. Nam si te reprehendere uoluissem Pogi, latum ad id habuissem campum, non modo in epistolis, sed in cæteris quoque operibus tuis, neque sub persona adolescentuli, si occulte agendum mihi putassem, sed sub persona robusti iam uiri. Quare Iudices, ut ad alia pergam, mementote me promisisse, ostensurum aliquoties abusum esse Pogium isto aduerbio, sicut nunc abusus est, ut à fide non absit: hunc errorem ab adolescente fuisse animaduersum, etsi emendare nesciuit, quia quid pridie & quid postridie significaret, non ex Elegantijs meis, quas non habebat, didicerat, sed ex me docente audierat: quanquam etiam prius, quàm foret auditor meus, in prima scena Terentij legerat: Venit Chremes postridie ad me clamitans. quod uerbum nemo literator est, qui non exponat postero die, nemi-

nemq;

nemq; ferè audiui male eo utentem, ut mihi, quòd ignorauerit adolescens, mirum esse uideatur, quod tu etiam me ignorasse Pogi probare niteris calumniator, & calumniam tuam occultare nescies. POG. Vbi ego potissime scripsi, ille potissimũ posuit. LAV. In hoc ego aduerbio forsitã ipsum in suis, quas componebat, oratiunculis emendaui, docuiq; non reperiri potissime, sed potissimum, ideoq; auide est amplexus occasionem te reprehendendi, ut ipse à me reprehensus fuisset, in quo te non solum ille, sed auditorum meorum plerique omnes reprehenderent. POG. Vbi æstimaui, ille existimaui, multaq; præterea inepta garrulitate grauis ignorantiæ præceptor culpat, & tanquam grãmatici molesti, insulsi, & contentiosi solent, in uerborum interpretationibus hæret. LAV. Idem in hoc quoque uerbo fortasse contigit. Vix enim quisquã est, qui me plusculum audierit, qui nesciat, quã statuam inter æstimo & existimo differentiam, quã in Elegantijs explicaui. Itaq; puer quoq; istud in te reprehendere potuit, & quia me præceptorem uocas ignorantiæ, nolo posthac istud dicas, sed præceptorem tuum. Doceo enim te abutentem tanquã pro sicut. Quis enim neget barbare dici: tu scribis tanquã Iudæi, pro sicut Iudæi? POG. Volumen ut male à me positum culpat, & uolumina asserit dici debuisse. Quid huic ejecto cadaueri faciãs, qui in tantæ ignorantiæ nebula uersatur? Legat tertiam accusationẽ in Verrẽ, ubi hæc sunt: Volumen eius rerũ gestarum maximum isti ostendit, nõ uolumina, ut uult insulsus detrectator, sed maximum uolumen dixit. Qua in re haud dubito Ciceronis grauitatem plus habituram ponderis, quàm Laurentij Vallæ insulsi hominis leuitatem. LAV. Ad hoc tibi ego Pogi, quatenus ad me pertinet, respõdebo. Tu quidem uis, quãtum intelligo, me nescire uolumen numero singulari reperiri. At istud dicere non modo imprudentiæ est, sed etiam insignis calumniæ, cum in libris Elegãtiarum legeris, quid inter

Aestimo pro existimo.

Tanquã pro sicut.

Volumen.

librum

librum & uolumen interſit. Non igitur te ego reprehendiſſem utentẽ ſingulari numero uolumen, ſed nc adoleſcens quidẽ ille. Verũ, ut opinor, reprehendit, quòd decẽ epiſtolarũ libros uolumen, nõ uolumina appelles: nõ ignarus, utpote diſcipulus meus, non aliter dici uolumina, quam ab Ouidio dicitur: Sunt mihi mutatæ ter quinq; uolumina formæ. Nam ad exemplũ Ciceronis non mea intereſt reſpondere, qui te nõ reprehẽdi, ſed adoleſcentis. Is certe poſſet ſic te cum tuo exemplo repellere, quòd ideò à Cicerone dictum eſt, maximũ uolumen, quia unum erat, in nullas diuiſum partes, ut idem Archimedis magnũ uolumen appellat, & ipſius liber, qui uocatur Brutus, grande uolumen eſt. Idem ad Herennium, 11. lib. ait: Quoniam huius uoluminis magnitudo creuit. & alia infinita exempla. Hoc non pro me, nec tanquam à me, ſed tanquam ab ipſo adoleſcente pro ſe ipſo tibi reſponſum ſit. Illud tamen non omiſerim, hebetis ſermonem eſſe: dicere grauitatem habituram pondus, & leuitatem minus, cum nec grauitas aliud ſit, quàm pondus, & leuitas extra pondus omnino ſit. POG. Qui ad te deſtinatum legerent ſcripſi. id culpat cenſor noſter Valla, in ſtultitiæ ac cæcitatis ualle uerſatus, & non inueniri deſtinatum ait pro miſſum. Neque uerò ego miſſum intelligi uolui, ſed quemadmodum Vergilius, deſtinat aræ, inquit, à quo & deſtinatum deſcendit, ut decretum, addictum, adiudicatum uolui ſignificare. grauis ſanè correctio, & Vallæa calumniatione digna. LAV. Culpaui id ego Pogi? in ſtultitiæ, in cæcitatis ualle uerſatus ſum? nec grauis hæc, ſed calumnioſa correctio eſt? Fateor me culpaſſe, ſi hoc culpare eſt, quòd adoleſcentem quodam die (nam memini, cum pater adeſſet) admonui: deſtinare: quo uerbo in epiſtola utebatur, non reperiri apud ueteres, cum ſignificat mittere, ſed apud quoſdam poſteriores. Itaque à me reprehenſus uoluit poſtea te, non dico bene an male, reprehendere. Cuius cauſam, quoniam

Grauitas. Leuitas.

Deſtinare pro mittere.

hæc cauſa

hæc causa ipsius est, non mea, libet in eius persona agere. Quid ais Podi? ut tuo te nomine appellem, quoniamquidē inter Vallam & Podium discordia est, quid ais, inquam, ut Plautus inquit, oculee, qui nos cæcos uocas? si destino reperitur pro eo, quod est mitto, cur non dicis ingenue reperiri? quid negas te in hunc sensum uti eo uerbo? si non reperitur, quid in codicis mei margine scripsisti: apud Augustinū reperiri? En Iudices manu istius scriptum: Augustinus sic loquitur. Itáne male de Augusti no sentis, ut eum habere nolis autorem? Pudet igitur te uti destino pro mitto? O Pogi talpa, & nō in ualle, sed in fouea cæcitatis, ac stultitiæ lustris cœnoq; uersate, ut in te prouerbium cadat, sus Mineruam, cur totiens in sequētibus epistolis ais destinare pro mittere? quod dissimulare nō potes, ne in ista quidē ipsa, aperi talpa si potes oculos, aperi, destino cū eo, quo apud Vergilium, modo accipitur, datiuum postulat: quale est aræ. Et tua uerba documento sunt, quæ tu pro exemplis affers, decretum, addictum, adiudicatum, ut, decreti sunt mihi honores, resisti addicta est, uel tu es morti addictus, bona sunt illi adiudicata. At nunc dicitur destinatum ad te, non tibi, igitur missum ad te intellexisti, quod tu, quia dici non posse nunc confiteris, iure te ego culpaui. Hæc adolescens. Ego illam elegantiam nō prætermittendam mihi duco, quòd tu dicis, semper Laurentius ait non inueniri, dicit non posse scribi, & similia: cum docti aliter dicere soleant, & pro duabus dictionibus una uti: sic, Laurentius negat inueniri, negat posse scribi. Neq; enim tantum dicimus eum negare, qui id quod alter affirmat, non confitetur, sed etiam citra alterius priorem affirmationem: ut, negabat M. Antonius eloquentem unquam fuisse. Nonnunquam etiam post negationem sequitur affirmatio, ut sit necesse, resolui illud nego in duo uerba: non, & dico, ut, nego me sacrilegum esse, sed furem, hoc est, sed furem me dico, nam hoc Dico inclu-

Ait non. Dicit non.

Negare.

e sum

Dissimulo. Simulo. sum est in illud Nego, perinde ac si dicatur, non dico me sacrilegum esse, sed furem. Simile huic est dissimulo, quoniam uix unquam reperias. Simulo cum negatione, ut: ille simulat se nõ nosse me, melius, quia multo usitatius: ille dissimulat se nosse me. Quæ exemplaideo omitto, * quia penè semper hoc uerbum huius elegantiæ sibi exemplum est. POG. Vbi ego permaxime, ille posuit quammaxime: asserens Per nunquam superlatiuo coniungi. Non legit fanatica bestia secundam Ciceronis orationem de lege agraria, in qua scribit: ad animi mei fructum atq; lætitiam duco esse permaximum. LAV. Quid cõiungis reprehensionem operis tui Pogi, cum præcepto Elegantiarum mearum? quæ ipse separabo, & primũ pro me, deinde pro adolescente respõdebo. Ego Pogi non tradidi in Elegantijs, nunquam cõiungi Per cum superlatiuo, sed ferè nunquam cum positiuo, quoties pro ualde accipitur. Quid enim facere debui? nunquid hæ duæ tam egregiæ elegantiæ mihi dissimulandæ fuerunt, propter quædam, quæ contraria uidebantur, exemplaq; de Quam quidem illud Terentianũ, de quo superius dixi: quàm familiariter, de Per autem duo apud Ciceronem loca, quæ quia non ubiq; eodem modo leguntur, & quia rationi repugnant, non statui mihi de ipsis in illo opere faciendã mentionem, unũ, IIII. ad Herennium lib. In quibus oportet uerba sicut à poëtis in quendam extruere numerum, ut perfecte, & perpolitissime possint esse absolutæ. Quod ego ausim iurare Ciceronem nõ ita scriptum reliquisse, sed perpolite, ut cum altero positiuo congrueret perfecte. Alterum istud tuum, cuius hæc uerba sunt: hoc tam insigne, tam singulare beneficium uestrum Quirites cum ad animi mei fructum atq; lætitiam duco esse permaximum, tum ad curam solicitudinemq; multo magis, Quod & ipsum iurare non dubitem à Cicerone aliter scriptum, uel permagnum, uel maximum, cum sequatur, multo ma-

Per. Quam.

gis

gis. Nam quid oportebat tantopere extollere, si aliquid suprà addere uolebat? Et tamen si liceret dici permaxime, cur nunquam alibi Cicero dixit, sed semper quammaxime? adeò, ut in primo de Oratore libro, ubi loquitur Crassus, intra uiginti uersus dixerit ter: quammaxime. Cur & in hoc, & in cæteris superlatiuis omnes autores utuntur quàm, & non per? Quod cum ita sit, ego ne dicam nos posse aliter uti propter duo exempla, quæ non eodem modo scripta leguntur in omnibus codicibus, & mendose scripta sic esse uerisimile est? Ob id me uocas Pogi fanaticam bestiam? nimirum ipse laudabilius, qui nunquam nisi contra usum loqueris, qui adeò captas istam tuã elegantiam, ut cum alibi persæpe, tum in ista breui epistola ter dicas permaxime: quasi dedita opera Ciceroniano illi Crasso cõ tradicere uelis. Quo minus mirum, si adolescens ille, ut pro eo iam loquar, te reprehendendum putauit: toties permaxime inculcantem, quanquam te non reprehendit, sed tantum significauit se dicturum fuisse potius quàm maxime, ut à suo præceptore & tradente & usurpante didicerat. Ex hac pendet illa quæstio, quæ abs te aliquanto subiugitur. POG. Dixi aliquando quantocius, ille id culpat: asserens quàm nunquam nisi cum superlatiuo cõiungi. Qua in re summa eius ignorãtia deprehenditur. At id uerbum ex quanto & ocius est compositũ. Itaq; nõ ex quàm & totius, quod nihil significat, sed ex quãto & ocius iungitur, sed fac ex quàm iunctum esse, nunquid non & Cicero: quamprimum ad nos recurras, ad Trebatium scribit? & quantopere? & quàm prudentis? & quàm multi officij? quàm singulari officio? non iungens quam superlatiuo, ut somniat Valla, & Terẽtius: flens, ait, reiecit se in eum quàm familiariter? &: quàm pulchre aduenies principiũ dedit. LAV. Libet mihi hoc loco gratulari nonnihil labori, studio, ingenio, operi meo. Raræ enim laudis est: ea excogitasse atq; eruisse, quæ

Pogio ſint difficilia ad imitandum atq; intelligendum. Profecto aut ipſe ſingulari ſum præditus ingenij celeritate, aut, quod multo magis reor, Pogius ſingulari ingenij tarditate, niſi forte liuor, maleuolentia, morum peruerſitas, oculos eius premit atq; * præſtringit, ut in meridiana luce nõ uideat. En qui falſis crimínibus opprimere aliũ quærat, qui ſe ipſum fallat, & tanquã puer falli poſſit. Quis enim nõ miretur? quis nõ rideat cancrũ Polypo inſidias tendentem, & in illũ, ſicuti in conchyliũ graſſari uolentem? O Pogi cancer, & cancro tardior, nõ eſt mirũ, ſi adoleſcentes te reprehendunt centum annorum puerũ. Primum ais quantocius, quo frequenter uteris, recte te uti, nec id ullo probas exemplo, ſed, quòd ſit compoſitum, diſputas, quod nihil ad rem facit, ni probes potuiſſe componi, hoc eſt, ab autoribus, non à ſtultis fuiſſe compoſitum. Deinde, ſi iſtud compoſitum ex quanto eſt, ut cæci uident, quid tibi iniuriæ faciunt Elegantiæ meæ, quæ de quàm, ut tu ais, non de quanto loquũtur? Et tamen aliter uteris, atq; exponis. Nam hæc ſunt tua in epiſtola uerba: idq; ut quantocius, etiam atq; etiam rogo. Si enim pro quanto acciperetur, foret opus nunc relatiuo eius, quod eſt tanto, ut quãto citius, tanto melius. Tum, quod etiã pueri ſciũt, ignoras: primum: unde fit quàm primũ, eſſe ſuperlatiuum, niſi hoc per ſomniũ, quod mihi obijcis, didiciſti, tum non intelligis iſtud quantopere nõ componi ex quàm, de quo cõtrouerſia eſt, ſed ex quanto, poſtremo, cũ ego negem in Elegãtijs quàm pro ualde, nõ quàm pro quantũ iungi cũ poſitiuo, tu homo uigilãs aſſers pro exemplis illud Terentianũ: q̃ pulchre principiũ dedit? quod eſt, quãtum pulchre, & illa quorũ autorẽ nõ poſuiſti, ſed Ciceronis pleraq; ſunt, ut: quàm prudentis? quàm multi officij? quàm ſingulari officio? quæ pro quantũ accipi, dubium nullũ eſt. Hæc cõtra imperitiã tuã ac tarditatẽ. Illud neſcio, an magis cõtra calumniã, quòd cũ legeris in Elegãtijs quàm pro quantum

* al's, perſtringit

Quantocius.

Quam.

quantum iungi positiuo, tamen ais me utiq; negare quàm iũgi, nisi cum superlatiuo. Itaq; si in Elegantijs nõ nego quàm pro quantum cõiungi, etiã cum nõ superlatiuo, & istud tuũ nõ superlatiuum est, cur meam istam reprehensionẽ existimasti? Sed de hoc satis, & si plura dici possent. POG. Scripsi urbis omnium celeberrimæ. At ille circulator disseminare uerba inter pueros solitus, ciuitatis adscripsit, tanquã male à me esset positum urbis nomẽ. Sed quàm late peruagatur peruicacis hominis stultitia? Quis crederet hanc insolentẽ bestiam in tanta rerum ignorãtia uersari? Non legit: urbs antiqua fuit, & urbẽ quam dicunt Romam, & item: urbem Romam, sicuti ego accepi: multáq; præterea, ubi reperitur urbis, non ciuitatis nomen? Neq; enim urbs & ciuitas idem sunt, cum ciuitas sit cõuentus hominum iure & lege uiuentiũ, quæ in syluis & sine mœnibus esse potest, urbs uerò ab orbe dicta, muros, portas, turres, & munimenta habet. Dicimus præterea urbem desertam ciuibus, non autem ciuitatẽ. Itaq; urbis omniũ celeberrimæ propter ædificiorum magnificentiã ac pulchritudinẽ recte assero à me scriptum, ab illo autẽ fanatico asinario male me esse reprehẽsum. Ciuitas.

LAV. O plumbeum Pogianũ pugionem, quodnam est uulnus tuum? quid in me redarguis? quid tu ijs exemplis probare uis homo ineptissime? an quòd nesciam reperiri urbem? an nõ dico melius te scio, quia nõ ab orbe, sed ab urbo, ut ait Varro, dicta est urbs, & Pomponius iurisconsultus inquit, urbs ab urbo appellata est, urbare est aratro definire, & Varro ait urbũ appellari curuaturã aratri, quod in urbe cõdẽda adhiberi solet: uerũ te millies usum isto nomine in Elegãtijs animaduertisse, * an quòd differentiam inter ista duo nomina esse ignorem? An non dico te idem in Elegantijs sæpenumero deprehendisse, sed ideo te reprehendisse, quisquis is fuit, quòd differentiã inter hæc poneret? an quòd male reprehẽderim: putans te nunc abusum hoc Vrbs ab urbo non ab orbe Vrbare.

Digitized by Google

nomine? at ego, etiã si abusus eßes, nõ reprehẽderem, cũ sciam solere accipi continens pro cõtento, nec id tantũ exemplis confirmari, sed etiam præceptis tradi. Nam de isto ipso uocabulo Quintilianus tradit: inquiens: Bene moratas urbes, poculũ epotum, & seculum felix, & bene moratas ciuitates, potionẽ epotam, & homines eius seculi felices. Nõ igitur ego te reprehẽdi Pogi, sed puer ille. Verum cur, inquies, ille reprehendit? miror equidem, cum nulla reprehendendi causa uideatur. Quo minus uerisimile est me peccasse in eo, in quo etiã puerũ peccaße miramur. Dicamus tamen: eum forsitan putasse, te dicere debuisse ciuitatẽ potius, quàm urbẽ, suumq; pro tuo errorem ostẽdisse.

POG. Cum scripsissem, non recolo, id uerbum non reperiri: nouella spinga protulit. At Ouidius nescio an Valla doctior: Hæc tua nam recolo quondam germana canebat.

Item Cicero in procemio Oratoris: inter nosq; recolẽdas artes scribit, quod uerbum à recolo proficisci necesse est. In officijs quoq; diuinis: recolimus, scriptũ legimus, ut illud est: ut dũ eorũ merita recolimus. Multis præterea in locis reperitur, quæ breuitatis causa omisi. Sed non mirum hominẽ hæreticum, omnis hostem religionis, prophanum, non reminisci eius uerbi, quod uel non audit, uel nõ libenter intelligit. LAV. Vbiq; Pogius sibi est similis, tardus, hebes, plumbeus, rubiginosus. Ais me Pogi negare, id uerbum reperiri: quasi nihil omnino legerim? non epistolas Ouidianas, ubi est iste uersus? num procemiũ de Oratore, quod ego apud te, & apud cæteros corruptum, pristinæ synceritati restitui, ut in Elegãtijs inuenisti? nõ illud eiusdẽ pro Archia notißimũ: Quantum deniq; aleæ, quantũ pilæ, tantum ego mihimet ad hæc studia recolenda sumpsero? Non illud in Philippicis: Sensimus hoc nuper falso nũcio, uero propediẽ sentiemus, quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo & maiore cõsolatione morieris. Non alibi, cũ apud hunc, tum apud alios?

Recolo.

At ego

At ego in Elegantijs quoq; sum usus, etsi tu calumniator peruerse dißimulas. Non ignoraui igitur ego hoc uocabulũ reperiri, id est, non ego te tua confeßione reprehendi, sed puer. Nam si reprehendere istud uerbũ est hominis ignorantis illud inueniri, ego certe nõ reprehendi, qui illud inueniri non ignorabã. Possem equidem aduersus istam pecudẽ hac esse purgatione cõtentus, quam mihi tam facile est fallere, quàm lupo asinũ in læta herba pascentẽ, & præ saturitate sæpenumero rudẽtem: uerũ ut intelligat se, id quod mihi frequenter obijcit, asinũ esse, non sum hac defensione contentus, quinimò eam repudio, & alia, quæ non me defendat, sed eius stultitiam coarguat, uti uolo. Non reprehẽderis Pogi, quòd utaris hoc uerbo, sed quòd male utaris, dum inquis in ista epistola: Nõ recolo me scripsisse, hoc est, non recordor, ut in alijs quoq; epistolis librisq́;. Non enim Cicero isto modo usurpat hoc uerbum, nõ oratio ista ecclesiastica, ausim dicere, non etiã Ouidius, qui nõ aliter dixit nũc Recolo, quàm Cicero: quæ si tecũ ipse recolis: quasi repeto, reputo, meditor, in mente tracto. Quod tu, etsi asinino ingenio es, fortaße uidisti, qui hoc dißimulare conatus es: non subijciẽs ad literam locum epistolæ tuæ, ne uera deprehẽdi posset sentẽtia. At enim per hæc, quæ dixi, suspectum facio, ne ipse fuerim loci illius reprehensor, nõ puer. Hoc nequaquam existimabit, quisquis scierit multos esse, quorũ unus est Antonius Panhormita, qui negent palàm recolo, pro recordor, reperiri, utentesq́; in hunc sensum eo uerbo derideant. Itaq; siue hoc uere, siue falsò sentiant (nam meam hic interpono sententiam) iam ad puerorum notitiam permanare potuit. Igitur non te reprehendi Pogi, sed reprehendo, qui ais nouella spinga pro spinx, tametsi postquam per eos, quibus partem huius responsionis ostẽdi, indicatum tibi est: me loca quædam barbara deridere tuæ inuectiuæ, paßim mittis scedulas ad eos, qui tua exemplaria

Spinx non spinga.

habent, cum emendationibus: quasi tute emendaueris, non ego, ut omnibus notum est. Sed quæ grammaticæ nõ sunt, certe non emendasti, quia nemo docere te & certiorẽ facere potuit: quale est hoc, quod uis me reminiſci uerbi, quod mihi ais inauditum: quasi quis rei nunquam sibi notæ reminiſci posſit, quodq; hæreticum uocas, quem eundem dicis hostem omnis religionis: quasi qui nullius religionis est, is esse posſit hæreticus. Ego uerò te Pogi non hæreticũ dico, nõ omnis religionis hostem, (nõ enim ita de te male sentio, non ita in te uolo esse contumelioſus) sed omnis religionis cultorẽ. Cum enim dicas me omnium religionum hostem, cõsequens est, ut te facias omniũ religionũ cultorem, ut ei, quem improbas, sis cõtrarius, & certe id ipso opere ostendis. Qui enim deos testatur, iurat, ueretur, is profecto omnium deorũ, & ob id omnium religionũ est cultor. POG. Verum quoniã nescio quid ridiculũ in meis scriptis culpat noster Aristarchus, discutiamus paulum suorũ uerborũ pondus. Ait in prima epistola mei uoluminis male à me scriptũ: aliqua ex parte gratias referam, quoniam gratiam dicere debeamus. Salsa quidẽ ac digna correctoris uel corruptoris nostri potius sententia, qui id uitio dat, quod in usu est omnium, qui Latine scripsere, agere gratias dicimus, cur nõ & referre optime dicetur? Quanquã Ciceronis autoritas illius beluæ insulsam dementiam compescit, ait enim in epistola quadam ad Vatiniũ: Non enim tu mihi habuisti modo gratias, sed etiã cumulatissime retulisti. Ecce hic Cicero noster, homo credo præ Laurentio indoctus, gratias referri dicit. Sed effrenata innataq; redarguendi libido eò hominem insanum deducit, ut neq; quid scribat, neq; quid dicat, recte an secus, intelligat. Nolo insistere in pluriũ testium productione, qui multi sunt, sed unus pro omnibus est Cicero, quoniam ad alia festinat oratio. Id sanè cõstat, & agere & referre gratias rectissime dici. LAV. Ego te, inquis

Reminiſci.

Hæreticus.

inquis Pogi, corrigo dicentem: gratias refero: si ita est, ergo & me ipsum corrigo, idem in Elegantijs tradentem, & hoc Plãci ad Ciceronem scribentis exemplo utentem: immortales ago tibi gratias, agamq; dũ uiuam: nã relaturũ me affirmare nõ poßum. Referre gratias. Quod si credibile non est, mea ipsius me præcepta retexere, profecto nec tuam epistolã correxisse credibile est. Id pro mea defensione dixi. Dicam nũc ut te accusem. Non ne tu ista in Elegantijs uerba legeras? certe legeras, cur igitur in animum tibi inducere potuisti, id me fuisse reprehensurum? Verũ nõ in animum tibi istud induxisti, sed ut calumniator, ut sycophanta, ut fera bestia, contra animum tuum locutus es. Sed agedum Pogi, confer mecum pedem, consere mecum manus, intermissa paulisper illa de notationibus pugna, ut liqueat, uter nostrũ Ciceronis elegantiam sectetur accuratius: quanquam non contentus illius autoritate, etiam ratione niteris, inquiens: Agere gratias dicimus, cur non & referre optime dicetur? Non utar remota contra te analogia, sed coniuncta atq; germana. Habeo gratiã recte dicitur, cur nõ & agere gratiam? at hoc dicitur non recte. Nihil ergo ualet tuum à pari argumentum. Itaq; totũ hoc non ratione nititur, sed autoritate, siue exemplis. Tu tamen cũ omnino unum habeas, Pogiana ambitione te iactas multa habere. Ego Pogi istud, quod tu uidisti, & ipse uidera, sed quod ego uidi, tu nequaquam uidisti. Primum quod ipsa exempla nõ habent aperte coniunctum nomen gratias cũ uerbo refero, sed ita, ut præcedat uerbum ago, cum quo coniunctũ est aperte nomen gratias, ut non sit absurdum, in uerbo refero repeti idem nomen numero singulari. Deinde quòd nõ esset causa, cur Cicero sic pro Plancio scriberet: Cui pro me senatus gratias agendas putauit, ego à me gratiam referendã nõ putem? & Liuius lib. xxxv. Renuntiate, inquit, gratias regi me agere, referre gratiam aliam nunc non posse. Cur enim non fuit cõtentus dixisse Agere gratiã.

xisse gratias? cur in diuerso uerbo tam aperte mutauit numerũ? Hanc ne ego elegantiam Pogi debueram præterire silentio? Tu certe non prætereundam tibi putasses, si animaduertisses, qui te familiarissimum Ciceronis existimas. Es tu quidem eius familiaris, sed ita, ut interiora ac penetralia domus eius nunquam adieris, & ut tibi magis indulgeam, non familiaris es solum, uerumetiam famulus, ac seruus. Sed sicut non omnis famulus ac seruus archana patris familiâs ac domini nouit, ita tu mihi Tullianæ domus uideris esse aut ianitor, aut atriensis, aut mediastinus, aut pistor, aut suppromus, aut sternarius, aut cocus, aut stabularius, aut, quod tibi & honestissimum & iucundissimũ est, cellarius. Nam quomodo putandus es noße interiora, qui nescis dicendum esse: sententia digna correctore nostro, non correctoris. & discutiamus suorum uerborum pondus, pro eius uerborum dixisti: & mei uoluminis, pro meorum uoluminum? Ad quæ reprehendenda non est opus Aristarcho, sicut nec ad unũ piraticum myoparonem capiendum præfecto regiæ classis, sed triearcho aut nauarcho, qualis ego sum in te, unius myoparonis archipiratam, tamdiu oras Italiæ infestantem atq; uexantẽ. Sed ut ad rem redeamus: quomodo uerisimile est adolescentem id notasse in Pogio? quia hoc ego apud auditores meos sæpe testatus sum, de quo in Elegantijs Antidotoq; disputaui.

Sententia digna correctoris Volumen.

Ex Britannis redij.

POG. Arguit insuper cũ scripsissem me ex Britannis redisse, ex Britannia oportuisse dici, at tritum est ab Indis, Hispanis, Afris, Germanis dici nos esse reuersos. LAVR. Hoc ab adolescente animaduersum esse nequaquam mirum est, ut insuetum auribus suis inauditumq;. Recte autem an secus, non dico: nisi quod tu Pogi uideris te recte reprehensum confiteri. O hominem ridiculum. Quis enim non rideat in ludo gladiatorio exercitatissimum timore ictus capiti minantis, non caput, sed genu protegentem? Ille culpat, quod dixeris ex Britannis redij, tu

occurris

occurris hac ratione, quòd sic illud certe dicatur, ut hæc: ab Indis redij, ab Hispanis, ab Afris, Germanis: quasi ille neget recte dici: à Britannis redij. Ipse agit de præpositione ex, tu respondes de præpositione ab. Hoc quid aliud est, quàm tegere genu, quod non periclitabatur, & plagam in capite accipere? Vna adhuc supereſt, quæstio, de qua ais: POG. Coram Pontifice, cũ scripsissem, solœcismũ esse ait, & apud scribi debuisse. Hæc belua profecto agrum stultitiæ depasta nihil intelligit, in latinis nescit quid differant coram & apud. Legat Liuium, qui ait: Magis apud quos, quàm coram quibus loqueretur. & si mentis imbecillitas patitur, consideret, quid hæc distent inter se uerba: coram quẽ quæritis adsum, Vergilius ait. Sed hæc belua fanatico spiritu ducta, cui sola detrahendi facultas est nota, impetu quodam uesano fertur in præceps, & libidine detrahendi labitur, ubi & pueri consistere solent. LAV. O excordem Pogium, atq; uecordem, & secum quoq; discordem. Sic loquitur: quasi alium barbare loquentem reprehendat, & nõ ab alio barbare loquens ipse reprehendatur. Ille te Pogi, cum ait scribere debuisse: apud Pontificem, non coram Pontifice, satis aperte significat, scire se, quòd ista differant, sed te nescire. Itaq; tuũ erat ostendere, te rectè usum ea præpositione. Id non facis, sed quasi alterum male illa utentem notes, inquis: legant Liuium. O belua, ò bipedem asellum, non intelligis contra te esse Liuianum exemplum, ut manifestum sit, ab aliquo, qui uel à me audiuit, aut apud Antidotum meum legit, illius exempli te esse admonitum, non te illud per te animaduertisse, quippe quod necdum intelligas. Per quod datur intelligi: apud aliquos quidem loqui, esse cum illis loqui, coram aliquibus autem, esse illis præsentibus loqui. Itaque poßumus apud aliquem loqui coram nemine, nõ poßumus coram aliquo, nisi apud quempiam, quæ abs te Pogi neq; hic neque alibi custoditur elegantia.

Coram Pontifice.
Apud Pontificem.

tia. Quanquam quomodo potest custodiri, quæ nunquam tibi animaduersa est? nam cum hæc sint uerba tuæ epistolæ: qui meis rebus adeò tribuas, ut etiam coram Pontifice legenda cu raris: haud dubie id significas: illa scripta Pontifici fuisse lecta, non autem alteri, ipso Pontifice præsente, quod contra Liuij exemplum est. At enim Vergilius tecum facit: coràm quẽ quæritis adsum. O caput nihil capax. Non uides Pogi agrum stultitiæ depaste, ut tua tibi reddam, nunc coràm esse aduerbium, nec posse habere differentiam cum apud: præsertim quòd hæc differentia ita demum, si de loquendo fiat mentio, habeat locũ, non si de cæteris: qualia sunt, sedebam coram te, scripsisti coram populo, saltauit coràm magistro, in quibus nullus differentiæ respectus est ad apud, quamuis sit coram, & ipsa præpositio, quanto magis cum non est præpositio, sed aduerbium? uelu ti in Vergiliano exemplo: in quo ne pueri quidem laberentur, ut intelligas Pogi & te esse, non me, illum qui labitur, ubi pueri consistere solent, & puerum potuisse te reprehendere, qui præsertim hoc à me præceptum frequenter audisset. Et hæc sunt omnino, quæ ille in te notanda sibi putauit, præter illud, quod dissimulasti. POG. Quod hæc dederunt disturbium rebus Papæ. LAV. An hoc non pueris etiam ad reprehensionem notabile est, quod uocabulum ne in ore quidem ranarum, quæ turbida aqua gaudent, bene sonaret? Nam illud in quo assi due laberis, quiuis meorum auditorum notasset. POG. Nam superiores literæ gratæ sibi fuerunt. LAV. Sibi pro ei, contra Grammaticorum præcepta, cum aliorum, tum Prisciani locutus es: nisi sentis literas sibi ipsis gratas fuisse, & quod huic simile est. PO. Vide ne forsitan fallaris scriptis suis. LAV. Videlicet suis pro eius, nisi accipis suis pro porci, ne uidelicet scripta porcelli illum fallant. & iterũ: POG. Tanti facio Nicolaum, iudiciumq; suum tanti æstimo. LAV. Nempè iudiciũ

Disturbiũ dare.

Literæ sibi placuerunt.

Ne fallaris scriptis suis.

porco

Digitized by Google

porcorum scrofarumq; magnificias necesse est, ne alioqui à pueris barbare locutus esse deprehendare. Et cum non plura notata sint in epistolis tuis, tamẽ inquis. POG. Hæc & sexcẽtas alias ineptias ridiculas in me confert ille barbarus imberbis, quibus nunc barbarismi crimine, nunc malæ sonoritatis, nũc malæ cõiunctionis arguit, homo inconditus, absonus, absurdus, inconcinnus, qui nullum nisi campanarum aut tympanorum sonitum nouerit: & certe effrenate nimium ac petulanter effertur Delphicus noster uates, tanquã illa sua sensa, omni sensu uacua, ex Apollinis Pythij sacrario, non ex armamentario uolitantis cerebelli, ac ex fanatici demẽtisq; uesano capite promere uideatur. Cuius insaniæ respondere ad singula, quæ sint inconcinniora prioribus, stultissimum uideretur. Verũ stultus, qui quicquam pensi faciam garrulitatem scurilitatemq; eius, qui cõtinuamentis uertigine agitur, debacchantis ritu. LAV. Omnia Pogij arma non alia sunt, quàm conuicia & mendacia, quibus se protegere, & hostem ferire arbitratur. Ego, ut finẽ huius quæstionis faciam, tanquam apud ipsos iudices, atq; apud eum, qui omnia cernit, IESVM CHRISTVM iuro, me reprehẽdisse adolescentem, qui notas illas apposuisset, &, ne plures apponeret, inhibuisse. Si mentior, ipse deus, quẽ testatus sum, in hac causa reddat infensos mihi iudices omnes: & in primis, cuius iudicium plurimi facio, Nicolaum summum põtificem. Quanquam non opus erat mihi iureiurando, ubi palàm est, Pogium falsò me accusare, & suæ sibi calumniæ esse conscium: quẽ etiã non pudet appellare crimina, errores in grammatica, nisi per imperitiam in hoc uerbo lapsus sit, sicut in illo, quod ait: sensa sensu uacua, quod esse nõ potest: imò nec aliud sunt sensa, quam sensus, nisi quòd illa sunt animorum tantum: & in illo, quicquam pensi faciam, cum, nihil pensi habere, sit, non ponderare quidpiam atq; considerare. Sed omissis cæteris eius conuicijs,

Sensus. Sensa. Pensi nihil habere.

quid

quid est, quod me imberbem appellandum duxit, hominem tam bene barbatum? An ut senis oratio lepide ac festiue luderet: barbarus imberbis, barbarismi crimine? Placet ne falso, dummodo lasciue, ludere? Si ita est: cur tu Pogi qui hircus es, barbam, quam in me desideras, non immittis, & hœdos tuos à lupis, caprasq; ab extrancis admissarijs non custodis? Hoc ego uel ludens uel stomachans dixisse uolui, quod etiam dicere ausus es (quid enim tu non audeas?) me malle uersari inter pueros quàm uiros: nimirum obiecturus alia, & capitaliora crimina, si qua potuisses, cum ea suspictose obijcias, à quorum suspicione longe abfui semper, inquiens: POG. Sed miror tanti uiri consilium præposterum, qui cum se Accursio in iurisciuilis peritia anteponat, cur nõ potius more optimi Iurisconsulti iuris exercitio, quod est præclarissimum, quàm ludi puerilis studio uacet? ibi enim summus honor, summa dignitas, summa quærendæ pecuniæ facultas, hic inter pueros summa indignitas, uilis exercitatio, leuis doctrina, lucri parum. Sed credo illũ iuris facultatem spernere, ut suo ingenio, suæ doctrinæ, suæ sapientiæ imparem, & malle inter pueros, quàm inter uiros uersari. LAV. In ludone puerili ego, Pogi, an ubi doctores alijs gramaticam ne, an artem oratoriam doceo? & pueri me magis, quàm alios doctores, & magis barbati ac magis docti illos, quàm me audiunt? Tu Pogi pueros, tu domi tuæ puerilem ludum habes, non ego, nec ullius à grandioribus natu neque doctioribus frequẽtatur, quàm mea lectio. Sed quid de me dico, & non de genere uniuerso, quod abs te reprehenditur? Cum enim meum officium uituperas, omnes rhetores uituperas, Guarinum, bone deus, quantũ uirum, Gasparinumq; ac Venturinũ, qui nuper uita excessere: quorum tanta extitit gloria, ut tanquam clarissimæ quædam stellæ in transpadano orbe splenduerint, Franciscum Philelphum per multas Italiæ urbes celeberrimum

rimum, Georgium, Trapezuntium tuũ collegam, & te multo doctiorem, qui superiore anno à docendo cessauit, item collegam tuum Rinutium, qui si meliore ualitudine esset, adhuc legeret, Carolum Aretinum Cancellarium Florentinum, qui in illius muneris petitione tibi prælatus est, nunc cum magna dignitate magnoq; salario Florentiæ profitentem. Transeo alios plurimos, quorum quisque longe se tibi anteponit: cum propter alia, tum uerò, quòd sciunt te ideo non legere, quia ad legendum atq; ad dicendũ semper ineptus & elinguis extitisti. Et certe maioris artificij est docere eloquentiam, quàm uel ius ciuile uel Pontificium: quanto maior est ars ac maius opus, cui tu ut detraheres, laudasti ius ciuile, non ut illud laudares, quod & ipsum perosus es. Nam & in illo opusculo conuiuali sub persona medici petulantissimis, ut tuum ingenium fert, uerbis lacerasti, sicut non minus medicinam sub iurisperiti persona, & in primo Epistolarum libro exclamas, ò scientiam iurisciuilis ignorandam & uenalem, reijcio hanc facultatem, abi hinc ad barbaros procul, & alia multa tuo more furiosa. Cur ergo nunc illud laudas uir inconstantissime, & loqueris semper ad tempus? certe ut ex comparatione meam professionem deprimeres, hoc est, oratoriam artem. O te stultorum peruersissimum, & peruersorum stultissimum: totam ætatem, si tibi credimus, in arte oratoria consumpsisti, & eam uituperas? laudas Ciceronẽ ac reliquos oratores atq; rhetoricos, & tamen præceptorem rhetoricæ postponis alijs, Ciceronem inquam à quo prælatos legisti oratores iuris non solum peritis, sed etiam consultis. Quem, si facultas mihi suppeteret, facerem ab inferis existentem, & in te uelut in alterum Catilinam, Verrem, Clodiũ, Antonium faces illas ac fulmina eloquentiæ intorquentem: qualis enim foret in te facundiæ inuidia conflagrandũ? Cicero nanq; abs te, cum me uituperas, uituperatur. Sed omisso Cicerone, uolo

uolo tibi ex ipso iure ciuili istum tibi eximere errorẽ. Romani imperatores, quorum unus est Iustinianus, non minus tribuerunt dignitatis oratoriam artem quàm ius ciuile docentibus: in hæc uerba: Habeant igitur specialiter nostrum ius primũ Romæ, quos eloquentiæ doctrina cõmẽdat: oratores quidẽ tres numero, grammatici uero decem. Etiam ij, qui facundia grauitatis pollere noscuntur, quinque numero sint, sophistæ & grammatici æque decem. Et mox: Duos quoq; qui iuris & legum uolũtates pandant. At enim multo sunt plures iurisperiti quàm oratores, inquies: Docebo hoc non solum te Pogi, sed etiam ipsos iurisperitos, & cur se illi oratoribus præferendos, & cur falsò arbitrantur. Non sunt isti, qui se tantum iurisperitos uocãt, solum tales, sed etiam oratores, etsi artem oratoriam nesciãt, quales illi primi homines fuere. Siquidem priores fuerunt, qui causas orauerunt, quàm qui artem orandi literis mandauerũt, aut qui ex arte orauerunt, & quia hanc ignorant, nõ se uocãt oratores sed aduocatos: quasi aliud sit hoc ab illo, & non potius aliud à iurisperito siue iurisconsulto: aduocatus enim causarum est, qui causas agit: iurisconsultus est, qui de iure respondet, non qui causas agit, ut ex toto iurisciuilis corpore datur intelligi. Itaq; cum magis isti uersentur in causis agendis, quod Caius, Paulus, Papinianus, Scæuola, Marcellus, Vlpianus, cæteriq; non fecerunt, magis sunt oratores appellandi. At enim magis eis cõfert iuris scientia: quasi uerò posit orator citra scientiã iuris esse. Certe id eis plus confert, quod norũt, quàm quod ignorant, plus tamen conferret eis eloquentia, si eam tenerent. Tametsi, ut uidemus, qui uel naturæ dotibus, uel dicendi exercitatione habentur eloquentes, qualis uere uocatur orator, ij omnibus Iurisperitis antecellunt, & dignitate, & gloria, & facultatibus, ut negare non possint: hunc talem quantulumcũq; oratorem longe anteponendum etiam summo Iurisconsulto: etsi non

Vtrum Orator an iurisconsultus præstantior.

Aduocatus. Iurisconsultus.

Orator. B

Digitized by Google

*etsi non dixero multas causas esse, in quibus nihil loci habet iuris prudentia. Nihil nunc loquor, de illo alio genere oratorum, quos uulgo prædicatores uocant, quanta in illis autoritas, quanta uis, quãta maiestas insit, de iurisperitis tantũ nunc ago, qui non solum ea, quæ dixi, sed etiam ius suum ignorant, nec intelligunt non de iurisperitis, sed de oratoribus loqui Iustinianum, cum inquit: Aduocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suaéq; defensionis uiribus in rebus sæpe publicis ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quàm si prælijs ac uulneribus patriam parentesq; saluarent. Non enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladijs, clypeis, ac thoracibus nituntur, sed etiam aduocatos. Militant nanq; causarum patroni, qui glorioſæ uocis cõfisi munimine, laborantium spem, uitam, & posteros defendũt. Tales Cicero, Cæsar, Quintilianus, omnes consules ac præstantissimi uiri, tales Demosthenes, Aeschines, Hiperides, & cæteri, qui oratores uocati sunt, extitere, non qui uocati sunt iurisconsulti, quorũ nemo unquam in magna apud homines fuit admiratione. Quare intelligant isti aduocati nostri: se aut non esse admirabiles uiros: aut, si sunt, id maxime debere oratoriæ arti, siue oratoriæ exercitationi. Ego, quod ad me attinet, non uideo, cur sim ulli, qui ius ciuile legat, inferior, cum sim pro ido neo à summo Pontifice, qui noster imperator est, habitus ad docendam oratoriam artem, nec pro inferiore ab eodem existimer, nec minori, quàm mediocres illorum, salario afficiar. At cur non illud, ut tuo uocabulo utar, excercitium factito, quod etiam pater meus factitauit utriusq; iuris antistes? Cur non & illi meum factitant, quod est multo præclarius, si recte existimemus? Aut si illud præclarius est, cur tu non exerces? Nisi ius tuum fortasse præstas omnibus, de quo ne collegas tuos mihi amicissimos attingam, nolo aliquid dicere. Tantum respondisse

*Forte legendũ, etsi non negauerim.

Aduocatus.

ſuffecerit, eaſdem immunitates, eoſdem honores habere rhetores, quos habent iuris doctores, etiam, ut de licētia addas auri geſtandi, quod ſi illi ex iure ciuili geſtare queunt, profecto & rhetores poſſunt. Quanquam hæc opinio apud illos ex ignorātia iuris, cui ſtudent, orta eſt: in quo nihil tale ſignificatur, non modo in aduocatis, ſed ne in militibus quidem, quorū dignitati, ſi qua dignitas eſt, ſuam iſti parem faciunt, & hos ſequuti me dici atq; philoſophi. Sed de hoc ſatis. Iam enim tempus eſt, cōuicta triplici Pogiana calumnia, & ueluti triplici ſerpētis exciſa lingua, ut triplicem quoq; imperitiam conuincamus, & quaſi aliam trifidem excidamus linguam eiuſdem ſerpentis: qualis dicitur eſſe, ſi credere fas eſt, Amphiſibena, ut eſt apud Lucanū: Et grauis ingenium ſurgens caput Amphiſibena. Sed loquutus de imperitia Pogij, dum ille me imperitum probare uult, nolo illud ſuperioris loci omiſſum, quod particulā cur fruſtra poſuit. Nam ita dicere debuit: miror conſilium uiri, qui non uacet potius iuri: non autem, qui cur non uacet. Agedum Pogi ſerpētina lingua ac ſerpentino afflatu, iterum ſibila. Fateor equidē me reprehendiſſe quoſdam mediocres homines, ueluti Priſcianum, Seruium, Donatum, quòd in arte, quam autoritate ſummorum ſcriptorum confirmant, nōnihil dixerint diſcrepans ab illorum autoritate, quemadmodum exemplis doceo, ut mihi neceſſe fuerit aut maximos quoſq; autores, aut iſtos & pauculos & mediocres ſequi. Malui itaque illos ſectari, quos & iſti ſe quoq; ſectari fatebantur. Tu autem, quaſi id ego non faciam, me inſectaris, inquiens: POG. Iſte ueſanus conuiciator, ſuperiorum omnium autoritate ſemota, noua ſenſa uerbis indidit, nouum ſcribendi morem introducit: tanta præſumptione uſus, ut ſibi ſolus plus, quàm cæteris omnibus tribuat autoritatis. Latinorum uerborū proprietas, uis, ſignificatio, cōſtructio, nō tantum ratione, quantū ueterum ſcriptorū autoritate cōſtat. Qua

Quòd ſcriptores aliquot imperite emēdarit.

Qui cur non uacet iuri.

ſubla

ſublata linguæ latinæ fundamentum & ſubſtentaculum pereat neceſſe eſt. LAV. Ita'ne Pogi non nitor ego ueterum ſcriptorum autoritate, ſed mea? Si aduerſus Priſcianũ & cæteros grãmaticos aliquando diſputans ego, reſpuerem autores, quos illi aſſerunt, certe non tam grammaticis, quàm autoribus aduerſarer, omnibus ſcriptoribus bellum indicerem, & repudiata lingua latina, aut alia uterer, aut nouam introducerẽ. Hæc ſi neq; facio, neq; quempiam facturũ eſſe credibile eſt, ſequitur, ut aliquid ego argutius profundiusq; in uſu autorum animaduerterim, quàm iſti fecerunt, ſicut & ipſi multa prudentius quàm ſuperiores fecerant. Nam alioqui poſt illos non ſcripſiſſent, quũ præſertim dicat Priſcianus: Veluſtiſſima ætas maxime in grammatica arte arguitur peccaſſe, cuius autores quanto ſunt iuniores, tanto perſpicaciores & ingenijs floruiſſe, & diligẽtia ualuiſſe omnium iudicio confirmatur eruditiſſimorum. Quare noli mirari Pogi, quia tu nihil inuenis noui, me quippiam noui inuenijſſe, nec palàm calumniari, quòd nullius autoritatẽ ſequar. Nam ſi ego nullos pro me affero, tuum eſt illos cõtra me afferre: atqui ſecus fit, ſiquidẽ ego infinitis exemplis utor, tu nullis: quin illi quoq;, ubi à me reprehenduntur, aut nullis, aut rariſſimis, aut inualidis utuntur, ueluti in illo loco, ubi de mei, tui, ſui, diſputaui, de quo tu ais: PO. Noſtri & ueſtri genitiuus pluralis Seruius grãmaticus ait, A. Gellium, ut poſtea apparebit, ſequutus. Sed hos & Priſcianum cũ alijs in errorẽ induxit. Et deinde: Verum quid mirum, cũ A. Gellius, & quidẽ antiquior, nullum exitum in hac quæſtione poteſt reperire, ſed etiam non optime ſentit. LAV. Omitto de perfidia tua loqui uir peßime Pogi, qui hunc locũ ex Elegantijs nequaquã ſyncere protuliſti, ut ſemper facis. fallor opinione? improbe illos emendo? cur quæſo tu uir doctiſſimus latiniſſimusq;, & autorũ nominis fãmæq; defenſor, nõ aliqua contra me affers illorũ exempla pro

Priſciano? qui nec ipſe ulla pro ſe affert, quare liceat, ut opinatur licere, ſic dicere: mei uel noſtri agrum colo: tui uel ueſtri filium diligo: ſui uxorem cuſtodit, pro meum uel noſtrum, tuum uel ueſtrum agrum filiumq;, ſuam uxorẽ? Qua de re tam multa ego tamq; egregia tradidi ex ſummis autoribus obſeruata, ut putem me ſatis ad æternitatem gloriæ uel ob id capitulum cõparaſſe, & poſſe inter præſtantes numerari ſcriptores, quẽ illi, quos reprehendi, ſi reuiuiſcerent, admirarentur, quẽ tu ſceleſtiſſime, cum tot res à me uel didiceris, uel diſcere poſſis, ſpernere uis uideri, inquiens: POG. Sed cum loci ſint penè infiniti, quos faſtidij cauſa omiſi (totũ enim opus his ridiculis ſententijs refertum eſt) pauca expreſſi. LAV. Ridicula ſunt Pogi, quæ neq; Priſcianus, neq; Seruius, Donatus, Diomedes, Caper, Probus nouerunt? ac ne A. quidem Gellius tradere ſciuit? quibus nihil habet omnis lingua latina præſtantius? Si ridicula ſunt, & tibi non obſeruanda, ride Ciceronem ac cæteros, qui iſta tanquam myſteria quædam obſeruarunt. Sed illum alterum locũ fortius premis, &, ut tibi uideris, ſtrangulas. POG. Grãmatici autores, ait, uno uniuerſi ore aiunt: uerba in ſco, ut caleſco, ſignificare inchoationem, ideoq; inchoatiua: in ſo, ut uiſo, deſiderium, ideoq; deſideratiua: in rio, ut eſurio, meditationem, ideoq; meditatiua appellari. In quibus, ait: ab omnibus diſſentio. O' uocem piſtrino & ergaſtulo dignam. Quis hanc petulantiam, temeritatem, audaciam, mordaciſſimi pediculi æquo animo ferre queat? quis non dedignetur ſapientes à ſtulto, doctos ab indocto, peritiſſimos ab ignauiſſimo elegantes ab abſurdo, latinos à barbaro reprehendi? Hicine uir inſulſiſſimus, nulla autoritate, nulla doctrina præditus, omniũ qui uiuant amentiſſimus, ſcribere audet ſe ab omnibus grãmaticis, præſertim talibus, diſſentire? Quæ maiora ſigna demẽtiæ expectantur: quæ maiores inſaniæ faces? qui uiolentiores furiarum ſtimuli, qui mentẽ

Sui uxorem cuſtodit.

Digitized by Google

mentem furibundam agitent, desiderantur? Hic si mentis esset compos, si non arrogans atq; improbus, si non ab omni ratione alienus, nõ adeò se proteruum furentemq; ostẽderet, nullius pretij, uecors, belua, ut omniũ doctorũ uirorum reprehendendorum munus aßumere præ se ferat. Abi in malam crucẽ proterue animal cum istac insulsa inaniq; magniloquentia. LAV. Ecce autores Pogiani, Ecce copia exemplorum huius, qui ait linguam latinam constare autorum exemplis, ecce hominis ingenioſi rationes atq; argumenta (nam eius iudicio secundum ab exemplo locum obtinet ratio) ecce * quod deceat exprobare alteri tam atrocibus maledictis atq; conuicijs. Si non affero autores ego Pogi, & hoc in me uituperas, cur eos ipse nõ affers? ò furcifer, cum ubiq; ego exempla afferam, & quidem plurima atq; adeò autorum omnium, tu tamẽ diſsimulas. Quid, inquies, num illa contra Grammaticos omnes affers? contra omnes, cõtraq; plures, si plures essent, afferrem: non quia quicquam uelim ex illorum laude detractum, sed ut ueritas eruatur. Sunt enim, ut tuis uerbis utar, docti illi quidẽ, peritißimi, elegantes, latini: &, si uis, etiam sapientes, uerum ego doctior, peritior, elegantior, latinior, &, si uerum dixisti de illis, etiã sapientior. Neq; id ratione solum, quam mox subijciam, constat, uerũ & multorum hominum * testimonio dicã: puta Leonardi, Guarini, Auriſpæ, aliorumq; plurimorum, qui de operis mei laude scripserunt: ego * dico tui tuorumq; similium, qui cum refutare nequearis hoc præceptum, profecto comprobaris: quanquam tuam aſsensionem diſsensionemq;, debacchantis hominis, non loquentis, quid ego magnificiam? An gigas auxiliũ hostilitatemq; pomilij hominis, quem nanum uulgo uocãt: curaret? an non te pomilium paßim ostendo, & me Gigantem & plus quàm Gigantem? quippe qui de Prisciani tanquam de Herculis manu clauam eripio? Sunt autem exempla, quæ quisque pro se

* Aſs. ecce quem deceat.

Digitized by Google

assert, quasi illius arma, ut gladius, hasta, clava, quæ cum alter è diuerso secum facere, & contra illum, qui asserebat, ostendit, nimirum gladium aut clauam de manu eripit: &, quod maius est, suis eundem armis ferit. Priscianus hoc de inchoatiuis exemplo Vergiliano utitur: ægrescitq; medendo. quod ego probaui mecum facere, quòd nemo inter curationẽ medicamẽtaq; ægro tare incipit. Attuli quoq; eiusdem Vergilij exemplum: maria incipiunt agitata tumescere. Cui simile est Tullianum illud, cum ait: orationem suam cœpisse canescere. Superuacuum enim futurum fuisse: illud incipiũt, & illud cœpit, si tumescere & canescere significarent inchoationem. Et pro Milone: quanto ille plura miscebat, tanto hic indies magis conualescebat. Certe nihil potest quotidie inchoare, & alia multa, quæ illic disputaui. Deniq;, ut scias, quibus ego nitar exemplis, omnes pro me auctores, omnia huiusce modi apud illos uerba mecũ facere cõtendo. Tu uel unum tecum facere demonstra. Atq; ut aliquid nouæ probationis excogitem, impulsus impudẽtia tua, non ne inchoare & desinere contraria sunt? Atq; si uerba, quæ uocantur Inchoatiua, quæ exeunt in sco, inchoationem significarent, non iungerentur cum uerbo desino, nunc cum desino iuncta reperiuntur, ut apud Quintilianum: Desinis erubescere iam, quòd filium nõ uides, & qualia sunt, quibus omnes utimur: iam arbores desinunt florescere, tu cessas pinguescere, iam fluuius fecit finem tumescẽdi. Extorsi item Herculeam de manu Prisciani clauam, dum de uerbis desideratiuis loquens, exemplo quoq; Vergiliano utitur: Nam memini Hesione uisentem regna sororis Laomedontiadem Priamum: uisentẽ, inquiens, cupientẽ uidere: imò, ut ibi ostendi, euntem ad uidendũ, quod declarat Cicero, cum ait: cupio, & iam pridem cupio, Alexandriam atq; Aegyptum uisere. Quid enim attinet addere cupio, si uiso idem est, quod cupio siue desidero uidere? Verba in rio negaui significare

Inchoatiua uerba.

Desideratiua.

Meditatiua uerba.

Digitized by Google

care meditationem, sed desiderium, ut apud Ciceronem. Vt alias quando dolor populi Romani pariat, quod iam diu parturit. & alia exempla, quæ in Elegantijs attuli, quæ mouissent lapides ad sentiendum, nec tamen te mouere potuerunt: uides scelerate Pogi, ut semper nitor autoritate, & uniuersorũ scriptorũ exemplis, confutans, quoad posßum, ratione etiã opinionẽ grãmaticæ præceptorum? At tu pro tua causa semper inculcas cõuitia, inquiens: POG. Verum quæro, Carmentis ne an sibyllæ alicuius spiritus aut dæmon quispiam familiaris, sicut de Socrate legimus, somniantem illum erudierit, an in antro aliquo Musarum sit diutius ad perdiscendam disciplinam ignorantiæ uersatus, an aculam aliquam tenet absconsam responsis phœbæis plenam, aut libros cæteris ignotos ab inferis eruerit, qui sibi adeò insanire monstrarunt, & nudum odium in cæterorũ opprobriũ populo ostentare. LAV. Velis nolis ignominiose Pogi, significas te admirari acumen inuentorũ meorũ. Qui si uera tradidi, ut certe tradidi, quid ni & tibi & alijs miraculo debeam esse? & tu fateri cogaris: me à Carmente, à sibylla, à Musis, ab Apolline (nam dæmonem & inferos tibi relinquo) educatum, eruditũ, excultũ? Hæc de ijs scriptoribus quos in uniuersum reprehẽdo, nõ de ijs, quos nominatim, quorũ tu patronus tam disertus es, ut magis eos abs te desertos quàm asßertos liceat dicere. Ais enim: POG. Item, quare peccauit Priscianus ad Iulianũ scribens: Tibi ego opus deuoueo omnis eloquentiæ præsul, ut quantumcũq; deus mihi annuerit suscepti operis gloriæ, te comite, quasi sole quodã, dilucidius crescat. Quid magis absurdum, Valla inquit, quàm quem dicas solem tuum, eundem appellare comitem tuũ? O frenetice, sicut in reliquis, ita in hoc Laurenti. Non dicit suũ solem, sed comite, quasi sole quodã lucente. Sed detrahendi libido, addita stultitia & impudẽtia te in præceps trahit. LAV. Freneticus est Pogi, q quod loquitur nõ

intelligit: freneticus est, qui non uulneri, sed sano membro medi camenta apponit, freneticus est, qui lumen non præfert, sed à tergo fert, ut tu facis Pogi, ter frenecticus. Nõ enim ego impro bo in Priſciano, quod dicat illũ ſolem, ut tu ſtolide accipis, nec de uocabulo, ſol, ſed uocabulo, comes, diſputabam, quòd abſur dum eſſet, quem omnis eloquentiæ præſulem & hortatorẽ ſuũ, & cuius mentem ex anima Homeri atq; Vergilij cõpoſitam di ceret, eundem comitem potius appellare, quàm ducem, cũ dux præcedat, comes ſequatur, præſertim cum dicat: uelut ſole. Si quidem ſolem ducẽ habemus, ſicuti candelam, quam, ut dixi, ne mo poſt tergum fert, ſed ante ſe: niſi forte Pogius, qui non ſo lum iſta non intelligit, quiq; libidine mihi detrahendi non uul nus Priſciani ſanat, ſed alligato illius membro nõ ſaucio me uul nerare nititur, & ſolam candelamq; debere ſequi potius pu tat, quàm præire, uerumetiam ait: quaſi ſole quodam lucente: perinde ac ſi poſsit ſol eſſe niſi lucens, & lux niſi fulgens. En nitor Pogianæ facũdiæ, qui nitide loqui docere me uult. POG. Sequitur ueſaniam ſuam Valla, Lactantium incurſans, qui ait: placidiora quæq; animalia, ſcribendum aſſerens: omnia placi diora animalia, & aliquanto poſt, cum Terentij defenſionem attigiſſet, ſubijcit: & quod ſtultitiam ſummã redolet, non ue rebor, inquit, reprehẽdere Boëtium, Priſcianũ, & elegantiorẽ utroq; Lactantium. Quorum Boëtius cũ ſcripſiſſet: noſti quàm facillime, mallem dixiſſe: quàm facile, ait: Priſcianus, ut docerem quàm frequentiſsime. Lactãtius uerò, quàm multa alia. Latinius erat, Laurentius ait: quàm frequenter, & permulta. LAV. Non ne ais Pogi linguam latinam conſtare autorum exemplis? Non ne, ut oſtendi paulo ante, me, etſi falsò, tamen accuſabas, quòd ratione mallem niti quàm autoritate? En ego omnium au torum pro me contra hos tres affero exempla. Tu, ne tibi re pugnes: affer pro his tribus uel unum, aut ex Cicerone, aut ex

LACTANTIVS.

Quinti

Quintiliano, aut ex Salluſtio, aut ex Liuio, aut ex uno quolibet ueterum autorum. Hoc non facis, & tamen illorum ſuſcipis patrocinium, & quia nihil habes, quo & illos protegas, & me uulneres, facis, quod nemo unquam fecit, unde Iuriſconſulti omnes obſtupeſcant, tergiuerſaris, calumniaris, cauillaris, præuaricaris. Nam tergiuerſaris, quia pugnare uis, & tamen ſubterfugis, calumniaris, quia falſa obijcis, cauillaris, quia uerũ euidens per ambages occulere tentas, præuaricaris, quia in me accuſando aut nihil contra me, aut pro me dicis. Quanquam, ô inuicte orator, quis omnino intelligit, quid mihi obijcias? Dum enim occultare iuſtitiam partis meæ uis, nõ referendis ad literã uerbis meis ex illo opere, ſed deprauandis ac decurtandis, totã cauſam excæcaſti. Longe poſt, cum de multis alijs diſſipate blateraſti, ad Lactantium redis, quaſi de eo nihil dixiſſes, inquiens. POG. Addit Lactantium inter eos, quos uelut ignaros linguæ Latinæ caſtiget, qui cum ſcripſiſſet: uenia concedi poteſt imperitis, & qui ſe ſapientes nõ fãtentur: his uerò non poteſt, qui ſapientiam profeſsi &c. ego dixiſſem, inquit, his nõ poteſt, dictionem uerò ſuperuacaneam putãs: deinde quale eſt Lactantij lib. primo: quis mentis emotæ non modo futura prædicere, ſed etiam cohærentia loqui poſſet? Dicẽdum erat ait: ſed uel cohærentia, aut, uel certe, aut, uel ſaltem. Quis nõ hunc bipedalem aſellum rideat, qui etiam Lactantium corrigat? unde huic ſtulto tanta doctrina? tam noua dicendi ars? tam exquiſita facultas innata eſt, ut nouum dicendi morem alijs incognitum introducat? Neſciuit Lactantius Latinam linguam, ut in Laurẽtio Valla opus fuerit emendatore? LAV. Quis ex omni prorſus memoria te ſtultior Pogi, aut etiam malignior? Nouũ dicendi morem, & alijs incognitum introduco? quaſi nullum ego exemplum ueterum afferam, & ſic omnes locutos non dicam? Sed fac me nullum afferre, ut tu calumniaris, cur ipſe non

Digitized by Google

econtrario affers, si habes? si non habes, cur me increpas? cur me asellum uocas homo barbariſsime? qui mecum de lingua latina uis contendere: bipedalem ponens pro bipedem? est enim bipes duorum pedum, ut apud Iuuenalem:

Bipes.

Atq; alium bipedem sibi quærat asellum.

Bipedalis.

Sesquipedalis.

Bipedalis uerò longitudine duorum pedum, ut pedalis unius pedis, & sesquipedalis unius & dimidiati pedis longitudine, ut apud Horatium: Proiecit ampullas, & sesquipedalia uerba.

Rescisc ere.

GELLIVS. POG. *Rescisc ere A. Gellius dicit rem inopinatam esse insperataḿq; cognoscere. Deprecor quoq; supplicium dici. At Valla miror, inquit, de hoc solertisſimo uerborum indagatore, & ei in omnibus contradicit.* LAV. *Semper mea uerba corrũpis, quasi illud opus non extet, & tibi nunquam respõsurus essem. Ego Pogi apud A. Gelliũ, de quo cum præfatione honorifica loquutus sum, negaui absolutam horũ duorum uerborum esse definitionẽ, Erraui? Tuum fuit errorem meũ ostẽdere, nõ autẽ id solum significare, nec A. Gellium posse errare, nec Laurentium posse recte sentire. Nam cum ego & rationes ubiq; affẽram, & autoritates, putas tibi nihil in cõtrarium afferenti, auditores ac iudices assensuros? & nõ potius te tum imperitum, tum calumniatorem arbitraturos?* POG. *Boetium insuper in numerum imperitorum adscribit, inquiens: In quod uitium incidit Boetius lib. 1. in Ciceronis Topica: si non confuse solum, uerum etiam distributim, & in suarũ partium proprietate noscantur. Dicendum erat, ait, non solũ non confuse.* LAV. *Vbi sunt quæso Pogi, quæ contra me profers, exempla? istud'ne est Boetium tutari? Istud est Laurẽtium refutare? Quis puer istud faceret? O' te prudentia puerũ, & malitia senem, qui sceleratamente sumpsisti mea, & de Boetio, & de Lactantio uerba. Nã dixi: forte aliter ab ipsis scriptum est, & me non homines, sed res notare. Iterum postquam aliquot alios autores attigisti, in*

BOETIVS.

Boetiũ

Boetiũ relaberis: inquiens, POG. Boetiũ tum sæpius arguit, tum maxime in ea definitione cum ait: Persona est incõmutabilis naturæ indiuidua substantia. Sed huic homini Romano ostẽdam, inquit Laurentius, Romane loqui nescire. Perstat in sua stultitia Vallea temeritas. Boetium arguit, quòd Romane loqui nesciuit. Si Romane loqui aliud est, quàm Latine loqui, ut tu sentis, quemadmodum posterius apparebit, quid doles uicem eius, qui Romane loqui nesciuit, cũ nec punice, nec persice, nec indice nouerit? Verum subtexamus cætera, & paulopost: Non ut Boetius uoluit, qui nos barbare loqui docuit. Quàm ridendum: Boetius uir omnium doctißimus barbare loquitur? Valla imperitißimus conuitiator Latine Boetium loqui docet? definitionem illius arguit procax belua, tanta peruicacitate, ut in hæresim sæpius incurrat. LAV. Omniũ est doctißimus Boetius? Latine loquendi, an aliarum rerum? Si latine loquẽdi, cur eum nemo imitatur? si aliarum rerum, nihil ad nostrũ propositum, quanquam tu nihil illius nisi libros de consolatione legisti, homo indoctißimus, doctißimorum tamen, si tibi credimus, defensor. An tu putas, quoniam de lingua Latina agimus, sic definiturum fuisse personam M. Tullium, ut eam ab hominibus seclu deret, & ad solum deum relegaret? Ego ne Hieronymũ quidem, nec Ambrosium, nec Hilarium, nec Augustinũ puto. Nam persona hominis, quoq; est, & ibi deus non accipit personam hominis, quæ uere ac proprie id significat quod Græce πρόσωπον, quod ante usurpatũ in homine, quàm in deo. Sed quid disputo contra hominem imperitißimum ac stultißimũ omnium morionum, qui me, contra quem nec rationibus utitur, nec exemplis, arbitratur à se sub umbra Boetij oppressum, atque hæreticum uisum iri, cum & ipse tanquam antichristianus, deos, Herculem, Iouem, cæteraq; huiusmodi numina inuocet, & eius coniunctißimus Nicolaus Nicoli, uir non minimæ

autori

autoritatis, Boetium sit appellare solitus excolaturam bonæ doctrinæ, ut nemo mirari debeat, si cum Boetio de linguæ Latinæ proprietate contendo. At Pogius, ò scabram hominis malignitatem, uetat me etiam contendere cum Alberto Grot, quod interpretantur magnus, familiæ nomen, non hominis agnomẽ: inquiens, POG. Addidit & philosophos. Inquit enim super uerbi suadeo expositione, Quãtum errant philosophi nostri, quorum est Albertus, cum de comparatione dialecticæ & rhetoricæ disputant: huius uerbi significationẽ nescientes, quisquis illos legerit, intelliget. Primum Boetium, quem Albertus philosophum Latinum appellat, tum ipsum Albertum redarguit, homo acutißimi ingenij, q̃ plus ipse somniando didicerat, quàm reliqui legendo. Hic solum se uerborum conscium & interpretem somniat, cum ipse in multis aberret. LAV. Quemadmodum in confutanda calumnia tua Pogi paßim, ut quisq; locus occurrebat, notabam imperitiã tuam, sic nunc in quæstione imperitiæ, etiam calumniæ tuæ, ut quicq; occurrerit calũnioſe dictum, admonebo. Si de omnibus Latinis Pogi sentio, cum dico, philosophi nostri, cur magis Boetiũ nominas, quàm Varronẽ, Ciceronẽ, Senecam, Apuleiũ, Macrobiũ, Martianũ reliquosq;, quos à me dicas reprehensos, ut ignaros differẽtiæ inter suadeo & persuadeo? An quòd ait Albertus Boetium Philosophũ Latinũ: quasi cæteri philosophi latini non sint? Nuquid idcirco id ego sentio, quia dicat Albertus? Sin de recentibus sentio, ut aperte liquet, quid uis de Boetio me sensiße? Sed hoc consuetæ calumniæ tuæ, illud ignorantiæ, quod putas Albertũ loquutum esse eleganter, aut hanc differentiam sciisse, quam, haud scio, an aut recẽtium Aristotelis interpretum, quia Græci pro duobus suadeo & persuadeo unum habent πείθω, aut aliquot iam seculis scriptorum aliquis nouerit, quod tu certe nõ noras, homo indisertus, & indisertorũ patronus, & quod turpius est, diser-

Suadere.

torum

torum oppugnator. Nam & ego disertus sum, & disertissimorum contra te utor exemplis pariter, & rationibus, quorũ causa cõmunis mecum est, ut in eo uno, quod restat. Ais enim, POG. Iustinianum, dicit, & reliquos male sensisse, cum testamentum scripserunt, esse quasi mentis testationẽ. LAV. Quos nam reliquos ego male sensisse dico, sceleστissime calumniator, qui etiã uerba deprauas? Non enim inquit Iustinianus, siue alius, quisquis fuit (nam Iustinianus ne legit quidẽ ista, ut opinor) testamentum appellari quasi testationẽ mentis, sed planè, quod testatio mentis sit, quam ex etymologia definitionem, si primus ego notassem, quid diceres Pogi, cum nunc me accuses sequentem, ut illic testatus sum, A. Gellium, quosdam iurisconsultos ratione confutantem? O te libidine detrahendi cæcum. Superius agebas A. Gellij causam, nunc eum oppugnas. Verũ, ne legẽtes desiderẽt, qd in iurisconsultos A. Gellius, & ego in Iustinianũ, si Iustinianus fuit, afferã, (nã ipse scis, quippe qui in Elegãtijs legisti, quod nunc non confutando satis comprobas) dicam breuiter. Non magis est mens in testamentum, quàm in armamentum, in salsamentum, in atramentũ, in condimentum, in armentum, in ornamentũ, in pauimentum, in tormentũ, in alijs plurimis. Hæc Auli Gellij ratio. Ego tanquam rationis appendicem addidi cum alia, tum hoc: Talia nomina cum suapte natura excant in men, ut uelamen, medicamen, spiramen, munimen, accipere tum syllabam in fine, fieriq; uelamentum, medicamentum, spiramentum, munimẽtum, ubi non magis est mens quàm menta, uel mentum. Sed cur non etiam accusasti Pogi, quòd Donati quoq; illic etymologiam reprehenderim, negauerimq; orationem dici quasi oris rationem, cum dixeris à me reprehendi Donatum. At uide, quantopere reformidem fateri à me reprehendi Donatum, egregium illum quidem & singularem, sed tamen, ut rumparis, Laurentio non multo doctiorem, etsi

Iustinianus. Testamentum. DONATVS. Oratio.

Digitized by Google

etsi uix ei uigilanti lucernam tenere dignus esses, ac ne mihi quidē. Nam te nec pro lucernario meo, nec pro laternario habere uellem. Eius super Terentij Andriam nondū legeram cōmentum, cum composui Elegantias. In eo ait, sepulchrū dictum esse quasi sine pulchro, opinor, uerius dicere cōpositum à se, quod est, seorsum, & pulchrum, quia se in compositiōe longū est. Ideo à sine uoluit componi, quod est breue, quam præpositionem nusquam in compositione inueni. Quod si neq; sine, neq; se pars est huius nominis, certe nec pulchrum pars erit, quod ab illa præpositione pendebat. Erit itaq; hoc nomen simplex, &, ut aperte declarat eius significatio, deriuatum à sepelio. Et sicut à simulatum supino fit simulachrū, & à lauatum, quo ueteres utebātur (ut Ouidius: Mane lauaturas illa petebat aquas,) fit lauacrum, & à supino fultū, fulcrum, & à supino mulctum, mulcrum, sic à supino sepultū fit sepulcrū. Defende in hoc tu Donatum Pogi, si uales, qui nunquam ad linguā Latinam magis aliquid attulisti, quàm Thersites ad eloquentiam Græcam, cuius pœna, qua illum Vlyßes affecit, te manet, imò iam irrogatur. Nam ego in te Vlysses sum, teq; sceptro illo regali uerbero, atq; illis uerbis te dignis increpito:

Sepulchrum. Se & sine in cōpositione.

Simulacrum. Lauacrum. Fulcrum.

Mulcrum.

Θεροίτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητὴς,
ἴσχεο, μὴ δ' ἔθελ' οἶος ἐριξέμεναι βασιλεῦσιν.
οὐ γὰρ ἐγὼ σέο φημὶ χερειότερον βροτὸν ἄλλον
ἔμμεναι, ὅσσοι ἅμ' ἀτρείδῃς ὑπὸ ἴλιον ἦλθον.
τῷ δ', οὐκ ἂν βασιλῆας ἀνὰ στόμ' ἔχων ἀγορεύοις.
καίσειν ὀνείδεά τε προφέροις νόστόν τε φυλάσσοις.
οὐδέτι πω σάφα ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα,
ἢ εὖ, ἠὲ κακῶς νοστήσομεν ὗες ἀχαιῶν.
τῷ δ', νῦν ἀτρείδῃ ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν
ἧσαι ὀνειδίζον, ὅτι οἱ μάλα πολλὰ διδοῦσιν
ἥρωες δαναοί. σὺ δὲ κερτομένων ἀγορεύεις.

ἀλλ'

ἀλλ' ἔκτοι ἐρέω, καὶ δὴ τετελεσμένον ἔσαι.
εἰκέτις ἀφραίνοντα κιχήσομαι ὡς νύπερ ὥδε,
μηκέτ' ἔκητ' ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείκ.
μὴ δ' ἔτι πηλεμάχοιο πατὴς κεκλημένος εἶμι,
εἰ μὴ ἐγὼ σε λαβὼν, ἀνὴρ μὴν φίλα εἵματα δύσω,
χλαῖναν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά, τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω,
πεπληγὼς, ἀγορῆθεν ἀεικέα σὴν ἀπ' ἀγυῖαν.
Ὡς ἄρ' ἔφη, σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον, ἠδὲ καὶ ὤμω
πλῆξεν. Et reliqua.

Accipe Pogi præterea, quod nescio an maius sit, quàm illud Donati, quod in iurisconsultis eiusdem materiæ reprehendo, ut intelligas in omni doctrinarũ genere me non tecum tuíq; similibus, sed cũ summis quibusq; cõtendere, nec Bartolo, Baldo, Accursio cæterisq; recentibus iurisconsultis, sed ueteribus æquandum. Possessio, inquit paulus, appellata est, ut Labeo ait, à pedibus, aliàs à sedibus pedum, quasi positio. Hæc, cũ uenia Labeonis & Pauli, dura sanè est etymologia ac definitio, quia neq; pes neq; positio, reperitur in hoc nomine. Nã πῶς Græcum nequaq; ista ratione cõponitur. Ego ita sentio, ut polluo, ut polluceo, ut polliceor, ut porrigo, ut portendo, ut possum, componitur ex uerbo & particula por, siue pol, siue pos, ita possideo ex hac particula, & uerbo sedeo, cuius supinũ est possessum, unde fit possessio, sicut ab assideo, assessum assessio, à consideo, cõsessum, cõsessio. Quæ formatio cũ sit legitima & aperta, ineptum sit aliam longius atq; operosius accersere. Addam tertium, unde magis mireris, quasi cũ A. Gellio audeã nõ solũ de latinitate, sed etiã de græcitate cõtendere. Ait Gellius: Cum autẽ uocabulũ sit solœcismus, an Attici homines, qui elegãtius locuti sunt, usi eo sint, quæri solet, sed nos neq; Solœcismũ neq; Barbarismum apud Græcorum idoneos adhuc inuenimus. Nã

Iurisconsulti.

Possessio.

Polluo.
Pollucco.
Polliceor.
Porrigo
Possum.
Portendo.

GELLIVS.

Solœcismus.

sicuti

ſicuti βάρβαρον ita σολοῖκον dixerunt, noſtri quoq; antiquiores ſolœcon facile, ſolœciſmum haud ſcio an unquam dixerint. Quod ſi ita eſt, neq; in Græca neq; in Latina lingua ſolœciſmus probe dicitur. Imò in utraq;, A. Gelli, probiſſime. Nã & Græce Ariſtoteles tum atticus, tum elegãs ſcriptor, eo utitur in libris elenchorum, & eum ac cæteros imitati ſunt, cum alij, tum Cicero atq; Quintilianus. Satis, ut ſpero, planum feci: non falſo me quoſdam ueterũ ob utilitatem poſterorum reprehendiſſe in Elegantiarũ libris, prout & ipſi in ſuperioribus ſecerant: reprehẽſuri hæc quoq; in quibuſcũq; alijs, ſi ea animad uertiſſent. Hoc etiã Pogius in his ipſis meis Elegantiarũ libris fecit, ſed recté ne an ſecus, diſpiciamus: quæ eſt ſecunda de imperitia quæſtio. Vbi ſi recte me ille reprehẽdit, ego, ſin ſecus, ipſe iudicetur imperitus. Ita enim me reprehẽdere incipit. PO. Quid autem in illo ſuo perlongo, inſulſo ridiculo, & tali patrono digno primi libri non proœmio, ſed uerborũ & ſomniorum cõgerie cõtinetur? Infinitum eſſet errores omnes proſequi. Verũ paucula ſumam de multis, leguleiũ dixit & architectando. Nunquid habet M. Tulliũ horum egregiorũ uerborum autorem? dixit Romanum imperium ibi eſſe, ubi Romana lingua dominatur. Quis hoc unquam inſolentiſſima beſtia locutus eſt? Vbi nam audiuit linguam romanam dominari? dominantur homines, nõ lingua. Præterea lingua romana eſt, & ea uulgaris, qua ſola utũtur Romani, ut, ſi quibus dominetur, Romanis, ubi eſt in uſu, nõ alijs dominetur. At linguã Latinã dicere uoluit ſtultiſſimus barbarus, quæ nemini dominatur, ſed in uſu eſt, & in precio apud multos. Et alibi lõge etiã poſt, ut diſcerptus eſt in loquẽdo noſter accuſator, & errabundus: Latine tunc homines loquebantur, nõ Romane. LAV. Cætera penè infinita in opus meum Pogiana conuitia referre ſupерſedeo. Non enim mihi pugna cum conuitijs eſt, ſed cum argumentis.

Quod Pog. locos aliquot elegãtiarum ſuarũ imperite emendare conatus ſit.

non

non cum scurrilitatibus, sed cum autoritati bus, non cum laruis, sed cum armis. hæc feriunt, hæc sternunt, hæc uictoriã tradunt: illa uero inania sunt, neq; adiuuantia, neq; lædentia. Quanquam uix magis pollent Pogianæ rationes, quàm nugæ, ita omnia quæ loquitur, sunt nugatoria, adeò nunquã mihi uideor causam egisse faciliorem, nec cum imbecilliore hoste pugnasse. Transeo quod dixit, in illo suo congerie, & suo pro eius, nisi suo uerbum accipit, ut ne quid mali suo suat capiti, & perlongo pro prælongo, & prosequitur, quod nunquã ponitur sine ablatiuo, pro persequitur. Negat apud M. Tullium reperiri leguleius, quasi alium autorẽ afferam, si in suo iudicio insolentissima bestia. Parebo stomacho eius, qui adeò delicatus est, ut nunquã, quantum uidetur, libros de Oratore legerit, in quorum primo hæc uerba sunt: Ita & tibi iurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. Idem faciam in architectari, quoniam autores respuit, & Ciceronis testimonio utar. Is ita in secundo de finibus libro ait: An quòd ita callida, ut optime possit architectari uoluptates. Et in libris ad Herennium, Quos, cũ quatuor sint, tu sex facis, quosq; superius in manibus tuis tunc fuisse dicebas: & in ea sitũ loci cuiusdam ad suum usum cõmodum & arbitriũ fabricari & architectari. O te furiosum Pogi, qui uel alios autores pro nullis habes, uel ipsum, quem tanti facere uideri uis, nihili facis Ciceronem, cum eum in meo sermone uituperas. Siccine fundis hæc uerba insulsa, ridicula, somniculosa? An quæ te insulsum ostendant, ridiculum reddant, etiam à somno, quo ebrius semper opprimeris, excitent? At in lingua romana non me ad unum Ciceronem astringas. Igitur aliorũ quoq; testimonia possum repetere, quod prius quàm facio, paucis ad tuas rationes respondebo. Latine, inquis, tunc homines loquebantur, nõ romane. Ita me Pogi solertissime Græci græce, barbari barbare, hebræi he-

In illo suo cõgerie.
Prælongus.
Perfequi.
Leguleius.
Architectari.
Romane loqui
Latine loqui.

Digitized by Google

braicè, Puteolani puteolanè, Campani campanè loquebantur, Romani romanè non loquebantur? aut nunc romana lingua dicetur, ut ais, qua utuntur Romani, ea non dicetur fuisse lingua romana, qua tunc Romani utebantur? Quid hoc dici possit absurdius? At, inquies, ea fuit lingua latina, non romana, sicut nunc lingua romana non est latina, sed uulgaris, olim nõ fuit. An fuerit diuersa olim lingua eruditorũ, & ineruditorum, quam tu quæstionem inscientissime tractauisti in libello conuiuali, aliàs disputabimus, certe quæ nunc lingua in usu Romanis est, latina appellanda est, etsi multum degenerauit ab illa prisca. Non enim credibile est, aliam quandam, nescio unde, uenisse linguam, & illam ueterem è possessione deiecisse, & in exilium relegasse, atque in insulas deportasse, cum uideamus idem contigisse in lingua grammatice loquentum, quam tu latinam uocas, quæ adeò ab illa ueteri differt, ut uix eam Cicero, si à mortuis redeat, queat intelligere. Est itaq; & olim fuit Romana lingua latina, & latina romana, nisi dicimus latinam, ut genus: romanã, ut speciem. Ita romana utiq; latina erit, quod quærimus, latina non protinus & romana, latina quidem, quia Latinorum fuit, unde Romani oriundi sunt, romana autẽ, quia propter Romanorum maiestatem propagata est, & dignitatem accepit, & præsertim, quod necessarium est, linguam ciuitatis ab ipsa ciuitate nomen accipere, ut Florentinã à Florentia, & Senensem à Sena, & Campanam à Capua, ita Romanam à Roma. Eoq; Græci, ut ad exemplaiam ueniam, nunquam scripsere linguam latinam, sed romanam, & nostros homines dixere romane loqui, non latine, & sic scriptores romanos, non latinos: quale est illud, ut notissimum locum afferamus, scriptum erat Græce, Hebraice, & Latine, quod est Romane. At cur interpres transtulit latine? Quia nihil intererat utro modo trãsferret: nam & romane transferre poterat: at non trãstulit, ut appareat, etsi græce liceat sic dicere, non tamen latine licere.

cere. Afferamus igitur Latinorum testimonia. Cicero in Bruto: Voce erudita, & romanis græcisq; auribus digna. Nempe latinis auribus & græcis. Vergilius in Georgicis: Ascræumq; cano romana per oppida carmen. Non romanam potentiam sentit, sed latinas urbes. Horatius de arte poëtica: Et data romanis uenia est indigna poëtis. Paucissimi romani poëtæ fuerunt, ergo latinos intelligit. Cædite romani scriptores, cædite graij. Hic quoq; de poëtis loquens, eos in græcos romanosq; partitur, certe latinos significans, non quirites. Nam nec Vergilius, nec ipse, quem laudabat, nec Horatius, nec Ouidius, nec Ennius, nec Plautus, nec Terentius, nec alius quisquam ferè ciuis Romanus fuit, nisi forsitan ciuitate donatus. Lucanus in septimo: Romani maximus autor Tullius eloquij, certe latini. Nam si latine tunc loquentes & non romane loquebantur, non dixisset romani eloquij, sed latini. Seneca: quid proderit facilitas? ecce id nullo modo latine exprimere possem, propter quod linguæ meæ conuitium fecerim. Magis damnabis angustias romanas, si scieris unam syllabam esse, quam imitari non possum. Cernis, ut eandem dicat latinam & romanam, & suam etiam linguam? Quintilianus: Sed hæc diuisio mea ad Græcũ sermonem præcipue pertinet. Nã & maxima ex parte romanus inde cõuersus est. Et de uerbo epirediũ loquens, inquit: Nã cum sit ἐπὶ præpositio græca, reda gallicũ, nec Græcus tamen nec Gallus utitur cõpositio, Romani suũ ex utroq; fecerunt. Vides, ut sermo romanus idẽ, qui latinus est? & epiredium uox romana, quæ tamen est uox latina? Et iterum de autoribus loquens, inquit: Idem nobis per Romanos autores ordo ducendus est. Itaq;, ut apud illos Homerus, sic apud nos Vergilius auspicatissimũ dederit exordium. Cur nõ dixit latinos autores? Et paulo post: Terẽtius Varro, ut Romanorũ eruditissimus, plurimos hic libros & doctissimos cõposuit. Et ibidem: Adeò, ut mihi sermo romanus nõ recipere uideatur illã solis con Epiredium.

Digitized by Google

ceſſam Atticis uenerem. Quis eſt quæſo ſermo romanus, uulgaris ne, ut tuo utar uerbo? At tu negas tunc fuiſſe uulgarem. Tametſi, etiamſi fatereris, non niſi de latino loqui Quintilianus eſt exiſtimandus. Et aliquanto poſt in eodem loco: Superſunt qui de philoſophia ſcripſerũt, quo in genere pauciſſimos adhuc eloquentes literæ romanæ tulerunt. Quænam ſunt Pogi literæ romanæ? nonne latinæ? Ergo lingua romana eadem quæ latina. Quod fatetur Macrobius, in eo, quẽ ſuprà attigi, loco, cum inquit: Ne ſicubi nos, ſub alio ortos cœlo, latinæ linguæ uena non adiuuet, ut æqui boniq; conſulant, & in meo ſermone natiua romani oris elegantia deſyderetur. Hieronymus, ſuper Ioël: Quod Veſpaſianus & Titus, Romæ templo ædificato, uaſa templi, & uniuerſa donaria in delubro illius conſecrarunt, quæ græca & romana narrat hiſtoria. Boëtius ſuper librum περὶ ἑρμηνείας cõmento ſecundo: Ergo omne Ariſtotelis opus, quodcunq; in manus uenerit, in Romanũ ſtilum uertens, eorum omnium cõmenta latina oratione perſcribam. Quid dicam A. Gellium, Diomedem, Donatum, Seruium, Priſcianũ, & alios plurimos ita loquutos? Dies me deficiet omnia illorum exempla repetentem: quibus uniuerſis tu Pogi, qui te facis eorum patronũ, contradicis, cũ mihi contradicere uis. Ego cum te refello, non quidem illis patrociniũ præſto, ſed ab eis patrocinium poſco. Hactenus de reprehẽſione uerbi. Nunc de reprehenſione rei. Negas licere dicere, romanã linguam dominari. Si hoc non licet, quia homines, non lingua dominatur, cur ais linguã romanam dominari Romanis, ubi in uſu eſt? ſi licet, cur me ita dicentem inſectaris? Niſi forte lingua romana ſuis dominari poterit, alienis non poterit. Imò ſuis non poteſt, ſicut nec Romani dominantur ſibi, ſed alijs. Nam pro Romanis, linguam romanam poſui, quãtum ad propaginem linguæ romanæ pertinebat, qui tropus eſt uel frequentiſſimus, ſed tibi, ut cætera bona, ignotiſſimus, qui putas uenuſtius dici, ex Britãnis, quàm

Literæ romanæ.

Romana lingua dominatur.

Digitized by Google

nis, quàm ex Britannia, qui tropus est insolentior. De quo mox dicam, ubi paulum de calumnia tua dixero. Non enim ita abrupte illa uerba dixi, sed quemadmodum Cicero, post multa de morte Seruij Sulpitij, qui in itinere ad M. Antonium fuerat defunctus, intulit, Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit: sic ego post illa, & sicut gemma, aureo inclusa anulo, non deornamento est, sed ornamento, ita noster sermo, accedens aliorum sermoni uernaculo, contulit splendorem, non sustulit, neque enim armis, aut cruore, aut bellis dominatum adeptus est, sed beneficijs, amore, concordia. Et mox: amissimus regnum atque dominatum, tametsi non nostra, sed temporum culpa. Verùtamen per hunc splendidiorem dominatum in magna adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyrium, multæq; aliæ nationes, intuli: ibi nanque Romanum imperium est, ubicunq; romana lingua dominatur, de dicendi tropo Cicero ita in III. de Oratore tradidit: Ne illa quidem traductio atque immutatio in uerbo quandam fabricationem habet, sed in oratione: Africa terribili tremit horrida terra tumultu, pro Afris est sumpta Africa. &: Desine Roma tuos hostes, testes sunt campi magni: grauis est modus in ornatu orationis, & sæpe sumendus, ex quo genere hæc sunt: Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro uino, Neptunum pro mari, curiam pro senatu, campum pro comitijs, togam pro pace, arma pro telis, pro bello, & alia plura. Sed multo plura Quintilianus, cuius unum, quod è Cicerone sumit, exemplum sufficerit: Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? * quàm Romana lingua dominatur? quod conuenit cum illo pro Archia: Hæc studia literarij nobiscum pernoctant, peregrinãtur, rusticantur. & alia infinita

Digitized by Google

exempla. Sed res cæcis quoq; , ut inquit Plato, clara est, cætera exequamur. POG. Sed Prisciano, inquit, eruditorũ nuperrimo potissimũ respondebo. Cur qui de latinæ linguæ elegantia scripturum se profitetur, tam inelegans, tam elinguis est, tam barbarus, tam ignarus, omni eruditione carens & elegantia? Nuper, tempus paulo ante præteritũ significat. Nuperrimum uerbũ, ab eo solo male compositum, non octingentorum amplius annorum tempus significare potest. Sed ubinam belua insana nuperrimum hominem scriptum legit? nunquid apud ueteres, Titum Liuium, Sallustium, aut Quintilianũ, diuitias suas, per casus declinatum comperit? Non dico, quàm inscite, quàm indocte, quàm impudenter, quàm falso sua illa ceruina leuitate se nihil scire demonstrat, cum talium tantorumq; uirorum autoritatem & doctrinam suæ insulsissimæ postponit opinioni, illud potius quæro, unde, aut à quibus autoribus hæc monstruosa uerborum portenta sit expiscatus. LAV. Quoniã uerba Pogi semper sententias q; inuoluis, necesse habeo redigere ad capita, quæ obijcis. Obijcis, quod nuperrimum solus ego composuerim, quod compositum non est, sed esto dixeris deriuauerim: quòd eius significatione abusus sim, quasi recte quis uti uerbo queat, quo uti non debet, tanquam male formato, quo q; nemo est usus. Accipe, cur recte & deriuatum sit hoc superlatiuum, non à me, sed ab alijs, & à me usurpatum. Priscianus, cuius tu Pogi aduocatus es, imò cuius caput, ut uulgò dicitur, frangis assidue, ita in tertio ait: Nuperrimus etiam superlatiuum proferebant antiquissimi, qui superlatiuus gradus magis ab aduerbio in er definente uidetur nasci. Nomen enim positiuum in us desinit, ut Capro uidetur, nuperus, cuius accusatiuum Plautus profert in Capt. recens captum hominem, nuperum, & nouitium. & bene, ut super superus, sic nuperus debet esse. Vides, ut tu ea, quæ à me exigis, Priscianus probat? nuperũ recte formari, & hominem significare, idq;

Nuperrimus.

Nuperus, Superus.

Digitized by Google

ꝺꝺq̃ non modo apud ueteres, sed etiam apud ueterrimos reperiri, etiam Quintiliano, Liuio, Sallustio uetustiores? quos cur nunc nominaueris, non facta Ciceronis mentione, nescio, nisi dubitas hoc apud illum inueniri, ut ad Herennium, Aut quod ille nuperrime dixerit, id est, ultimo & nouissime. Et postea quæris, unde monstruosa uerborum portenta expiscatus sim. Portentose ne loquitur Cicero, cum utitur leguleius, architectari, nuperrime? Tu melius, qui monstruosa portenta ais, nõ secius, ac si diceres monstruosa monstra, & portentosa portẽta. Taceo quòd inquis monstruosa pro monstrosa. At non de tam longo tẽporis spatio dici potest nuperrimus. Hoc facit imperitia tua Pogi, qui sentis nuper significare tempus paulo ante præteritum, quam significationem aduerbijs dudum in Elegantijs tradidi, & nuper complecti multa aliquando secula, ut Cicero de diuinatione: Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inuenta est, hac de re communis uita dubitauit. Idem de Amicitia: Neque enim assentior ijs, qui nuper hæc disserere cœperunt, cum corporibus animas interire, atque omnia morte deleri, & alia in ijsdem Elegantijs multa. Ego Priscianum sequutus, sic dixi nuperrimum pro nouissimum siue ultimum, ut Cicero illud suum, & alij nonnulli, quorum exempla iam referre ocioſum est. POG. Verbum præclarum bonum quandoque significare dicit. Affert testem Ciceronem, quem minime intelligit, O præclarum custodem ouium, ut aiunt, lupum. Non claritas in custode desyderatur, ait, sed probitas. Ergo præclarum pro bono posuit. O præclaram crassamq; dementiam. Etiam pueris hoc patet: præclarum, per eironiam dictum, cum contra Marcum Antonium loqueretur. At ignorantiæ magister in laudem dictum putat. LAV. Ita mihi contingat propitios habere in hac causa iudices, ut neminem illiteratorum, quos noui, reor ita stulte, ita fatue, ita pueriliter fuisse locutũ, ut Pogius fecit. Ait

Portenta monstruosa. Monstrosus.

Nuper.

cit. Ait me putare hoc dictum esse in laudem. In cuius quæso laudem Pogi? lupi ne, quòd sit uel bonus, uel clarus ouium custos? lupum ne ego pro præclaro ouiũ custode puto à Cicerone laudari, à quo scio scriptũ: Cum canes fungantur officio luporum, cuinã pecuaria credemus? At, inquis, si per eroniam sentio esse dictũ, contra me esse loquor. Quoniã id modo probas Pogi pueris puerilior? ut semper, quod alijs obijcis, in te ipsum recidat. Nũquid uerba per eroniam dicta, non idem, quod eronia significant? ut si dicam: O doctũ, ò acutum, ò sobrium Pogium, tam etsi ego in alium id sensum loquor, Nonne hæc tria adiectiua suum sigmficatum retinent? idem fit in illo Tulliano. Sed quia non de claritate tunc agebatur, quæ nec in lupum cadit, nec in pastore desyderatur, sed de bonitate, dixi, perinde dictum esse: ò præclarum custodẽ, ac si dictũ esset per eroniam: ò bonum custodẽ. Vides ut eronia nihil immutat? Ergo quare Cicero dixit, ò præclarũ: & non, ò bonum custodẽ? Nempè quia idem hæc duo significãt, hoc est, quod ego admonere uolui, præclarum accipi pro bono, quod tu præclarus emendator uituperandũ duxisti, ut non quærat, quemadmodum Cicero inquit, quem appellet ineptum qui Pogiũ cognouerit. POG. Principium procemij libri Elegantiarum quinti ampullosum est, & uanitate plenũ. Tertius mihi, ait, & propè quartus annus agitur peregrinanti semper, & per omnia maria uolitanti, proxima etiam æstate, & quidẽ totam militiam experto. Quod utrũ honestiore, an magis necessaria causa fecerim, nescio. At ego scio te necessitate coactũ, Regem Arragonum edendi necessitate sequutum fuisse. LAV. Ais ampullosum principium esse, & uanitate plenum, in quo de necessitate mea confiteor. Ille ampulloſe & glorioſe loquitur, qui se iactat, qui non se peregrinari, nauigare, militiam experiri coactũ fuisse narrat. Nam coactũ me potius, quàm honesta causa ductum, tu, etsi nescis, affirmas, & te scire ais, me secutum esse Regẽ Arragonum

Præclarus.

Ampulloſe loqui.

gonũ neceſsitate edendi. Quid tu Papam tamdiu ſecutus es? certe neceſsitate potandi. Et quod Samaritana petijt à CHRISTO, & forſitan impetrauit, id tu ab eius uicario priuilegium, ut aiunt, impetraſti, ne unquam ſitires, ut ebrij ſolent, hoc tamen impetrare non dico non potuiſti, ſed noluiſti, ne unquam temulentus eſſes: ſed reddamus cætera tua uerba. POG. Quamuis quis barbarus ſic loqtur, ut tertius & propè quartus annus agitur, dicat? quod hoc eſt ænigma? ferè, non propè dicendũ fuit. Quo eſt enim modo annus quartus propè tertium, loco ne, an tempore? ſi tẽpore, exprime illud, qua ſit propinquitate. LAV. Vere ænigma, loquor uocabula noua, dura, obſoleta, dic quæſo per Herculem, modo per Liberum, propè quid ſit? nũ intelligis tanquam ænigma? ſi hoc eſt ita, quid illud exponis, quaſi intelligas, cum percontaris qua propinquitate annus quartus eſt propè tertiũ? atque, ut ad interrogata reſpondeam, ea propinquitate eſt quartus annus prope tertium, qua tertius prope quartum, hoc tu dubitas temulente? hoc tibi quærendum putas, quomodo ſit tertius propè quartum? hunc ſermonem in me reprehendis? O cucurbitariũ cerebrum, quæris de tempore, an aliud ſit alij uicinũ loco an tempore? Quomodo poteſt propinquitas loci aut longinquitas cadere in tempus, quæ diuerſa ſtatuit Ariſtoteles prædicamenta? Etiam de tempore interrogaſſe ſtultiſsimum puto, an tempus tempori uicinum ſit tempore, ſed quãto ſpatio temporis. Sed nunquid Ariſtoteles idem ſic diſputare te docuit, ut duabus poſitis partibus, unam, & quidem priorem, omittas? loco ne, inquis, an tempore? cur mox de loco nihil loqueris, ſed tantum de tempore? Sed quid plura de ineptia tua? Vt autem de re breuiter reſpondeam, ſic illud dixi, ut dicerem: Pogius eſt ſeptuagenarius & propè octogenarius: Pogius ſolidum propè annum conſumpſit in fabricanda inuectiua: Pogius eſt propè decrepitus: Pogius eſt propè demens: Pogius eſt propè ſingulari ſtultitia: qualia

Annus tertius, loco ne an tempore prope quartum ſit.

Prope.

Digitized by Google

sunt infinita exemplа, & omnibus, nisi uni Pogio, nota. Subdidit quoq; POG. Nam per maria uolitanti, quis unquam uolitare per maria se dixit? nisi Dædali more alis sumptis per tot maria uolitauit? Rectius cerebrum suum ex plumis confectum dixisset per maria uolitasse. LAV. Ego Pogi alas habeo, quales uel Mercurius, uel Perseus fertur habuisse, tu in brachijs, quas hircinas uocant (nam hircus es) & illis Dædaleis maiores, & iam albis plumis similes. Vetule caper, quando latinam linguam discis? uolitare etiam de non uolantibus dici, idque frequentius, ut docet Ciccro in primo de Oratore: Nã uolitare in foro, hærere in iure, atque prætorum tribunalibus, & Quintilianus: Me per omnia maria uolitantem, ut plus filio relinquerem, circumuenit sæuius ipso mari latrocinium, & alij complures autores, quorum cerebrum ex plumis confectum esse uis Pogi, illorum causæ defensor. Ostendi tibi, quis dixerit hominem uolitare per maria. Nam Dædalus, sicut uolucres, non per maria, ut tu uolucris dicis, sed supra maria uolitauit. Tu mihi ostende, quis unquam dixerit: strabitur, ut tu, qui ais. POG. Non tapetibus, sed pellibus strabitur hircinis. LAV. Et postea miraris te reprehendi à pueris? Ego ne coronam lauream quidem dicerem, cum laurea sit substantiuum. Nam cum ais lauream coronam, laurinam intelligebas. Illud quoq; uelim ostendas, ubi repereris. POG. Cum his nymphæ syluestres, & maris accolæ, monstra ingentia, honorem sui generis homini impertientur. LAV. Accola enim dicitur, qui iuxta locum colit, non qui in loco, & impertior deponens apud quos ueterum inueniſti? Nunquid Sallustium, Liuium, Quintilianum, Ciceronem? Nam illud iam aliquoties reprehendi. POG. Scio hæc plurimum sibi displicebunt. LAV. Quod sibi pro ei. Illud quoq; non minus turpe est. POG. Hac illac circunferens. LAV. Pro huc, illuc, quod quiuis puer reprehenderet, nedum ille, ut in ea ætate, satis excultus. Verum iam ad

Volitare.

Strabitur.

Corona laurea.

Accola, Impertior,

Sibi.

Huc illuc oculos circunferre.

extremum.

Digitized by Google

extremum nolo hæc à me neque superiora in Pogio esse repre-
hensa. Quinimo laudo Pogium, & si mihi inimicissimum, tamen
doctissimum, eruditissimum, facundissimum prædico. Nam alio-
qui quæ laus foret, si tanquam Scipio Siphacem non Hannibalem
deuicissem? Fuit igitur, cũ quo pugnaui, Pogius, uelut Hannibal,
aut Pyrrhus, qui bellum Romano populo intulit. Hic tamen tam
strenuus, tam fortis, ut sic dicam, eloquentiæ imperator, nihil un-
quam mearum copiarum profligauit, cæpit, fugauit. Hæc enim
sunt omnino, quæ obijcienda operi meo putauit, quæ frustra obie
cit, quæ etiam, ut opinor, obiecisse iam pœnitet. O igitur opus
ipsum præclarum, ò libros omnũ lectione dignos, ò aurea Lau-
rentij præcepta, quæ in ardentissima fornace Pogiana, nihil ta-
men damni fecerunt. Quantum ego debeo Pogio meo? non pos-
sum non gratias agere, quãuis ille non facile patitur, ut me sibi
debere prædicem, doleatq; iactare beneficium suum, & hãc quasi
inanem gloriam respuit. Ego tamen officio meo fungar, & cui
debeo, me debere confitebor. Pace uestra dixerim, amici mei, etsi
præstantissimi uiri, plus uni Pogio debeo, quàm uobis uniuersis.
Quippe de opere meo melius, quàm uos, meritus est, quoquo id
animo fecit. Vos enim, cum libros meos laudatis, non magis iu-
dicio, quàm amore, humanitate, studio, obsequio, gratificandi
denique gratia laudare uidemini. At cũ quis odio, inuidia,
æmulatione, nocendi auiditate, ut nũc Pogius, repre-
hẽdere nititur, captat, & laborat, quãlibet uelu
ti corporis partẽ ferire non potest. Quæ
tandẽ maior laus desyderatur? Lau-
dat enim, & maxime laudat,
qui uituperandi cupidissi-
mus, uituperare
non potest.

LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI

atq; de lingua Latina bene meriti Antidoti in Pogium ad Nicolaum quintum Pontificem Max. Lib. III.

ROFLIGAVIMVS iam Pogianas quinq; legiones cũ ipso Pogio latronum ac barbarorum duce, tres quidem sub signis calũniæ, duas autẽ sub imperitiæ uexillis. Supest sextũ, quod in nostra partitione promisimus, ut de superato captoq; hoste triũphemus. Verum quoniã hic ante pugnam in suis castris tanquam de me uicto triumphauit, siue me, quasi uere triumphaturus non essem, per ludibrium fecit triumphantẽ, referam, qualis ille Pogianus triumphus fuerit: cuius ex comparatione fiat illustrior Laurentianus, ut nemo non iudicaturus sit, illum triumphum Pogianum ipso autore & machinatore dignum. Cuius species hæc est, quemadmodum ab eo describitur. POG. Itaque, ut Florentini solent in festis suis aliquando curru triumphali insanos uehere, quod est iocundissimum spectaculum, ita nos isti triumphum decernamus, tanquã doctorum omnium uictori, ob omneis gentes ingenij acumine superatas. Currus itaque erit non ex ebore (nam id quidem uulgare uidetur) sed ex Gigantum ossibus compactus, ut homo immanis immanium corporum robore uehatur: non tapetibus, sed pellibus strabitur hircinis, triumphantis naturam redolentibus: ipse astans, alteraq; manu sphingem, altera phœnicem gestans, hallucinanti persimilis, oculosq; fanaticos hac illac circunferens: coronam gestabit in capite ex foliis lauri coctis, lucanicis immixtis, ut aliquo suaui odore nauseantis comitum fastidio mens fessa reficiatur. Corui in sponda currus uoce illa perblanda

blanda nouello philosopho alludent, noctuæ ac bubones circumaduolabunt. LAV. Et alia huiuscemodi, ad centum fermè uersus, quæ, ne operi meo ueluti sordes aspergant, neue grauium ac proborum hominum aures offendant, non omnia mihi subijcienda duco. Pogium ista decent, qui librum de spurcitijs scripsit. Ego ab obscœnis non modo linguam continere, sed etiam aures oculosq; auertere consueui. Si quis tamen cætera discere uult, apud illum potius legat, quem nihil fœdum nec dicere, nec audire, quem nihil, nec uidere, nec scribere, quem nihil nec agere, nec pati pudet. Nam etiam in his obscœnitatibus facundum se ad extremum fuisse gloriatur, inquiens. POG. Credo ijs, qui legent, non barbare, sed satis latine, satis aperte, satis facunde putabunt à me eius ignorantiã, amentiam insaniã, procacitatem, temeritatẽ, proteruiam esse descriptam. LAV. Satis latine Pogi, fateor, qui dativum pro nominativo posuisti: siue uerbum putabũt pro uerbo uidebitur. POG. Quod si hæc illi parum belle à me compacta uidebuntur, afferam alia in alio dicendi genere, & longiori forsitan oratione aliũ decernemus triumphum, ut ampliorem illi reprehẽdendi nos materiã præbeamus. LAV. Et alia multa, quibus si quid tibi respondero, scripturũ minitaris, & à respondendo deterres. Sed cur quæso Pogi minitaris mihi? Elaborasti ut latine, ut eleganter, ut facunde scriberes, ne quam mihi præberes ad te reprehẽdendum ansam, & tanquam hoc consecutus sis, de me triumphasti: me captiuum aligatumq; per ora populorum deduxisti. Quid ergo nunc opus est minis atque minatijs, ut Plautus ait: Turpe est uictori uicto irasci, & minari ac metum ostendere, timoris est signum: generosus animus & suæ sibi uirtutis cõscius, nõ uerbis absterret hostem, non se magna facturum iactat. Canis, cum latrat, non satis se mordere significat. Itaq; cum me à respondendo tibi Pogi deterres, non mihi, sed tibi ipsi consulere uideris, & de tuo so-

Iis, qui legent, putabunt,

lius

lius periculo esse solicitus. Sed quid faciam Pogio? an mihi denegare triumphum potes post uictoriam, qui ipse ante conspectum hostem triumphastis? Tecum pugnaui, te uici, te cæpi, quid, nisi ut de tanta uictoria triumphum deportem, superest? An te ne captum in triumpho ducam, obsecras? quod Persarum rex ab Aemylio Paulo obsecrauit. Tribuerem tibi istud, nisi rebellaturum ostenderes, & te mihi immanem, sæuum, barbarumq; hostem præbuisses. Triumphabo igitur de te, cui tuipse per insaniam triumphum comminatus es. Nec mihi integrum est ab hac re supersedere, cum senatui populoq; romano pollicitus sim, omnes me captiuos illis in media urbe repræsentaturum: id est: iudicibus, quæ nam in te reprehendissem, si reprehensor fuissem, demonstraturum. Distinguam autem hunc honorem meum in ostentationem ducis captiui, & captiuos cæteros. Ostentatio captiui ducis sit: demonstrare eum breuiter ab omni eloquentia alienum, qualem Leonardus Aretinus describere solebat, cum diceret: Pogio ligonem aptiorem esse, quam calamum. Non quæram longius documenta infantiæ Pogianæ, ne è multis opportunissimum reprehensioni locum desumpsisse uidear. Ex ipso statim Inuectiuæ principio, etsi alia sunt multo aptiora loca, hoc licet planum manifestumq; faciamus. Sic enim incipit. POG. Si quibus in rebus honestum est, consensuq; omnium permissum, iniuriam propulsare, in his maxime pudentis hominis officium esse debet, ut contumeliam depellat, in quibus honoris & existimationis laus, aut ingenij fama à maleuolis in discrimen adduci uideatur. Conscium enim eorum, quæ obijciuntur, se facere existimatur, qui taciturnitate utitur pro defensione, quoniam censetur quasi conscientia ductus, non esse aujus improborum maledicentiæ respondere. LAV. In his pauculis uersiculis tot uitia? Omitto quòd hexametri initio orsus est, & quidem tam insigni, quod uctatur, quodq; accommodatus erat: in his certe, uel in

Triumphus de hoste deuicto.

Exordium inuectiuæ.

Pogij uitiosum & ineptū.

uel in his profecto, quàm in his maxime. Primum dixit, esse debet, pro est, aut pro uideri debet. Non enim nunc præcepta dantur boni uiri, qualis debeat esse, sed, qualis sit. Deinde, totum id superuacaneum est: pudentis officium hominis esse debet, nam quid attinet ista dicere, ubi dixeris: si quibus in rebus honestum est? an non honestum, cum dicis, pudentis hominis officium, complecteris? quid nũc uariare uerba oportuit, & mutare illud propulsare in depellere? & iniuriam in contumeliam? & cum dixeris contumeliam, tot uerba inculcare, contumeliam declarãtia: in quibus honoris, & cætera? Deinde cur per distributiuam dictum est illud: aut ingenij fama: quasi ingenij fama non pertineat ad existimationem, & aliud sit fama, quàm existimatio? Deinde, quid est existimationis laus? nonne cum quis dicitur esse magnæ existimatiõis, id dicitur, quòd magnæ famæ sit, ac magnæ laudis? absurdum igitur est dicere: honoris & existimationis laus. Deinde, quòd illæ ipsæ res in quibus ais discrimen uersari honoris, existimationis, laudis, ingenij, famæ, nihil aliud sunt, quàm hæc ipsa, honor, & reliqua, ut nequeant in se ipsis adduci in discrimen. Deinde quòd illud, à maleuolis: redundat: nã nisi à maleuolis alicuius existimatio in periculum adducatur, profecto nõ est iniuria. Deinde: quòd pro adducitur dixit: adduci uideatur: minus peccaturus, si dixisset, uidetur. Nũc & superflue id uerbũ addidit, &, ut amplior sonus foret, extendit: more istorũ, quos Quintilianus deridet: arbitrantes se loqui Tulliane, si in clausula hoc posuissent. esse uideatur: nec intelligit sua se loquendi ambitione finem hexametri, & penè totũ hexametrũ admisisse. Quæ uitia ideo noster Pogius incurrit, imò accersit (nã * in illo maius est, id est, mala affectatio) quòd laborat ea ambitione, quam notat Quintilianus: cũ inquit: Est etiã in quibusdam turba inanium uerborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere uo

cere uolunt. Nam nisi hæc Pogium peruertisset ambitio, sic dixisset: si quando honestum est consensuq; omnium permissum, iniuriam propulsare, tunc certe honestum permissumq; est, cum honor & existimatio in discrimen adducitur. Non minus insigne est hoc uitium in eo, quod sequitur. Nam pro ratione propositionis, ipsam propositionem repetit, uerbis tantum mutatis. Ibi nanque posuit enim, hic, quoniam, ibi existimatur: hic censetur: ibi conscium se facere, hic quasi conscientia ductus: ibi taciturnitate utitur pro defensione, hic non est ausus respondere: ibi eorum quæ obijciuntur, hic improborum maledicentiæ. Totus est talis Pogius, ut eius propè plura sint errata, quàm uerba, Quanquam hic uitium repetendi, & sententias ac uerba eodem tendentia inculcandi, apud indoctos peperit ei aliquid famæ facile dicendi, quæ potius est negligentia, supinitas, imperitia dicendi, atque, ut dixi, mala affectatio. Ostendi latronum ducem, nunc ipsos latrones, quos in prælio habuit, quosq; in suis, quas expugnauimus, urbibus collocauerat, sub ferro deinde cepisse ostendamus.

IN LIBRO PRIMO EPISTOLARVM POGII.

Cõmuniter. Fere.

POG. Post uerba quæ primo cõgressu cõmuniter haberi solent. LAV. Cõmuniter, accipis more barbare loquentiũ, pro ferè, de quo dixi in Elegãtijs. Nã cõmuniter pariter dicimus, ut cõmuniter in hanc rẽ cõcurrerunt. POG. Qui admodũ soliciti atq; intẽti existunt. LAV. Soliciti pro diligẽtes accipis, & existunt pro sunt, quod uerbũ nunquã participio iungitur significatq; apparere potius, & extare, ut in Elegantijs. POG. Si quæris quid agã, statur. LAV. Male Terentiũ es imitatus qui ait: qd agitur? statur: quiq; istud tuũ dixisset: quid agam? sto. quãquam statur, barbare accipis, pro nihil agitur. POG. Conduxi domunculã penes flumen. LAV. Penes flumen pro iuxta, aut

Solicitus. Existere.

Quid agitur? statur.

Penes.

prope,

Digitized by Google

propè, aut secundum, aut secus, ut quidã, utũtur, ubi reperisti? Secundum. Secus.
POG. Melones * atq; intermedio emẽdos censebat. LAV. Intermedius, in Ciceronis oratore dũtaxat, quãtũ memini, legi, & haud scio an sit emendate scriptũ, sed ibi adiectiuũ est, nam Intermedius. uerba hæc sunt: est aũt quidã interiectus intermedius, & quasi temperatus, hic apud te substantiuum. POG. Nulla hic audio noua. LAV. Pro nihil noui, dicis nulla noua uidelicet: accipis Nihil noui. nouũ pro nunciũ, ut uulgus ineruditũ. POG. Nescio quod ca Nouum. stellum secessionẽ parat. LAV. Defectionẽ siue rebellionẽ dicere debebas. Secessit olim plebs Romana à patribus, dicimus, Defectio & quæ sunt id genus, nõ aũt: secessit castellũ aut urbs. POG. Rebellio deinde sociassem te usq; ad mõtẽ qui imminet urbi, tuũ postre- Secedere mo obtulissem tibi Pogiũ. LAV. Sociassem dixisti pro deduxis- Deducere sem, siue comitatus essem, & postremo superuacue. POG. Sed Sociare. credidi te redituru ad Curiam, quod posteaquàm factũ non est. Postremo LAV. Cur tam sæpe ponis postcaq̃ pro quoniã? POG. Nõ so- Posteaquam licitante me eam rẽ cœpisti. Et iterũ: putabã te quoq; post di- pro quoniam sessum tuũ, absq; ulla solicitatiõe mea, quod cœperas pfeciße. LAV. Solicitare nullies aliter ponis, quàm docti consueuerunt. POG. Scripsissem ad te olim, sed expectaui in diẽ à te literas. Solicitare LAV. In diem ponis pro propediem, quæ in Elegantijs tradi- In diem. tur differentia. POG. Vir ingenij minime opulentis. LAV. Propediem. Opulenti aut tu scribere debuisti, aut librarius. POG. Scripsi dudum postq̃ redij ad Curiam ex Britannis. LAV. Dudũ uix Dudum. ultra horam tẽpus significat, ut dixi in Elegantijs. POG. Vt Vt plurimum. plurimum. LAV. Cur tam frequenter uteris, ut plurimũ: quod nusquã apud Ciceronẽ reperisti? Perpendo pro intelligo nõ re Perpendo. cte cum uulgo accipis: cũ significet ponderare & æstimare, ut in Elegantijs tradidi. POG. Non quid cæteri faciãt mali, sed, qd boni nostra essẽt facere, cõsideremus. LAV. Eßet posuisti Esse, p interesse pro interest. POG. Petrum de Pisanis admodum diligo: tum Tum propter.

Digitized by Google

propter eius probitatẽ: tũ propter in me obſeruantiã. LAV. Vereris dicere propter obſeruãtiã, ergo dicendũ erat: propter eius, ſiue, propter ſuã tum probitatẽ, tum in me obſeruantiam.

Si quod, pro ſi quid. POG. Rogauit, ut ſi quod ad me ſcripſeris, reſcribã. LAV.

Nedum, Si quod, pro ſi quid. POG. At ipſe nedum orationes remiſit, ſed ne uerbũ quidẽ reſpõdit ullũ. LAV. Dicendũ erat: At ipſe non modo orationes non remiſit, ſed, &c. nam nedum ſemper in ſecũdo mẽbro habet locũ, quẽadmodum in Elegãtijs docui: quale eſſet: at ipſe nullũ uerbũ reſpõdit, nedum orationes nõ remiſit. Ex quo cõſtat unã quoq; á Pogio omiſſam negationẽ.

Expendit Impendit Talis. POG. Ipſe modicum expendit in nutrice talis. LAV. Expendit, pro impendit poſitum eſt. Et, talis pro illius.

Recolo Deuians POG. Non enim recolo, ſed nihil deuians à ueritate. LAV. Eſt ne hic recolo pro recordor, an, ut Cicero ait? apud quem dic ubi reperiſti, deuians? POG. Quod ſi me credere ſibi debuiſſe putas, uehementer erras, ne culpam omnem in me refellas. LAV. Sibi pro eius poſitum eſt. Refellere eſt confutare & redarguere: hic autem quomodo accipiatur, neſcio.

Refellere.

Dudum. Habere. POG. Literas quas dicis dudum ad me ſcripſiſſe, ſi unquam habuiſſem, reſpondiſſem profecto. LAV. Dudum pro nuper poſitum eſt, & habuiſſem pro accepiſſem. Inſuper deeſt, ad te: ut eſſet, ſcripſiſſem ad te.

Percipio. POG. Vt percipiam ex eis quam cupio iocunditatẽ. LAV. Non percipitur iocunditas, ſed uoluptas, lætitia, gaudium, delectatio. At tu putas idem iſta ſignificare quod iocunditatẽ, cum multum differant.

Iocundus Neq; enim iocundus homo eſt qui delectatur, lætatur, gaudet, uoluptate fruitur, ſed qui cauſa eſt alteri, ut ille gaudeat, & literæ iocundæ dicuntur, quæ non gaudent, & oratio iocunda, & aſpectus nõ ſolum amici ſi lætus ſit, ſed interdum inimici iocundus eſt, ſi is triſtis fuerit. Itaq; iocunditas ineſt ipſi rei, ex qua nos capimus uoluptatem.

Incultus. POG. Cuius negligentia atq; incultus nobis luendus eſt. LAV. Incultus

ſubſtan

ſubſtantiuum ubi reperitur? POG. *Dic te executorẽ teſtamẽti Iob, & poſtula partem ſuam, quæ pro illius anima dedatur. Poſtridie tuos quoq; octo groſſos potiti ſumus.* LAV. *Miror adoleſcentem non annotaſſe hoc: potiti tuos octo groſſos. Nã dedatur pro detur neſcio, an ſciat male poni. Suam quoq; pro eius non uidit. An uero ad executorem teſtamenti ſpectet, an ad hæredem, poſtulare quæ ſunt hæreditatis, ipſe uideris.* POG. *Illius uerò diſſidij ſatis recte cauſam proſpexi ex primis literis, quas olim recepi à Nicolao.* LAV. *Nihil putas differre inter perſpexi & proſpexi, cũ illud penitus & perfecte aſpexi: hoc autem, longe & ante: tum ſi Ciceronem ſequeris, qui nũquam dixit, recepi literas, cur ipſe ſic ſcribis, & nõ potius, accepi literas?* PO. *Ab homine tibi amantiſſimo.* LAV. *Mallẽ dicere tui.* POG. *Recommenda me domino.* LAV. *Pro commenda crebro ais, recõmenda me, quod non inuenitur.* POG. *Scribendi cõſuetudinẽ iamdudum intermiſſam.* LAV. *Conſule Ciceronem: & ſcies iamdudũ uix unam duas ue horas tranſcẽdere.* POG. *Vellem ſimiles mihi homines indiem dari.* LAV. *Indiem, pro indies ſiue quotidie, uſurpas.* POG. *Cũ eſſem pridie in Cancellaria, acceſſit ad me Antonius Luſcus.* LAV. *Nega nunc te, quid pridie ſignificet, ignorare, qui ab eo narrare incipias. Poſuiſti igitur pridie ꝑ nuper, quod nemo niſi barbarus fecit.* POG. *Magnũ eſt obſiſtere uitijs, quæ indiem magis ſubeunt.* LAV. *Nemo ſic eſt uſus indiem, ut tu.* POG. *Multi tamen, tuq; in primis, opinantur me diuitem.* LAV. *Dicendum fuit: multi tamen, tuq; in primis opinaris, ſiue multi tamen, quorũ tu in primis, opinantur.* POG. *Hæc tibi doctus atq; indoctus dicet boni in ſimul ac mali.* LA. *Vbi reperiſti: in ſimul docc.* POG. *Verũ nõ ediſcuntur hic uitia, ſed quandoq; exercentur.* LAV. *Diſcũtur, dicendũ fuit. Nã ediſcere eſt memoriter aliquid ſcriptũ dictumue cõplecti.* POG. *Ex quo Perſius*

Potiri. Dedere. Executor teſtamenti. Perſpicio Proſpicio Recipere literas. Tui amantiſſimus. Commendo Iamdudum Indies. Quotidie Pridie Indiem In ſimul. Ediſcere.

Digitized by Google

A collo pendentes. finxit nos portare duas manticas ad collum pendẽtes. LAV. A collo dicendum fuit. POG. De panno, quod toties iteras, ego iamdudum pluribus literis scripsi. LAV. Iamdudũ frequentissime abuteris. POG. Nam cum reuolues Tragœdias Senecæ legendi studio. LAV. Euolues tibi dicendum fuit. Euoluo. Cesso a legendo. POG. Hæsi paulum à legendo, LAV. Cessaui à legendo dicere debuisti non hæsi. POG. Et habitauit plurimum apud fontem Sorgæ. LAV. Naiades apud aquas, id est, in aquis habitant, non homines. POG. Econtra. LAV. Hoc ita cõpositũ aduerbium apud Ciceronem nõ inuenisti. POG. Vt sit tanquã uiaticum futuræ. LAV. Viaticum uideris accipere pro uia, cum sit pecunia, aut aliquid pecuniæ instar ad uictum in itinere faciendo. POG. Nonnulli philosophiam eatenus attingunt, quatenus magistri accipiant gradũ. LAV. Aut more imperatorum uteris quatenus: aut, si pro inquantum accipis, dure affectatéq; posuisti. POG. Dimitto medicos. LAV. Dimitto pro omitto, siue missos facio, siue transeo. POG. Ipsimet legũ doctores nõ erubescunt testari in libris suis hãc esse professionem scientiæ ipsorũ. LAV. Quẽadmodũ alibi dicis suæ pro eorũ, siue pro ipsorũ, ita nunc ecõtrario ipsorum pro suæ. Hæc sunt quæ notassem in primo Epistolarũ Pogianarũ libro, si fuissem annotator. Nec in eo solum, sed etiam in sequentibus.

Apud fontem habitare.

Econtra.

Viaticum.

Quatenus.

Dimitto. Omitto. Missos facio.

Transeo.

Ipsorum pro suos.

IN SECVNDO.

POG. Scio Antoni te hos pro tua uirtute homines abhorrere, me autẽ nõ abhorrere solũ, sed etiã abhorrescere ab eorũ nomine necesse est. LAV. Abhorrere ab hac re dicimus, non hanc rem, ut Cicero: Abhorrent à cõmunibus præceptis id est alieni ac remoti sunt. POG. Qui nõ se prius & uirũ pessimũ confiteatur, & huius criminis peruersi reum. LAV. Contra usum doctorũ usurpas reũ. Nam Cicero ita definit: Reos autẽ appello, nõ eos modo, qui arguuntur, sed omnes quorum de re

Abhorrere.

Reus.

disceptа

disceptatur. POG. At eam tantã esse constat, ut quicquid dixe
ris, & summa eloquentia leuius quid uideatur, & suo pondere
inferius. LAV. Quid pro quiddam accepis, quod docti nõ fa Quid.
ciunt, sed pro aliquid. Decepit te usus malorũ interpretũ, qui
aiunt: est quid mirũ. Quorum erroris causa est, quòd Aristote-
les & cæteri Græci, quos isti transferunt in Latinũ, pro quid,
pro aliquid, pro quiddã, unũ habẽt τὶ, quod est proprie quid. τὶ
Vnde maximus in nostrã dialecticã fluxit error, & in ea, quæ
uocant. * Hac in re nos & copiã, & uarietatẽ, & proprie-
tatem, & gratiã, & ueritatẽ maiorẽ multo habemus, q̃ Græci:
quid, ullum, nonnullũ, quippiam, quicquam, aliquid, quiddã: &
cætera quæ in Dialecticis disputaui. POG. Domitianus Augu-
stus uir malus ad reliqua. LA. Illud ad reliqua malus, insuetus Reliqua
sermo est, melius futurũ sine præpositione, ut Vergilius: At cæ Cætera
tera Graius: qui modus loquẽdi etiã in prosa oratione reperi-
tur. POG. Quos etiã abhorrebat sceleſtus imperator. LAV.
Nec sensu nec cõstructiõe huius uerbi recte es usus. POG. Ite
quãtocius ad fauces auerni, excedite à nobis. LAV. Ecce quã-
tocius diuerso ab illo superiori modo, quia unũ uerbũ tantũmo Quantocius.
do adest. Ergo illic unũ uitiũ est, hic eiusdẽ uocis alterũ, Illud
quoq; excedite, ego dixissem potius abscedite. Nã excedere est Excedere.
è loco discedere. Homines aũt nũc, loca nõ sunt. PO. Vt affer
ret ad te literas meas. LAV. Nõ habet nũc locũ affero, sed fe Fero.
ro, & perfero. PO. Cũ uidisset principes et satrapas nostros, Perfero.
obumbratus magnitudine cæterorũ, oblitus est Pogij. LAV. Obumbratus
Parũ latine positũ est illud obũbratus. PO. Vt testimonio meo
eum excuses, si qui de illo obloquẽtur. Nã pridie mihi rettulit,
scriptũ esse sibi: dici à quibusdã eũ hic manere nescio cuius fœ-
minæ causa. Hoc fãlsum est, nã noui hunc satis recte, & uitam
suam. Nõ dico nõ esse eũ amicũ, dimona Catherina dicitur, sed
caute, & ita ut ego. LAV. En pridie, quod te melius me scire Pridie.

iactabas, non recte positum. Nã ubi reperisti isto modo usurpa-
Obloqui. tum? ubi item sic usurpatum obloqui? ubi eum pro se? ubi econ-
Amicus trario suam pro eius? ubi amicum pro amatore? POG. Existi-
mo te habere uolumen quoddã Senecæ, quod fuit olim Colucij
nostri, communis parentis doctorum hominum. Id si ita est, te
rogo maiorẽ in modum, ut librũ ad me mittas, quoad illũ faciã
transcribi. LAV. Opus, frequẽter habet plura uolumina, plu-
resq; libros. Quomodo igitur potest unũ uolumen unus uel li-
ber plura cõtinere opera? Quid autem ista significẽt, apud Ele
gantiarum mearũ opus, sex uoluminum siue librorũ requirito.
Olim Olim quoq; barbare positũ est, quis enim sic dixit? Martia olim
Catonis, hoc est, iã defuncti Catonis. Illud etiã indiligẽtis scri
ptoris est: mittas transcripsero, pro eo quod est, quem tenebo,
Transcribi fa- quoad transcripsero. Nã transcribi faciã, parũ nitidũ est. PO.
ciam. Sed uel sunt nulla, uel ita mendosa, ut nedũ intelligi, sed ne legi
quidẽ Latine possint. LAV. Præpostere dictũ est, nã sic erat
Nedum dicendum: ita mendosa, ut legi latine nõ possint, nedũ intelligi.
POG. Si singulatim citentur coram æquo iudice, uel pudore
Singulatim. fileant rei causa, qui eos in causam suam adduxerit. LA. Singu
Sigillatim. latim non dicitur, sed sigillatim, quod nec ipsum esset hoc loco
Ad iudicem cita re causam suam idoneum. Itẽ corã iudice citari, rusticanus sermo est: quasi non
ad iudicẽ citetur, sed iudice spectãte. Etiã, in causam suam, pro
causa sua. Eos quoq; pro se dictũ est. Vides quãta est mũditia,
ac uerè elegãtia supellectilis linguæ latinæ? POG. Lege uitam
suã, lege mores, lege æmulos atq; obtrectatores eius. LAV.
Quid ita de uno eodemq; loquẽs, tam cõiunctis uerbis ais, uitã
suã, & æmulos eius? quorũ alterũ certe male posuisti. Sed mox
utrunq;, dum inquis. POG. Brutũ si quis roget sentẽtiã suam,
uereor ne sibi à te grandẽ iniuriam fieri clamet, qui eum inter
actores ponas. LAV. Cum dicere deberes, sentẽtiam eius: aut
certe id totũ superuacuũ est: sentẽtiã suã uel eius, & q se inter

actores

actores ponas. POG. Nõ ideo sunt laudãdi, quia instar aliorũ scripsere. Inuenies perplures luxuriosos. LAV. Instar, male usurpas, pro ad similitudiuẽ, & perplures, pro cõplures. Nam perplures, non inuenitur. POG. Vt scilicet deinceps grauiora quædã mediteris. LA. Grauiora aliqua dicere maluissem. PO. Librarius meus iamdudum à scribẽdo uacat, negligẽtia Cosmi ut opinor. LAV. Iampridem, non, iamdudum, dicendum fuit. POG. Neq; confidis in uerbis Cosmi. LA. Redundat præpositio. POG. Scripsisti ad me dudum in quadam epistola. LAV. Dudum pro nuper est positũ. POG. Rogauit me pridẽ Cardinalis S. Marcelli, an mihi esset satisfactum de Bulla fauentina, cum portionem suam misisses. LA. Pridem pro nuper posuit, & suam pro eius quanquam hoc millies. POG. Vtri sint digniori gradu ponẽdi penes pontificem. LA. Pro iuxta nũc nõ recte. POG. Mihi autem quantocius respondeo. LA. Quantocius iam reprehẽdi. POG. Posteaquam recessisti à nobis, nihil de te intellexi. LA. Intellexi, pro audiui, nemo dixit eruditus. POG. Quibus te satis abunde excusas. LAV. Satis abundeq; dicimus, siue satis abundãter, nõ, satis abunde, ut tu sæpe usurpas. POG. Et cum rursus in publicum prodiret, atq; eadẽ sibi narrarentur, inquit: uxor mea testata est hoc falso in eam dici. LA. Eadem ipsi narrarẽtur, dicẽdũ fuit, & hoc falsò in se aut in ipsam dici. Testata quoq;, pro dixit, male est positum. POG. Qui nõ secus afficior honori & cõmodis tuis, ac meis pprijs. LA. Afficior tuo honori, quo genere loquendi frequentissime uteris, inelegans sermo est. Illud quoq; meis proprijs, Cicero dixisset meis ipsius. POG. At postea cum acceperim omnia cõcessa & libera, ueluti Colutius noster habuit, uolui tecũ congratulari. LA. Veluti, pro sicut, male est positũ, cum alterum sit imaginis, alterum similitudinis, ut late in Elegãtijs. Tecum uolui congratulari, insuetus sermo est. Consuetus autem &

Perplures
Instar
Complures
Iampridem
Confido uerbis tuis
Nuper
Pridem
Penes
Iuxta
Audio
Satis abundeq;
Abundanter
Testari
Afficior honori
Proprijs
Meis ipsius
Veluti
Sicut
Tibi gratulor

Digitized by Google

perinde latinus: uolui tibi gratulari. POG. Ambo tamẽ unum quid ferè uidentur significare apud doctißimos linguæ Latinæ autores. LA. Vnũ quiddã dicũt linguæ latinæ autores, nõ unũ quid. PO. Memini me recommẽdaſſe tibi D. Ioannẽ de Criuellis. Erat enim tunc cõtrouerſia quædam de beneficio ſuo, qd' eſt in fõro Iulij. Nũc uerò cum ſuper ea iamdudum compoſitũ eſſet, denuo parantur ſibi impedimenta. LAV. Recõmẽdo nõ eſt latinum uocabulũ. Iamdudũ, & ſuo, & ſibi, latina illa quidem, ſed nõ latine poſita. Quæ ſi toties à te barbare poſita reprehendere uelim, quoties reperio, faciam rem, nõ modo legẽtibus, ſed mihi quoq; ſcribenti odioſam, ut etiam potißime pro potißimũ, & extimo, p exiſtimo, & ut plurimũ, et permaxime. POG. Redditæ ſunt mihi nudiuſtertius literæ tuæ, optatißimæ illæ quidẽ, & quæ abunde mihi ſatisfecerunt. Ego de reditu in gratiam nõ ſum admiratus. LA. Aiebas me Pogi reprehẽdere Ciceronẽ in illo: Qui autẽ in uirtute ſummũ bonũ ponũt, præclare illi quidẽ, ſed hæc ipſa uirtus amicitiã & gignit, & cõtinet. At ego maluiſſem te Ciceroně fuiſſe imitatũ, q cũ exceptione ferè loquitur, quod tu nõ facis, qui nõ dudũ noſti uſum coniunctionis quidẽ. PO. Ego tecũ loquẽs abſens per literas, ueluti coram ſolemus, cũ conſilia noſtra cõmunicauimus. LAV. Nihil inter ueluti & ſicuti differre Pogi putas, & Elegantijs meis detrahis, ubi differẽtiã hãc doceri potes. P. Tẽpus adhuc extat corrigẽdi & emẽdãdi. LA. Etiã inter extat & eſt, nihil exiſtimas differre, cum extare ſit eminere, exiſtere, apparere.

Vnum quiddã.

Recommendo.

Potiſſimum.

Quidem.

Extare.

IN TERTIO.

POG. Seq; proſequi uelle iura ſua. LAV. Nihil etiã inter proſequi & perſequi differre arbitraris, de quorũ differentia alibi dixi. POG. Nouã hæreſis ſectã moliebatur. LAV. Nũc ediuerſo facis, qui pro diuerſis accipis ſectã & hæreſim, inter quæ nihil differt, cũ alterũ Græcũ ſit, alterũ Latinũ. PO. Vt

Secta.

Hæreſis.

uelles

Digitized by Google

uelles esse nobis consultor atq; adiutor in causa Angeli de Ge-
nararo, ut fiat ciuis, cum ea conditione, de qua tecum loquutus
sum. LAV. Cõsultor nescio an alius ante Sallustiũ dixit pro Consultor.
eo, qui consilium dat, quẽ nescio an aliquis imitetur, nisi A. Gel
lius, qui sectator est friuolarum elegantiarum. Etiam sine præ
positione maluissem dicere: conditione. POG. Cum eos paulo
exagitarem ad discendam eorum patientiam. LAV. Paulo nõ Paulo.
nisi comparatiuo applicatur, ut in Elegantijs tradidi, à quibus
tanquam ab hostilibus libris non uult Pogius discere, cũ fas sit
ab hoste doceri. POG. Cum quo est mihi iamdudum ab ado
lescentia summa uitæ consuetudo. LAV. Iamdudum impro- Iamdudum.
prie positum est, præsertim cum dicatur ab adolescentia: ergo
dixisses eleganter: iam inde ab adolescentia. POG. Ego du- Iam inde ab.
dum rogatus ab Antonio, feci supplicationem iuxta literas tuas
pro archipresbyteratu. LAV. Venetias scribis, & ais du- Dudum.
dum, quod est unius horæ duarum ue. POG. Pridem habui
literas à te ex Chio duplicatas: ante habueram alias, quibus re
spondi. LAV. Nihil differentiæ statuis inter pridẽ, & iam-
pridem, nuper, dudum, iamdudum, & quædam alia. Quis un-
quam scripsit: pridem habui literas, pro nuper accepi literas? Pridem.
Ego more ueterum dixissem: nuper siue proxime accepi abs te Nuper.
literas, eodem exemplo. Nam duplicatas literas quid posit si- Proxime.
gnificare, non intelligo, nisi complexas, & in morem anguium Eodem exem
implicitas. POG. Licet enim natura ipsa excellentior sit, plo.
ijs, quæ instar eius fiunt. LAV. Nũquid sic tu uteris instar, Duplicatæli
ut Cicero, qui ait: Persuadent enim Mathematici terram in me teræ.
dio mundi positam, ad uniuersi cœli complexum quasi puncti Instar.
instar obtinere. Vides, ut instar mensuram significat, non ad
similitudinem, ut tu accipis? POG. Cupiebam certe alas mi-
hi dari, ut quantocius memoria possem traijcerem. Tu nihil
omittas, quin his rebus suffultus uenias. LAVR. In literis, Suffultus.

Digitized by Google

quas ad exemplum imitari uolentibus referendas in libros censuisti, utrum Ciceronem, an uulgus imitaris, ut dicas quãtocius, & suffultus pro munitus, siue plenus, siue instructus? POG. Scias Pistorij permagnã fuisse pestem præterita æstate. LA. Neſcio an in proſa oratione repererim: præterita pro proxima. PO. Sumas alicũde mutuo ſub fide mea. nam præſto erũt tibi ſub reditu tuo. Et paulo poſt: Hos ſume pro libito. nã tibi præſto erũt quẽadmodũ pollicitus eſt. LA. Præſto pro prõpti, quis niſi indoctus dixit? etiam ſub fide mea, non auſim dicere, quaſi triuiale. Illud: ſub reditu tuo, uidetur à triuio uelle recedere, ſed à ſchola magiſtrorum aberrauit. Dicendũ enim erat per actiuum: ſub reditum tuũ, POG. Etenim cum in cõtrahẽda amicitia neceſſe ſit alterius beneficiũ procedere, uellem quippe is eſſe à quo primo initiũ beneficij prodiret. LAV. Pereã ſi ullum huiuſmodi uocabulum, quod uulgus ignorat, tu noſti: quomodo enim barbarius potuit poni: quippe, quod ſemper cauſæ redditiuum eſt? primóq;, aut ſuperuacuum eſt, aut dicẽdum fuit potius: priore. POG. Maxime uerò impulſus ſum nimia quadam cupiditate huiuſmodi res potiũdi, ambitioſior fortaſſis ero aut importunior, quàm ſit æquum. LAV. Potiundi res, pro rebus, nõ ſemel dixiſti: ambitioſus quoq; de gloria, non de libris, aut numiſmatis ſimilibúe dicitur, importunus etiam apud doctos pro infeſtus ac moleſtus, uelut carens portu locus, uſurpatur. POG. Vereor ne ſuccumbat inſidijs ultorũ, qui ei tendiculas diuerſis locis parant. Impedient certe factum propoſitum ſuum, cũ ſenſerint te aduerſum eorũ uotis. LAV. Suũ pro eius, & eorum pro ſuis poſitum eſt. Subinde admoneo huius peccati, tum ne omnino non peccaſſe amplius putaretur Pogius, ſi omnino nihil adderemus, tum quia non ſolum Pogij reprehendendi cauſa hæc annotamus, ſed etiã docendæ iuuẽtutis. POG. Tum mores perſimiles illi quidem mutua beneuolentia

deuin

Præterita. Proxima ætate. Præſto. Promptus. Sub fide mea. Sub reditũ tuũ. Quippe. Prior. Potiri rebus. Ambitioſus. Importunus.

Digitized by Google

deuinxerunt. Quamobrem semper syncere colui hanc nostram amicitiam auctã in diẽ. LAV. Ego, ut superius testatus sum, maluissem dicere: illi quidem, per exceptionem, ut intelligas te mentiri, cum ais, me tale dicendi genus improbare. In diẽ semper auctam amicitiam, nusquã legi. Dicimus enim ferè semper, ut dixi in Elegantijs: in diẽ uiuo. POG. Existimo te aliorum literis debere fieri certiorem. LAV. Qui scribit, quæ alij imitentur, is se magistrum uulgi profitetur. Tu aũt scriptor egregie uulgus magistrum habes, cum ais: existimo te debere fieri certiorem: pro eo quod est, existimo te fieri certiorẽ. Nã quid sibi uult istud: debere? sic enim nunc indocti loquuntur. POG. Mandamus tibi, quatenus debeas infra decemdium uenire corã nobis. LAV. Quare audes Pogi etiam quatenus, pro ut: & infra, pro intra: & decemdium, pro decem dies: & coram nobis, pro ad nos uenire, dicere uulgo autore, siue autoribus qui busdam scriptoribus nihil à uulgo differentibus? PO. Scripsit tibi nuper præteriti pontificis obitum. LAV. Ego dixissem potius, proximi, uel superioris pontificis obitũ. POG. Ad summum miseriæ deciderunt. LAV. Ad summum est in altissimũ, decidere est deorsum, quæ sunt inter se omnino contraria, dixisses tolerabilius, in summum: melius ad imũ, optime in imum miseriæ deciderunt, uel, ad summum miseriæ peruenerunt, siue deuenerunt. POG. Ego pacem non solum spero, sed opto. LAVR. Qui sperat, etiam optat, quoniam de bono uel optabili spem habemus. Itaque non dicitur isto modo, sed illo: ego pacem non solum opto, sed spero: uel, ego pacem non solum non spero, sed ne opto quidem. POG. Qui huic honori tuo ex animo gratulantes. LAV. Gratulari ex animo: nusquam legi, quoniam gratulari, est significare, te gaudere bono alicuius, siue gaudeas siue non gaudeas. Itaq; gaudium ad animum pertinet, nõ gratulatio. Isti quoq; honori, potius quàm huic di-

Illi quidem.
In diem.
Deberè fieri.
Quatenus.
Infra.
Decemdium.
Coram nobis
Præteritus pontifex.
Ad summum miseriæ.
In imum.
Optare.
Sperare.
Gratulari ex animo.
Hic.
Iste.

cendum

cendum fuit. nam huic de meo dicitur, isti de tuo, ut in Elegantijs. POG. Mihi autem, cui neq; earũ copia supereſt, & meis rebus cõtentus ſum, haud uaco amplioribus. LAV. Vbi ſup poſitum eſt illius, ſum cõtentus? Cogita quid tui amici de hac re, Donatus, Seruius, Priſcianus, dicturi eſſent ſi te audirent.

In quo ſperent. Quid. POG. Magnum quid eſt, & ſupra multorum uires eſſe unũ, in quem multi ſperent. LAV. Quid, pro quiddã, ut tu uis, nõ reperitur, ſicut ſuperius dixi, ſed pro aliquid. Etiã in quo dicendum eſt, nõ in quẽ. POG. Vt autem dicere ſolebat Lucilius, ſub ſordido palliolo latere quandoq; ſapientiã, ſic ſaluberrimũ eſt cogitare ſub rubeo equo, & ſub ſtramineo pileo quandoq; ſtultitiam latere poſſe. Dignitatis nãq; & amplitudinis, nõ ut tutũ, & fuſcus & rubicundus pileus habẽtur inſignia. LAV.

Super equum. Pileus rubeus. Non ſub equo & ſub pileo recte dicitur, cum ſuper equũ, non ſubter equũ ſedeamus: nec equum rubeũ uidi niſi pictum, nec pileus dicitur rubicundus, ſed rubeus ſiue ruber, quẽ Cardinales

Fuſcus. ferunt: nec quem cæteri Prælati fuſcus, qui eſt color inter albũ & nigrum. Tu tamen accipis fuſcũ pro nigro, deceptus more loquendi de colore hominis, quẽ ab albo ualde recedentẽ, pro fuſco nigrum uocamus, cũ uere nigri ſint Aethiopes. Et apud Vergilium: Quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes. Nõ enim coloris Aethiopici Menalcã illum fuiſſe ſentiebat, ſed fuſcum, ut in eodẽ libro de alio puero: Quid tum, ſi fuſcus Amynthas? & quaſi nigrum dixiſſet nõ fuſcum, ſubiungit: Et nigræ uiolæ ſunt, & uaccinia nigra. Certe nõ habuit Amynthas colorem uiolarum ſiue uacciniorũ, nõ enim erat Aethiops. Dicimus itaq; pro fuſco nigrũ, ſed nõ econtrario, ut tu facis, pro nigro fuſcũ. POG. Sed enim te incẽſum ſcientia ad illuſtrandã hãc

Iſtam tuam. tuam dignitatẽ. LAV. Ad iſtã tuã, dixiſſet Cicero. PO. Exiſtunt autẽ nõnulli, ignari illi quidẽ. LAV. Inter exiſtunt & ſunt, ut uulgus, nihil exiſtimas intereſſe, & illi quidem proprie

deſide

deſiderare exceptionem ignoras. POG. Domino meo ſingula riſſimo. LAV. Vbi legiſti ſingulariſſimũ? POG. Sed in diem meliuſcule ſe habet. LAV. Quæ in oculos incurrunt, non ui des, millies enim legiſti, indies cũ comparatiuo, nunquã in diẽ. POG. Sed cupiditatem meã ſuperauit pudor quidã ruſticanus, uerentem, ne longa admodũ cum locorum, tum uero temporũ intercarpedo ex animo tuo Pogij memoriã omnẽ excuſſiſſet. LAV. Verentis dicendũ erat, ſic enim dicunt: qui latine loquũtur, quia cupiditatẽ mei, dicere nõ poſſumus, ſicut late in Elegãtijs diſputaui? Nõ enim cupiditas mea uereturꝫ, ſed ego: ergo uerentis dicendum fuit. Intercapedinẽ autẽ pro quolibet interuallo accipimus, in nominatiuo pro illo interuallo, quod nemo magis quam Pogius nouit, etſi ipſius nomẽ ignorat, quo quaſi deformi uocabulo nemo ferè utitur. POG. Vt ſi quid offenſionis apud te ſilentiũ meũ cõtraxit, is pro patrono intercedat penes tuã humanitatẽ, teq; mihi eundẽ reſtituat, qui dudũ eſſe conſueueras, ut interceſſionis officio fungi poſſe uideatur. LAV. Pro eodem accipis, ut imperiti faciũt, apud te, & penes. Nam quis unquã dixit penes humanitatẽ tuã? Dudũ autẽ te male utentẽ iã carpere deſtiti. Intercedere an ita, ut M. Tullius accipit, pro eo qd̃ eſt, ad impediendũ interuenire: tu accipias, ipſe iudicato.

Singularis. In diem. Cupiditas. Intercapedo. Penes humanitatem. Apud. Intercedere.

IN QVARTO.

POG. Impedior nõ ſolũ dolore, ſed & lachrymis: referens mentẽ ad eorũ, pro quibus intercedã, iniquã uicẽ. LAV. Refero mentẽ ad iniquã uicem tuã. * POG. Et niſi aliquorũ miſericordia eis opituletur, in carcere, in cõpedibus miſere pereant licebit. LAV. Quid eſt licebit? nempè licitum erit atq; permiſſum, quod quãtopere nũc dicere deceat, tuæ aures iudicent. POG. Qui nouiter ad Curiã uenit. LAV. Nouiter nõ puto latinũ, dicunt enim latine loquẽtes proxime, nuper, recẽs, ſuperioribus diebus. PO. Quæ mihi impertitus fueris. LAV. Vbi

Licere. Nouiter. Proxime. Nuper. Recens.

apud

Impertior. Pluries Extare Deuium Infectum

apud Ciceronem Ciceronis ue similes inueneris, impertior depo nens? POG. Pluries eodē deuio prolapsus sum, attamen nulla extitere erroris uestigia impressa, ut quia tegūtur errata, pro infectis apud homines habeantur. LAV. Apud eosdē, quos di xi, ubi legisti pluries? ubi deuiū substantiue? ubi extitere cū par ticipio? ubi infectū, nisi pro re, quæ cū speraretur posse cōfici, inceptaq; est fieri, postea deseritur, tanquā quæ fieri nō possit? Nam tua uerba nō sunt similia illis Terētianis: factū, infectū. Præterea, nō uides indecentiā, cū ais: In deuio prolapsus sum. In deuijs aberramus, in lubricis prolabimur? PO. Qui uilibus indumentis capite ad collū reflexo paupertatē corā profitētur.

Reflectitur collum.

LAV. Collū reflectitur magis quàm caput, quod quomodo re flecti possit magis, quàm tergum, nō uideo. POG. Et cū uelle in me sit, quod rectum est, tamen non existat perficere.

Permagnum quid.

LAV. Ne bis diceres: sit: dixisti existat, quasi hæc duo idem significēt, quæ non idem significare superius ostendi. POG. Permagnū quid altissimo debent. LAV. Idem est istud, quod permagnū aliquid altissimo debēt, quod nemo disertus diceret. PO. Ego quidem peccaui, quàm potui, occultius.

Quam potui occultissime.

LAV. Quàm potui occultissime dicendum fuit, ut in Elegātijs tradidi.

Certū habeo. Certus sum.

POG. Certus sum te ad id cōmoueri. LAV. Certū habeo, ego dixissem. nā certus sum est idem, quod iam decreui, & fixū est mihi, ut Ver gilius: Iam certus eundi Carpebat somnos.

Satagere

POG. Augeri sata gunt proprias uires. LAV. Satagere est eorum, qui in pericu lo, aut aliqua in anxietate præseferunt solicitudinē suā, ut qui discurrunt, ne urbes aut castra capiātur.

Vt quisque uir optimus est.

POG. Vt quisq; enim uir bonus est, ita alios minime improbos suspicatur. LAV. Hinc erat, cur illud Donati, quod tu Terētij mentiebaris esse, repre hendi nolebas, nō illius uicem, sed tuā dolens, cum deberes per superlatiuum loqui, nō per positiuū, sic: ut quisq; uir optimus est, qualia sunt uerba Ciceronis. PO. Quo uno solo perfectā

conse

Digitized by Google

consequeremur scientiam recte dicendi. LAV. Quid agit illud solo, additum uno? POG. Dolendũ quippe erat, sed eo magis nunc est congratulandũ. LAV. Quippe, pro quidem, barbare accipis, & congratulandum, pro gaudendũ, quæ quid differãt, Elegantiæ meæ te docebunt. POG. Nam me hercule, nisi nos auxiliũ tulissemus. LAV. Hercules tibi pro auxilio lato auxilium ferat, cũ descẽdes ad inferos, ut tulit Theseo. POG. Mo destus quidẽ ipse erat, et sordidatus, tanquã mortis rei solebãt. LAV. Tanquam pro sicut accipis, omnia, quæ sunt confinia, pro cõmunibus habens. Mortis rei, nemo eorum, qui iurauere per Herculem, dixit. POG. Fortuna quædã fuit cũ sua, tum maxime nostra. LAV. Maxime de multis partibus, non de duabus, ut dicendum fuerit: tum uerò nostra. Sua quoq;, pro ipsius siue eius, non latine est dictũ. POG. Quo ille reclusus teneba tur. LAV. Vergilius, reclusus, pro apertus posuit, cũ inquit: Infernas referet sedes, & regna reludat Pallida. Iustinus tamen ponens reclusus pro clausus, nescio quem secutus sit, sicuti in alijs quibusdã dictionibus. POG. Interrimo & obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitalis quidẽ rei damnati recluderentur. LA. En iterũ recluderẽtur pro includerẽtur. Fundũ turris nõ ausim dicere, ut fundum maris, ut dolij, ut aliorum similium. Illud unius, nescio quid adiuuet, quasi timeres, ne duarũ turriũ intelligeremus. Sed uidelicet posuisti unius pro cuiusdã: more rustice loquentium. Ego etiã illud, scilicet: nõ posuissem. POG. Habes quod tibi ad præsens tribui potest. LAV. Dic quo autore dixeris ad præsens. POG. Vellem & potuisse librũ trãsmittere. LAV. Opus duodecim librorũ non recte librũ uocas, nisi forte pro codice ipso loqueris, quod nũc te sentire nõ existimandũ est, quia de libris, nõ de codice fecisti superius mentionẽ, cũ dicebas. PO. Erant enim non in Bibliotheca libri illi, ut eorũ dignitas postulabat, sed interrimo quodã

Vno solo
Quippe
Congratulari
Me hercule
Tanquam
Mortis reus
Maxime
Reclusus
Scilicet
Ad præsens
Fundus
Vnius turris
Liber

& obscu

Transmittere. & obscuro carcere, LAV. Etiã transmittere hoc loco parũ mihi probatur, sed mittere. POG. Tum propter rei grauitatem, tum maxime propter eloquentiã hominis. LAV. Negauit superius locũ esse superlatiuo inter duo. Quare dicendum

Tum uero. Tũ uel magis. erat, cũ propter rei grauitatẽ, tum uerò, siue, tũ uel magis propter hominis eloquentiã. POG. Nec pro me hæc loquor, qui mortalis existo. LAV. Non dixisset Ci. mortalis existo, sed sum. POG. Vt primũ ad errores, qui in eũ conferebantur respõderet. LAV. Quis unquã dixit, cõferri errores in aliquẽ,

Conferre errores. Respondere. & ad errores respondere? ad crimina respondemus, quæ nobis obijciuntur. PO. Legebantur ex pulpito singula capita accusationis. LAV. Pulpita sunt, qualia olim erant loca, ubi Hi-

Pulpitum. striones agebãt Comœdias Tragœdiasq;, qualis iste locus nõ fuit, suggestũ opinor te significare uoluisse. PO. Nulla in eũ

Suggestum. Ne quidem. nedum mortis causa inueniri iusta posset, sed ne quidẽ leuissimæ offensionis. LAV. Nedum male sic usurpari superius admonui. Nunc reprehẽdere habeo, ne quidẽ, quæ duo nunquã iũcta reperiuntur. Illud quoq; reprehensione dignum est, ut inconse-

Offensio. quens: nulla causa nõ modo mortis, sed ne offensionis quidem: quasi offensio sit pœnæ genus. PO. Omnia falsa esse dicebat,

Æmulus. omnia crimina cõficta ab æmulis suis. LAV. Æmulis pro aduersarijs hostibusq; ponis, ut nũc parũ docti solent. PO. Itaq; si eorum uerbis fidẽ dabitis, nihil est, quod de mea salute spe-

Fidem dare & habere. randum sit. LAV. Fidẽ dare, ponis pro fidẽ habere, cũ illud sit cum fide promittere, hoc autẽ credere, ut fideli, ut apud Terentium: grauidaq; facta fidẽ dat, sibi uxorẽ fore hanc. POG. Malorum operũ effectores. LAV. Vbi reperisti, apud uetustatem: effectores malorum operũ? POG. Postea orationẽ prose-

Effector malorum operum. quebatur orans atq; obtestans, ut eũ loqui paterentur, cum se nõ essent amplius audituri. LAV. Prosequor, pro persequor ponis, ut dixi, quasi ista nihil differant. Eũ quoq; pro se: timẽs

ne bis

Digitized by Google

ne bis se utereris, cuius rei facile erat remedium, si dixisses: orans atq; obtestans, ut se loqui paterentur, quem non essent amplius audituri. PO. Trecentũ quadraginta diebus. LAV. Cur totics ais trecentum potius quàm trecentis diebus, quod est usitatius? illud uero penè poëticum. POG. Vt alterum Catonem dixisses. LAV. Ego sine particula ut, dixissem. PO. Sed uereor, ne hæc omnia in pestem suam sibi fuerint à natura concessa. LAV. Ei non sibi, dicendũ fuit. POG. Per concilium hæresis damnatus est, & igni cõbustus. LAV. Quid attinebat addere igni? an uerebaris ne aqua aut gelu comburi quis posset? uri, aduri, peruri etiam de uento & de frigore dici potest, non autẽ comburi, damnatus etiã quis dicitur à concilio à senatu, à iudicibus: nõ per iudices, per senatum, per concilium. POG. Ligna deinde circumposita pectustenus, nõ minuscula, sed grossa, paleis interiectis. LAV. Te recte dixisse, pectustenus, Priscianus, cuius patronus es, negaret. Ego nec minuscula pro minuta, nec grossa pro crassa dixissem. POG. Vidi hunc exitum, singulos actus inspexi, siue perfidia, siue pertinacia id egerit. LAV. Perfidiam, eodem modo accipis, quo illi, qui appellant perfidos Iudæos, cũ perfidi sint, qui fidẽ datam fallãt. POG. Qui nõ minus quàm Philelphus, contumeliã abhorrẽt. LAV. Neq; constructione huius uerbi, neq; significatione recte uteris. Siquidẽ accipis abhorrere, pro horrere, cum significet alienum esse, ut: à quo fateor nullũ ætatis meæ tẽpus abhorruisse, quo Ciceronis exẽplo, & significatio & cõstructio declaratur. POG. Et accusare me tanquã alicuius erroris aut criminis reum. LAV. Reum, pro sontẽ accipis, quod docti nõ faciunt: erroris autẽ reum, duplex uitium est. POG. Magnifico domino meo domino Leonello equiti. LAV. Magna, per Castorem & Pollucẽ equites, ut more tuo iurẽ, laus est: marchioni addere titulũ equitis: cũ eques sit, qui aut equo meret, aut Ro

Trecentis diebus. Vt. Vti. Per concilium damnari. Pectustenus. Minuscula. Grossa. Perfidia. Abhorrere. Reus. Eques.

manus, aut ex ordine equestri, qui debet equo militare. Nõ enim est dignatio aliqua equitis, ut tu sentis: hoc uocabulo pro dignatione sæpissime utẽs. PO. Inter loquẽdũ incidi in eũ sermonẽ. LA. Nońe loq est sermonẽ facere? quomodo ergo, sermonem faciẽs, incidis in sermonẽ? nõ secus ac si dicas: inter loquẽdum locutus sum, igitur alia debet esse actio hæc, atq; illa, ut apud Vergiliũ: Atq; inter agendũ Occursare capro, cornu ferit ille, caueto. & apud Quintilianũ: Bibere autẽ, aut etiã esse inter agendũ, quod multis moris fuit, & est quibusdã, ab oratore meo procul absit. Ideo hæc exẽpla potissimũ affero, quòd Pogio cõueniunt, qui, ut caper cornibus feriens, cauendus est, etsi causas oraret, sese cõtinere nõ posset, quin potaret, non tamen aquã. PO. Sentiat Plutarchus, quid uelit, & Græcos Latinis cõparet, tamen nequaquã illos adeò extollere ucrborũ magnificentia potest, ut nõ excellant nostri inter suos. LA. Qui sunt nostri? certe Latini, inter suos autẽ idẽ est, quod inter nostros, siue, inter Latinos, quo igitur pacto Latini excellere inter Latinos queũt? Illud quoq; quid uelit, dicendũ est, aut quod uelit, aut quicquid uelit. Postquã hæc scripsi, uenit in mentẽ, fortẽ Pogiũ, ut Barbarus est, accipere suos pro Græcis, hoc est, pro ipsius homines. Nã insolẽtia loquẽdi me deceperat, ut appareat, quãtopere hoc uitium deuitandũ est. Itaq; si ita est, non illud, quod notauerã, sed alterũ uitiũ erit. PO. Quæ nuper intellexeram prodire à Mantua. LAV. Intelligo pro audio frequenter usurpas, nullo nisi uulgo autore. PO. Est mihi frequẽs cõsuetudo. LAV. Plinius in quadã epistola inquit: Est mihi frequens disputatio, ut ille bene, ita Pogius male. Magna enim siue multa dicitur cõsuetudo, nõ frequẽs. POG. Nihil est quod magis appetã, in quo magis cõsoler, quàm habere quamplures mihi beneuolẽtia & charitate cõiunctos. LAV. Quamplures, ut superius diximus, nõ inuenitur, sed cõplures. Etiã cõsolor absolute

Inter loquendũ incidi in eũ sermonem.

Intelligo.

Frequens cõsuetudo.

Consuetudo multa.

Complures. Comolor.

lute positũ, ut lætor, & tristor nõ inueni. POG. Ipse est mihi testis, me semper exhortatũ esse eum ad honestatẽ & uirtutẽ. LAV. Exhortatũ se, dicendũ fuit. POG. Recepi pridem à te literas semilaceras, atq; ita corruptas multis in locis, ut uix legi possent, quod accidit culpa portitoris ut puto. LAV. Pridẽ, pro nuper, siue nudiustertius, nõ recte poni iam docui. Recepi literas. cũ te Ciceronẽ imitari profitearis, cur dicis, qui semper, Accepi literas, ait, ut in elegantijs tradidi, apud quẽ, nec portitorem quidẽ, pro tabellario, usquã legisti: siquis autẽ pro tabellario accepit, eũ ego sequi nõ ausim. Est enim portitor, qui portitus est custos, & portitorium exigit. Nescio an te & aliquos deceperit, quod apud Terentiũ legitur: Quod literæ latæ sunt ad portitorẽ: quasi ille, qui dicitur portitor, portauerit literas, quod nequaquam ita est, sed portator. POG. Qui ne minimis quidẽ labijs aliquã partẽ nunquã attigit philosophiæ. LAV. Nunquã, pro unquã, est positũ, quod recte positũ esset, si hinc incepisset oratio: qui nunquã aliquã partẽ philosophiæ, ne primis quidẽ labijs attigit, ideo dixi primis, quia minimis labijs nõ ausim dicere. PO. Quo in loco olim Romani imperij per triũuiros partitio facta extitit. LAV. Neq; existo neq; exto, quæ idem præteritũ habent, iunguntur cum huiusmodi participio. PO. Sed cũ nouem Musæ à poëtis esse dicãtur, ij uerò quibus sortitio earũ cõtigit, quatuor existant, duas quilibet sortietur. LAV. Nihil aliud putas Pogi existere significare, quàm esse, nec quilibet, quàm quisq;, de existo iam dixi, de quilibet aliquid exemplorum afferam, etsi alibi exposui, ut intelligas me magis intelligere ius ciuile, quàm Accursium, Bartolum, Baldũ, quorũ tu tanquam magnorum quorundam mihi umbrã opponis, & quàm cæteros iuris studiosos, qui nõ intelligũt uerba illa apud Paulum de cõditionibus institutionum: Si hæredi plures conditiones cõiunctim datæ sunt, omnibus parendum est, quia unius

Recepi literas.

Tabellarius.

Portitor.

Attingere minimis labijs.

Exto. Existo.

Quilibet.

Digitized by Google

loco habentur, si disiunctim, cuilibet. Hæc in digestis. Eadē pe nè uerba apud Iustinianum in Institutionibus: Si plures condi tiones institutioni adscriptæ sunt, si quidem cōiunctim fuerint, ut puta, si illud & illud factum fuerit, omnibus parendum est: si uerò separatim, ueluti, Si illud aut illud factū erit, cuilibet obtemperare satis est. Et Vlpianus de adoptionibus & emancipationibus: Facit enim hoc quasi quilibet, non quasi auus, & qua ratione quasi ex quolibet natum potest adoptare, ita potest quasi ex altero filio, & alia multa exempla, quibus constat: quilibet, significare unumquemuis, & idem esse, quod quiuis, non quisq;, & licet hoc uocabulo cuncti penè philosophi utantur: tamen, ut in iure ciuili, ita in omni Aristotelis translatione, saltem Logice, Physicorum, metaq; Physicorum, ac similium, semper quilibet reperitur particulare, non uniuersale.

IN LIBRO QVINTO.

PO. Quæ cæteri grauiter & inique ferūt. LAV. Cur nō, ut Sallustius, dixisti: grauiter & iniquo animo? PO. Audiebāt præcepta & instituta sapientū. LAV. Quia Cicero ait: Quāquam te Marce fili annū iam audientē Cratippū, idq; Athenis, abundare oportet præceptis institutisq; philosophiæ: propter summā & doctoris autoritatē, & urbis: putas idem esse præcepta & instituta, cum instituta sint mores ratione sumpti, ut in Elegātijs tradidimus. PO G. Atq; harū quidē rerū possessio, quando ita tua propria existit, ut neq; uiuo neq; quidē mortuo auferri queat. LAV. Neq; quidē, nunquā dicimus, sed nec quidem, quod nec ipsum nunc locū haberet, cum antecesserit: neq; uiuo. Nemo enim sic loquutus est, ut neq; uiuo neq; mortuo quidem auferri queat: tua ipsius, ego dixissem, nō, tua propria: nec extitit, sed est. PO. Comperies parū quid nocuisse aut potius profuisse. LAV. Quid pro quiddā male usurpas. POG. Neq; primū quoq; te extitisse, neq; postremū fore. LAV. Quid fācit illud

Instituta.

Neq; quidem.

Digitized by Google

cit illud quoq; ? certe nihil, extitisse recte usus es, non tamen sciens. nam te pro fuisse, illud accipere, declarat fore. PO. Nõ succensere, sed gratulari te potius fortunæ decet. LAV. Quis unquam gratulari fortunæ dixit, pro gratias agere? tametsi Romani parta de hostibus uictoria dijs gratulatũ in Capitolium ibant, ut in Elegantijs tradidimus. POG. Lõge me abhorrere hoc uitij genus. LAV. Iam diximus, abhorrere, cũ ablatiuo cõiungi & præpositione. POG. Ferrem tamen leuius quæ essent à mei ipsius incommoditate seiuncta. LAV. Lege Elegantias meas Pogi, aut potius, quia legisti iam, imitare: mei nunquã poni, nisi passiue, ergo dicẽdũ fuisse nũc, ubi nulla est passio: à mea ipsius. POG. Vt satius fuisset nunquã isthoc conciliũ congregari. LAV. Ego dixissem: adeo satius fuisset, siue fuerat, uel, ut satius futurum fuerit. PO. Dilige loquentẽ tecũ ex animi sententia. LAV. Ex animi sententia, est ad uotũ, siue ex uoto, ut, habeo uxorẽ ex animi sentẽtia, qui sensus hoc loco nõ conuenit, sed ex animo. POG. Vt mœroris præteriti, quo & ipse particeps fui, memoriã præsentis gaudij modestia cõsolemur. LAV. Quo particeps, pro cuius particeps, quo autore dixisti? POG. Neq; in ipsius diuturnã, sed temporaneã quandam & fragilem debere adijci congratulationẽ. LAV. Temporarium dixerũt ueteres illi elegãter locuti, pro tẽpore cõditione adaptatum, & ad temporũ mutationẽ instabile, ut, illius gentis sunt tẽporaria ingenia: posteriores quidã dixere temporaneũ, ut illud: pluuiam temporaneã & serotinã, id est, in tempore uenientem, quorũ neutrum huic loco cõpetit, ubi tu de temporis breuitate sentis, cõgratulandi, nescio an usquam legerim, utiq; cũ unus uni gratulatur. POG. Multi è nostris ciuibus exacti quondam patria extitere. LAV. Fuere, dicendum fuit, nõ extitere. POG. Tu unus (cũ uerò de te loquor, & fratrem quoq; tuũ appello.) LAV. Autẽ, nõ uero, solet in parẽthesi adhiberi.

Gratulari fortunæ.

Mei.

Adeo. Vt.

Ex animi sententia.

Ex animo.

Doloris particeps.

Temporarium.

Temporaneũ.

Congratulari.

Autem.

Appellare non est idem, quod loqui de aliquo, ideoq; tollerabilius dixisses: cũ te alloquor, fratrẽ quoq; tuum appello, uerum nõ est idem appellare, quod alloqui, sed uocare atq; requirere, quomodo Cicero pro Milone: uos appello Cẽturiones. POG. Reliquorum absentiã tulit æquo animo ciuitas, tui absentis uirtutem summo studio cõcupiuit. LAV. Lege Pogi, lege Elegãtias meas, ut discas, aut si legisti, obtẽpera eis, quod à nullo grãmaticorũ discere potes, tuã absentis dicẽdũ fuisse, nõ tui, fiesq; nõ aliter latinus, q̃ si opera mea lectitaueris. PO. Ampliauitq; anterioris uitæ ornamẽta. LAV. Anterior uita diceretur Hippoliti aut Lazari, quorũ alter fertur egisse, alter egit duplicẽ uitam, anteriorẽ posterioremq;. POG. Excellens dignitas atq; cæterarum præclarissima. LAV. Apud Homerũ, apud Thucydidem, apud Herodotũ, apud Xenophontẽ, apud Platonẽ, apud Aristotelem, multosq; alios Græcos animaduerti talẽ superlatiuum, ut id, quod superat nõ sit è numero superatorum, apud neminem tamen latinorũ, duntaxat eorũ, quos nobis ad imitandum proponimus. Nã quid interest, dicas ne Achilles cæterorũ Græcorum, an Troianorum fuit fortissimus, cũ nõ magis sit è numero cæterorũ Græcorũ, q̃ è numero Troianorũ? Ideoq; semp legimus per cõparatiuũ dici hũc sensum: tu es fortior cæteris, tu es melior reliquis: ergo tibi dicẽdũ fuit, aut cæteris præclarior: aut, omniũ præclarissima: de qua re disputaui in Elegãtijs copiose. PO. Cuius singularis erga te affectio atq; amor. LAV. Millies affectione uteris, & nunquam ut Cicero. POG. Hæc studia humanitatis obsolescãt penes principes ac dominos nostros. LAV. Penes pro apud, pro penes apud, indifferenter uteris. POG. Cũ tamen natura mea sacerdotiũ semper abhorruisset. LA. Mirũ nunq̃ te hoc uerbo uti, nisi cũ accusatiuo, aut si quãdo uteris, turpior est ista incõstantia. PO. Siquidẽ ad punctum & horæ momentum, tanquã nascuntur fungi, qui ad

Tuam absentis uirtutem.

Anterior uita.

Cæterorũ præclarissimus.

clerum

Digitized by Google

clerum aſpirant, dignitates maximas aſſequuntur. LAV. Tanquam pro ſicut accipis, quod nemo unquã fecit. Ad momẽtum quoq; horæ pro intra momentũ ponis. Nec aſpirant, poſitum ex uſu eruditorũ, quale eſt Ciceronis: Ad eã laudẽ aſpirare nõ poſſunt, hoc eſt, nõ poſſunt proxime accedere, ne afflatu quidẽ. POG. Duxi uxorem, & quidẽ ex animi mei ſententia. nam ita in ea conſolor, atq; ita acquieſco in diem magis, ut deo gratias agam cõtinuo. LAV. Conſolor & in ſignificatione male uteris, & in cõſtructione. Nam cõſolari, eſt ſermone quempiã in calamitate moleſtiaue poſitũ leuare atq; erigere, cõſtruiturq; cum accuſatiuo, nec unquã ponitur abſolute. Indiem quoq; magis pro indies dixiſti. POG. Id eſſe tale, ut ſi aliter conditum eſſet, futurum nõ fuiſſe bonũ. Idem mihi accidit in uxore, quæ talis exiſtit, ut nihil ſibi uel adeſſe cupiam, uel abeſſe. LA. Ego ſic dixiſſem: futurum nõ fuerit bonũ. Itidem in uxore mihi accidit, quæ talis eſt, ut nihil uel addi ei cupiam, uel ab ea auferri. Nam exiſtit, & ſibi, nõ latine ponuntur, & nihil adeſſe bonæ uxori cupere, inſanum eſt, & nihil abeſſe uel magis inſanum. Nam ne uirilia quidem, ut Pogiane loquamur, uxori aberunt, ſi nihil aberit: tametſi muliebria quoq; deerunt eidem, ſi nihil affuerit, nec oculi, nec dentes, & cætera huiuſcemodi. POG. Redegi in paruum uolumen nonnullas epiſtolas, quas olim ad te ſcripſi, id deſtinare conſtitui ad quendam Franciſcum Ferrarienſem, & epiſtolã addidi in principio, cuius copiã ad te mitto. LAV. Iam uolumẽ, pro opere multorum librorũ, & deſtinare, pro mittere, & copiã, pro exẽplari ſiue exẽplo, oſtendi nõ latine dici. Nã eũ, qui in iſtũ ſenſum utitur, nõ legiſti. Etiã: addidi in principio epiſtolã, nõ nitide dicitur. POG. Exhortatus ſæpius atq; impulſus à te. LAV. Exhortatus paßiue, uelim doceas ubi repereris. POG. Alter per rei militaris exercitiũ, alter per ociũ literarũ, nõ diſcutiã nũc, uter alteri ſit præferẽdus.

Sicut.
Ad momentũ.
Intra momentũ.
Aſpirare.
Conſolor.
Volumen.
Copia epiſtolæ.
Deſtinare.
Exhortari paſſiue.

Digitized by Google

Exercitium. Vter alteri. LAV. Apud A. Gellium & quosdam reperi, exercitium: apud Ciceronem atq; illos summos nõ uideor reperisse. Vter alteri, Vterq; alteri. ubi inuenerim, nõ memini, sed uter utri, sicut ediuerso: uterque alteri, & neuter alteri. POG. Quare te oro atq; obsecro, ut eas cõquiras diligenter, quoniã apud te esse cõfido, cũ dudum quasdã mihi tradidisses, dixisti nescio quẽ habuisse à te perplures. LAV. Nõ dãno nunc apud, sed nõ minus aptũ fuisse futurum Penes. penes arbitror. Dudũ pro nuper, & perplures pro cõplures dãno, & habuisse pro accepisse parũ apte dictũ cõtendo.

IN SEXTO.

POG. Cum uerbis tecum agere potuissem, mi iucundissime pater, eo quæ sum scripturus, tamen cũ uerba cito defluant & minorem autoritatẽ habere uideantur, decreui in hoc meo gratulandi munere epistola potius, quàm sermone uti apud te, qui scriptis, quãuis nullius operæpretij, plurimum delectaris. Etenim si ad alium quempiam ex his notis nostris similis dignitas delata extitisset, hæsitarem paulum à scribendo: ueritus, gratulandum ne sibi existimarem, an potius condolendum. LAV. Cũ pro quãuis. Quàm paucis in uerbis quot uitia? Primum cum, pro quãuis, Agere cum aliquo. iunctum plusquamperfecto subiunctiui, non uideor mihi reperisse. Deinde, uerbis, inepte positum est. Dicimus enim: ago tecum, non autem: ago tecum uerbis, ut Cicero: Cum enim sæpe mecum ageres, ut aliquid de amicitia scriberẽ, saltem dixisses: cum tecum coràm agere potuerim. Deinde, quid est defluere cito? è memoria ne audientis? atqui lectio nõ tardius elabitur: an ex ore loquentis? atqui lectio quoq; cito defluit ex oculis legentis: forsitan sensisti literas repeti posse, & diu durare: at hoc non expressisti. Deinde, cur uerba minorem autoritatem habeant, quàm epistola, cum uerba, pronũtiatio, gestus, ipsius, etiam hominis dignitas maiestasq; commendet: Deinde, cum dicas: decreui epistola potius, quàm sermone uti, redũdat illud:

quæ

quæ literis ſum ſcripturus. Hæc non eram notaturus (nã ubiq; Pogius his uitijs utitur) ſed prætereũda nõ putaui, ubi de apertis uerborum uitijs agebam, quorũ unum fuit in, cum: alterum eſt in, operæpretij: quod hoc loco nõ cõuenit. Eſt enim operæpretium fructus ex opera, literæ autẽ ſiue ſcripta, cũ ſint ipſa opera, nõ poſſunt uocari operæpretium. tertium in, delata extitiſſet, quod iam oſtẽſum eſt, cur uitioſum ſit. Quartũ, à ſcribendo hæſitarem, à ſcribendo uacare, ceſſare, deſinere, & quæ ſunt id genus, dicitur quis, non hæſitare. Quintum: ſibi pro ei. Sextum, cõdoleo tibi: dicimus enim, doleo uicẽ tuã, nõ, cõdoleo tibi. POG. Ad paſtum ac ſomnum ueluti mutũ animal uacantes. LAV. Vaco ad paſtum, ad ſomnũ, nuſquam, quãtum memini, audiui. Muta quoq; animalia potius dixiſſẽ, ut Salluſtius, ueluti pecora, ut pluralis numerus plurali cõpararetur. Pogius tamen, diſſimulare furtũ uolẽs, more puerorum ita diſſimulat, ut ipſa diſſimulatio ſit furti indicium. POG. Licet uere & ex animo gratulari tum felicitati tuæ, tum uerò maxime uirtuti. LAV. De multis dicitur maxime, ſaltem tribus, nõ de duobus, quia ſuperlatiuum eſt, ut iam aliquoties diximus. POG. Adeſt acre tibi ingenium, adſunt ſtudia literarum, quibus ab incunte ætate deditus extitiſti. LAV. Potius dicerem: Eſt acre tibi ingenium. Certe ſtudia literarũ adeſſe dicẽda non ſunt. Deditus autem extitiſti, crebro admonuimus non dici latine. POG. Vt non uulgari ac nota Epiſcoporũ uia tibi ducas proficiſcẽdum: LAV. Proficiſcor & unde & quo dicimus, nõ qua, ſiue proficiſcor hinc & huc, nõ hac, de loco, in locum, nõ per locũ, ut in Elegantijs. POG. Quod æternã gloriam præſtaturũ. LAV. Quia aliqui dicũt præſtatiões, tu putaſti poſſe dici præſtaturũ. Diſcas igitur ex meis Elegãtijs, cur dicamus domationẽ à domitu, & alia ſimilia, ſic etiã præſtationes, non præſtaturũ, quia nec domaturũ, tametſi reperiatur: cõſtatura fides ſuperũ, apud

Operæpretium

Hęſitare
Vacare
Ceſſare
Deſinere
Condoleo
Doleo uicẽ tuã
Vacare ad paſtũ

Maxime
Adeſt tibi ſtudium.

Proficiſcor

Præſtaturum

Digitized by Google

Lucanum, & apud alios quosdam. Quod quidē librario impu-
tarem, nisi tu maioribus quādoq; labereris, quale est: strabitur.
POG. Scis, quo labore & diligentia rem, quam sollicitabas, cō-
fecerim. LAV. Non reprehendo nunc, quòd male utaris soli-
cito (nam superius id feci) sed, quòd crebro utaris, qui te la-
tine loquendi omnibus proponis exemplum. POG. Idcirco de-
bitum soluc, & quamprimum, aliâs te notum reddam, nō solū
Alias domesticis, sed externis. LAV. Aliâs, ponis pro alioqui siue
aliter. POG. Vt aliquid ad te literarū darē, nam id pergratū
esset tibi futurū, sumpsi ex suis uerbis ueluti argumētū quod-
dam ad te scribendi, ut posteaquàm coràm uerbis fieri nequit,
absens per literas me tibi deditū esse cognoscas. LAV. Esset,
barbare positum est, tu enim subaudiri duo uerba uis, dicebat
quòd: ut fiat, nam dicebat, quod pergratum tibi esset futurum.
Eleganter per infinitū hoc loco solent loqui, ut in Elegantijs
tradidi, nam id pergratū tibi esse futurū, siue, nam pergratum
tibi id fore. Suis autē pro eius uitioſe poni, sæpenumero admo-
nuimus. Etiā posteaquàm pro quoniā tam crebro usurpari, qs
non improbet? Verbis quoq; quid attinebat addere, cū dixisses
coram? POG. Hic & tibi Pogiū offeret, licet pusillū hominē
atq; imbecillum, & præsto omni in re satisfacturū pro facultā
Præsto tibus nuntiabit. LAV. Præsto pro prompto, ut barbare loquē
tes, accipis, cū idem sit, quod præsens, nec iungitur, nisi cū uer
bo substantiuo. POG. Modo cū domum noctu redissem, offen
di literas tuas, & simul libellos, quos remisisti. Retulit insuper
quidam è domesticis, illum qui detulerat, dixisse, se postridie ma
ne ad te uelle proficisci, si quid uellem respondere, ut præsto id
esset. LAV. Quàm acer es Pogi uerborū, quæ captas, exami-
Postridie nator, qui postridie pro cras accipis? Nā cū dicis modo, certe
hodie significas, cum illū ais mane uelle proficisci, certe crasti-
num diem sentis. Atqui nemo de crastino die, siue de eo qui ho

diernum

Digitized by Google

diernum sequitur, dixit postridie, quod idem est quod postero die, siue sequenti die, quod dicitur de alio tempore, ut in Elegã tijs latius, præsto pro promptum te male accipere iam dixi.
POG. Itaq; si rem mihi gratam, si tibi tuoq; ingenio dignam cupis facere. LAV. Datiuo pro ablatiuo uteris, in quo dabo tibi ueniam, si unum locum (nam plurium non memini) notasti apud quendam sanè antiquum scriptorem, ubi datiuus accõmodatur huic adiectiuo dignus. POG. Qui fermè continuo domi manet. LAV. Continuo, pro semper, accipis, siue pro assidue, cum significet protinus. POG. Cum ad id solum uacent. LA. Sæpenumero ita loqueris, cum doctissimi dicant: huic soli rei uacet. POG. Summa beneuolentia, quam habeo ad Archiepiscopum Pisanum, me coegit, ut ad eum scriberem tam serio, quæ uidebantur esse in honorem suum, non quidem mea causa, cuius ea nihil referebant, sed sua. LAV. Beneuolentia quam habeo ad te, genus sermonis est inauditi mihi, nisi memoria excidit, gero enim in te, uel erga te beneuolentiam dicimus, refert pro interest, pluralem non agnoscit. Suum autem & sua, pro eius, iam cuncti deprehendunt uitiose dictum. POG. Gaudeo doctrina atq; eloquentia tua indiem magis. LAV. Cur indiem magis semper dicis, & non indies magis, ut prisci dixerunt, quorũ te perstudiosum profiteris? POG. Quod percepta præteritorum temporum historia uerissime dijudicas, ac perpendis illustrissimorũ uirorũ præstantiã, qui hactenus claruerunt. Nã cũ pridẽ p nostra cõsuetudine uarijs de rebus colloqueremur. LAV. Perpẽdis nõ pro põderas examinasq; accipis, sed pro discernis atq; intelligis, quo modo nõ loquebãtur ueteres. Et pridem, pro nuper, siue pro superioribus diebus. POG. Et refert Plinius in ea oratione, quã adepto cõsulatu de suis laudibus cõscripsit. Et certe, siue illã orationẽ legeris, siue rerũ suarũ eam portiũculã, quæ habetur in historijs. LA. Quis nõ crederet de

Te dignus

Continuo

Assidue

Semper

Beneuolentiam in te gero

Referebãt mea.

In dies

Perpendere

laudibus

laudibus Plinij sentire Pogium, cũ inquit suis & suarum? ad id secus est. Non iocabor hic: aliquem fortasis intelligere de laudibus suis: hoc est: de laudibus porci, quandoquidem nõ de Plinianis intelligẽdum est, de Traiano sentit Pogius, nõ aduertẽs quantopere obscura sit oratio, siue ambigua, etiam si Latine posit illud suis ad Traianum referri. POG. Grandem dolorẽ suscepi. LAV. Accepi, potius ego dixissem. POG. Cũ ineptitudinem suã scribendo propalarint. LAV. Palatam uineam legimus, à palis, quibus fulta est, inde forte palati & palãtes milites, & apud Vergilium: palantesq; polo stellas, sparsas & distantes in modũ palorum, cuius prima syllaba longa est. à pala nescio an formari posit palare, ut palatũ frumentũ: hoc est: uẽtilatum uẽtilabro, à palàm uero siue propalã, breui priore syllaba, propalare nõ memini apud ueteres me legisse. POG. Expectabã uero indies ut aliquis ex his nostris scriberet aliquid in laudem eius. LAV. Nunc ais indies pro quotidie, nã sic utimur indies: tu es indies deterior, efficeris indies magis sæuus, quæ exempla sunt infinita. POG. Sũma enim fuisset impudẽtia, uoluisse mendacem esse apud eos, penes quos semper uixerat, & oratio habetur. LAV. En pogiana elegantia uariandi uocabula, quæ idem significent. Nam quæ ineptia est, cum dixeris: mendacem esse apud eos, dicere, penes quos, & nõ apud quos habetur oratio. Dicere enim apud aliquos, & habere orationem idem est, hic, ut dixi, ineptiæ error, alter latinitatis, cum putas has duas præpositiões idem ualere, cum barbare dicatur de homine libero, eum penes alios uixisse, & orationem penes aliquem haberi. POG. Itaq; tradidi ci & epistolam & oratiunculam, quas describi & ad te deferri procuraret. LAV. Nitidus sermo & solo Pogio dignus, procuraret describi, atq; deferri: cum dicere debeamus ad imitationẽ ueterum: quas describendas & ad te deferendas curaret. POG. Vt plura continentiſſi

Palata uinea
Palati
Palantes
Propalare

Indies

Dicere apud aliquos
Habere orationem

Procuraret describi
Vt
Curauit describendas.

Digitized by Google

tinentißimo uiro minime contulißet. LAV. Ego ſine particula ut, dixiſſem: aut ſic, ut non fuerit plura collaturus. POG. Ego quidem indiem conſolor magis, poſtquam in cõiugio uixi. LAV. Cum in alium, quàm debeas, ſenſum utaris, indiem, neceſſe eſt alio uocabulo nõ in loco in locum huius abutaris. Ais enim, indiem, pro indies, & conſolor, ut ſuperius oſtendi, bis male uteris. Ego etiam dixißem: poſtquam in cõiugio uiuo, nã poſtquam uixi in cõiugio, uidetur ſignificare magis te uixiße, quàm uiuere: ut, poſtquam ſcripſi librum, cum dico, nõ uideor nunc ſcribere: non enim idem eſt, poſtquam uixi cum uxore, et poſtquam uxorem duxi. POG. Is poſtmodum iterum rediens nonnullis quærentibus ſe iturum dixit ad patruum, nonnullis uerò te illum deſtinaſſe Florentiam pro oratore, periturum ſe eueſtigio extimaret, ſi ullum uerbum nõ mẽdoſum, non fallax, non confictum prodiret ex ore ſuo. LAV. Illum pro ſe dixiſti, eodem modo, quo ſæpe eum pro ſe. Nec inficias eo, illũ modum loquendi reperiri, ſed te nunquam animaduertiße: dixiſti item, quod negabas dici poſſe, deſtinaße pro miſiße, & mẽdoſum quod eſt maculoſum & mendis plenum, pro eo, quod eſt, mendax, & ſuo pro eius. POG. Quicquid autem largitum te credis, eſt mihi gratißimum: non tam re ipſa, quæ parum quid eſt. LAV. Parum quiddam dicere debebas, ut docui, aut, quæ parua eſt. POG. Epiſtolas ad Nicolaum, quando cõmoditas ſe aufert, ad me remittas uelim, præter eas nullas adhuc habere potui. Addam illis orationem funebrem in teſtimonium amoris erga ſe mei. LAV. In ſui, pro eius, facilius peccatur, quàm in ſe, pro eum, & nunc Pogius peccat, utens pro eum, ſiue pro illum. Debuit enim dicere: amoris erga eum, uel erga illũ mei. POG. Epiſtolam uerò illam arbitror eſſe conſcriptam ab aliquo ex ſuis diſcipulis, uel altero quopiam, qui & Guarinum diligat, & odiat Georgium, & uni ſe gratificari uelit, alterũ exagitare

Poſtquam uiuo

Deſtinare Mendoſus

Parum quiddã.

Odiat

exagitare. LAV. Alio maluissem nunc ego dici, quàm altero, & oderit, quàm odiat, nã quis doctorũ dixit odire? Suis autẽ, pro eius dictũ, iam notare me piget, quod nõ notassem, nisi cũ alijs notandis incurrisset. Se quoq; superuacuo usus es. Dicendũ enim erat: uni gratificari uelit. decepit autem te stulta imitatio. Cum enim dicat Cicero: Qui se Pompeio gratificari putant, existimasti dici posse: gratificari se uolunt, quod fieri nõ debet, quia nõ dicimus: uult Pompeius se mihi placere, sicut dicimus: Pompeius putat se mihi placere. POG. Et simul retulit, usum esse nonnullis, codices illos non esse tanti existimandos, sed misisse te loco muneris, quicquid dares præter extimationem.

Licitari Appreciator

Miror tam æquos librorum licitatores Ferrariæ repertos, tam quam ibi esse soleat excellens quædam librorum uendendorum officina. LAV. Licitatores pro æstimatoribus, siue, ut ita dicã, appretiatoribus, ut uulgus accipis, cum licitari sit pretium offerre ab emere uolentibus, ut copiose in Elegantijs diximus.

Officina, Ibi.

Præterea officina non est, ubi res uenduntur, sed ubi fiunt, ut in Elegantijs dixi. Ibi quoq; pro isthic posuisti, sicut barbari solent, de quo item in Elegantijs.

IN SEPTIMO.

Discretio.

POG. Sapientis esse uidetur accommodata singulis rebus discretione, & præsentibus rebus cõsulere, & prospicere futuris, neq; una quadam in sententia esse ita fixum. LAV. Discretionẽ nũquid reperisti apud Ciceronẽ in hũc sensum? aut quadam pro aliqua? Sed cur nõ fuisti cõtẽtus uno uerbo cõsulere,

Prospicere

addidisti; prospicere, quod idem significat? Quod si non uis idem significare, dicere debueras: prospicere futura, nõ futuris. POG. Ducuntur enim sæpius in actionibus suis aliqua passione pergraui, quæ illos seducat à recta sententia. LAV. Ciceronem uolebas uideri contra me defendere, quem, ut in alijs, ita nunc non imitaris in hoc uocabulo. Is enim ait: dicendũ esse perturbationem

bationem, non morbum, siue passionem. Defendis item, si tibi credimus, Plinium, Quintilianum, Aulum Gellium. Macrobium, Iurisconsultos, at hi non passionem dicũt, sed uel affectum, uel affectionem. Defendis Hieronymum, at is negat dici posse Latine passionem: inquiens super Danielem, Quod Græci uocant πάθος nos perturbationem, quàm passionem rectius interpretamur. Et super Isaiam: Ebrietas omnes in se uitiorũ continet passiones, quas latino sermone perturbationes possumus dicere, quòd statum mentis euertant, & ebrios faciant nescire quid agant. Et tu, quasi dixisset Hieronymus: rectius dici latino sermone, in eadem epistola passionem inculcas. Hoc in uerbo, illud in elocutione uitiũ est, quòd cum uidearis dicere diuersa, tamẽ eadem repetis per summam somnolentiam, ducuntur illi aliqua passione, & aliqua passio seducit illos, quid differunt? At illa differunt, inquies: in actionibus suis: &, à recta sententia. Verbis quidẽ differunt, non re: tametsi præposterũ est, prius de actionibus, quàm de sententia facere mentionẽ, nec in actionibus dicuntur: sed ad agendum, & ante actiones: hoc est, à sententia.

Perturbatio

Affectus
Passio

πάθος

POG. Nam quicquid agunt, recte an perperam, laudatur ab omnibus. LAV. Adhuc ignoras usum aduerbij an: quod differt ab aut, à uel, à ue, quia nõ habet locũ, nisi ubi aut interrogates aut dubitantes, aut nescire confitentes nos, loquimur, quod hic non fit, ut in Elegantijs tradidi. Itaq; dicere debebas: recte aut perperã: siue, recte perperam ue. POG. Rebellẽ patri. LAV. Rebellis dicitur, qui mouet bellũ in eum, cuius ditioni subiectus est, qualis nõ est filius in patrẽ hominẽ priuatũ, siue qualis iste tuus nõ est, etsi dicantur metaphorice aliquãdo uitia rebellãre. POG. Euestigio ad extrema & deplorata remedia descendisti. LAV. Morbi & ægrotari dicuntur deplorari, non remedia, quale est ingenium, cuius exemplum postea in hac ipsa epistola è Seneca affers, quo turpius est, te hoc uocabulo uti nescisse: ait

An
Vel
Ve

Rebellis

Deplorator

ait enim Seneca: Discernēda sunt deplorata ingenia, ab ijs, quæ sanari possunt: ut appareat, omnia te uelle imitari, & nihil imitari scire. Sunt enim deplorata, quæ uulgo dicuntur desperata, qualia non sunt remedia. POG. Reiectus est à patre filius, abdicatus, relegatus, reus capitis iudicatus, quid hoc asperius? quid truculentius etiam erga facinorosum externum quendam potuit excogitari? LAV. Reum capitis facere non est iudicis, sed accusatoris, quendā etiam, pro aliquē posuisti. PO. Non ne adolescētiæ indulgēdū? non ne erroris ratio habēda? prospice quid sentiā. Hāc ego animi magnitudinē, qua coæqualiū studia reliquit. LAV. Indulgendū pro parcendū accipis, cū sit indulgere, molliter permittere, nec erroris ratio habetur, sed fāmæ, sed facultatum, sed uitæ, similiumq;. Prospice quoq; putas idem esse, quod perspice. Coæqualis, mihi aut inauditū nomē est, aut excidit lectū apud bonos autores, ideo tu in memoriā redige. Aequalis enim sæpe legi, tu ubi legeris coæqualis, doceto. PO. Aduoca hunc tu quoq; uirum in consilium amicorum, recita crimen, pœnā inquire. LAV. Recitare est aperta uoce rem scriptam uel legere, uel memoriter pronuntiare, ut in Elegantijs. POG. Adest, rogat, obsecrat filius patrem, lachrymis cōpellat exorans. LAV. Quis tam indoctus puer est, qui Terentium legerit in prima comœdia: gnatam ut det oro, uixq; id exoro: qui nesciat aliud esse orare, aliud exorare: hoc est, exorare esse effectū orandi, ut diximus in Elegantijs? POG. Me persæpius hac de re cogitantem. LAV. Quid ais Pogi? etiam ne per, comparatiuo iungere audes? POG. Nullam aliam ob causam tamdiu tecum silui pater optime, præter eam, quam tibi alijs in literis descripsi, quam te excusationem benigne accepisse lætor. LAV. Silere cum alio, nihil est aliud, quàm utrunq; silere, at tu uolebas dicere, te siluisse apud illum, quia nihil diu scripseras, illud quoq; benigne, parum apte est positum.

Desperatus morbus

Reum capitis facere indulgere

Ratio facultatum habenda

Prospicere Coæqualis

Recitare

Exorare

Persæpius

Silere cum aliquo

Benigne

Dicitur

Dicitur enim quis accipere excusationem, cum id, quod alter dixit, admittit, ut superuacuũ sit addere: benigne. POG. Vt multis præstaret propriæ saluti consuluisse, quàm suscepisse cæterorum curam. LAV. De hoc iam aliquoties dixi, dicendum sic fuisse: ut fuerit satius futurũ, multis suæ ipsorũ saluti consuluisse. POG. Sed præteritam negligentiã recõpensabimus frequentioribus literis, si tu quoq; rescripseris, aliàs torpescet non solũ ingeniũ, sed & manus. Literæ tuæ fuerunt mihi gratißimæ multis de causis, sed maxime, quia uisus sum loqui tecum, cum eas legi. Præterea tuã illã antiquam recognoui humanitatem, neq; ita elatam, ut despiciat inferiores. Ego nonnulla edidi, quæ posteaquam desyderas, dabo operã, ut transcribantur. LAV. Putebat tibi uerbũ repensabimus, ideo maluisti dicere, recõpensare: & agnoscere, ideo dixisti, recognoscere: &, alioqui siue aliter, ideo dixisti, aliàs: & quoniã, ideo maluisti dicere posteaquã. Sed nunquid dormitabas cũ dixisti, dum legis alterius literas, uideri tibi te cum illo loqui, potius quàm illum loqui tecum? quis etiã dixit humanitatem elatam, aut inferiores despicientem, cum hæc non humanitatis sint officia, sed inhumanitatis? Hoc factum est, quia nesciebas illam elegantiam, per quam dicendum erat: hoc est humanitatem * tuam numero elati. De qua re late in Elegantijs. POG. Legatum quoq; cum uideris, nosti quem dicam, uirum è nostris omnium præstantißimum, me sibi cõmenda. LAV. Satis erat è nostris, sine illo omnium, nam illud sic ego dixissem, Legato quoque, cum eum uideris, me commendato: nam sibi pro ei positum est. POG. Meq; etiam interserit in hanc fabellam, tanquam aut sim conscius maleficiorum suorum, aut delicatus sua maledicentia, ne uidearis Particeps esse earum rerum, quas solent boni uiri maxime abhorrere. LAV. Interserit in hac fabella, dicendum fuit, aut potius, inserit, suorumq; & sua pro eius, & abhorrere cũ accusatiuo, per se patent iam esse uitiosa.

Accipere excusationem.

Repensare.
Recõpensare.
Agnoscere.
Recognoscere.
Alioqui.
Aliter.
Quoniam.

Interserit me in hac fabella.

Digitized by Google

Copia. Exemplar.

POG. Libellus uerò caue perdatur, quia nulla est apud me illius copia. LAV. Pro exemplari posuisti copiã. POG. At uerò posteaquam à nobis recessisti, dictum est mihi, cum aliquãdo coram te sermo inter loquendum de me incidisset, te id audiuisse sine molestia, & absque ulla indignatione: te me etiã certa in re collaudasse. Hæc cum audiui, magna affectus sum consolatione.

Coram.

LAV. Inter loquendum sermo incidit, iam ostendi barbarum esse: & coram, qua præpositione te uti scire dicebas: cũ eo enim sermonem habitũ dicis, qui ipse colloquebatur, magna sum affectus consolatione, nemo facundus dixit. Nam illud Pogianæ facundiæ est: inculcare uocabula idem significãtia, sine & absque: quorum posteriore sæpius in uno libello uteris, quàm omnes scriptores in omnibus libris. POG. Neq; ego aliter locutus essem, si fuissem loco tui. LAV. Loco tuo dicendum fuit, non tui, ut discere ex Elegãtijs potes.

Affici consolatione.

Ad præsens. Impræsentiarum.

POG. Ego, quamuis nihil sit, quod ad præsens scribendum uideatur, quod silui tecum diutius.

LAV. Ad præsens scribendum uideatur, pro impræsentiarum ponis, & silui tecũ, pro nõ scripsi ad te.

Destinare.

POG. Signũ, quod ad me destinare cupiebas. LAV. Est ne hic destinare, ut apud Virgiliũ: Et me destinat aræ? POG. Munuscula, quæ præclarissima fœmina, uxor tua, ad meam uxorem destinauit. LAV. Nihil habent penè epistolæ Pogianæ, nisi emendationem munerum ab hominibus notis atq; ignotis. POG. Pro his ago tibi literis gratias, quandoquidem re ipsa non possum.

Agere gratias. Referre gratias

LAV. In uerbis est agere gratias, in facto referre. ergo dicere debebas: quandoquidẽ referre non possum. Sed opinor te significare uoluisse. non potuisse agere præsenti gratias, ideo te agere per literas, ergo dicendum fuit: quandoquidẽ coram nõ possum.

Coram.

Grato animo accipere.

POG. Dona tua Pontifici me intermedio sunt reddita, quæ ille grato animo cæpit. LAV. De intermedio iam diximus. Gratum animum uocamus in reddẽdo munere siue in uoluntate reddendi uicem, non

accipien

Digitized by Google

accipiendi. POG. Dispensationē pro filia tua nubēda ego solus procuraui. LAV. Ego dicerē potius nuptura. POG. Vellem tecum aliquid rerum mearū participare, sed, cui tradam nescio. LAV. Participare, est partem capere, non dare. POG. Verba inepta, latinitas mala. LAV. Latinitas non secus dicitur mala, quàm mala facundia, mala eloquentia, mala facultas, quæ dicitur à recte loquentibus nulla facultas, nulla eloquētia, nulla facundia. POG. Qui in latino sermone, ut puerulus, labitur. LAV. Ego mallem dicere puellus. Nam ut à magister fit magistellus, ita à puer, puellus. Quanquam quidā indocti dicunt puerculus, & magisterculus, sed ijdem dicunt doctorellus pro doctorculus. POG. Epistolam ad te destinauit. LAV. Mirum in modum Vergilium imitaris Pogi, ut merito eius testimonio utaris.

Filia nuptura.
Participare.
Mala latinitas.
Nulla facultas.
Puerulus.
Puellus.
Doctorculus.

IN LIBRO OCTAVO.

Cuius epistolam primā sub nomine Candidi scelestißime in Thomam Reatinum edidisti.

POG. Quæ in tuum nomen tam proteruc petulanterq; insultat. LAV. Insultare tibi dicimus. POG. Alterius calamitatem, ut probrum, illi obijcere. Fratrem eius adolescentem seduxit. LAV. Eius pro suum, quemadmodum econtrario nullies suum pro eius posuisti. POG. Luci arcus eum econtra collaudaret. LAV. Econtra, pro ecōtrario, ubi legisti? POG. Relegi tuas epistolas summa cū uoluptate, tanquā tecum loquens. LAV. Cū scribis epistolas, tūc quasi loqueris: cū scriptas ad te hic legeris, audiens dicere debuisti. POG. Vt sperē infra sex menses patrē futurū. LAV. Intra sex menses dicimus, non infra, ut multi nūc loquuntur. Nam intra & super idem penè sunt. Quia de tēpore loquutus sum, uenit in mentem uerborū Ciceronis pro lege Manilia, At hercule aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius usque ad nostram memoriam nomen inuictum in naualibus pugnis permanserat, magna ac mul-

Insultare.
Econtra.
Infra.
Intra.
Super.
Duos annos.
Duobus annis.

Digitized by Google

to maxima parte, non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperij caruit, ex quibus uerbis datur intelligi, nihil dicere eos, qui uolunt per accusatiuum significari tempus continuatum, per ablatiuum uerò interruptum. Nam quid attinebat addere: continuos, si citra hoc adiectiuum significabatur continuum tempus per accusatiuum: aliquot annos: quale est apud Vergilium: Hic iam tercentum totos regnabitur annos? Ergo utebantur illi, imò & ipsi utimur indifferenter ablatiuo quidem, tanquam latino more, Accusatiuo autem, tanquam græco. unde ex maxima parte lingua nostra fluxit, nam græca ablatiuo caret. Dixissent tamen commodius, qui hoc præcipiebant, si ita dixissent: cum de parte non de toto tempore loquimur, quod nuncupamus, non licere per accusatiuum loqui, sed per ablatiuum: quale est: Ego hoc anno ad te ueniam, id est, aliquo tempore istius anni, pro quo non recte dicas, hunc annum ad te ueniam. POG. Scis non me esse nouitiũ in talibus rebus. LAV.

Tempus in accusatiuo uel ablatiuo.

Nouitij proprie dicuntur serui, utique sine appositio, qui uenales sunt: etsi quidam sic dicant: nouitij philosophorum sectatores: & quædam similia. POG. Bursas, quas misisti, uxor habuit ambas, quæ sunt pulcherrimæ, & sibi admodũ placent, pro his & nomine suo, & meo gratias ago: recte quidem & amice fecisti. Bildeston noster mecum silet, ne respondendo cogatur aliquid dare. Recõmenda me tamen charitati suæ, dicasq; me ditiorem eo. LAV. Bursas ubi legisti? ubi recõmendas? ubi habuit, pro accepit? ubi mecum silet, pro non scribit mihi? Taceo, quòd subiunctiuum dicas, imperatiuo recommenda, subiecisti, & quòd sibi. pro ei: & suo suæq; pro eius dixisti, quasi dedita opera male loquaris, nec mirum, cum materia epistolarum sit sordida, & nequaquam digna, quæ noscatur ab alijs, ubi semper petis, semper mẽdicas, semper extorques, illo marito impudentior, de quo apud Iuuenalem: Hic petit absenti nota iam callidus arte,

Nouitij.

Bursa.

Ostendens

Ostendens uacuam & clausam pro coniuge sellam. Galla mea est, inquit, &c. POG. Sed uide ne tuus amor fallat iudicium, quod fers de rebus meis. LAV. Quis dixit, unquam: iudicium fers de rebus meis, siue pro iudicium de me, siue opinionem, quã habes de me, siue de scriptis meis? Nam res nostræ etiam canes, equi, gallinæ, armenta, agri sunt, de quibus ab illo iudicandis nun quid sentis? POG. Neque est opus, ut te excuses tarditatis. LAV. Accusare tarditatis quis dicitur, non excusare. Dicimus tamen excusare morbum, excusare tempestatem, hoc est, in excusationem afferre morbum, tempestatem ue, ut in Elegantijs. Ita forte hic accipiendum est, cum quis natura tardus est, ut possit excusare tarditatem suam. POG. Epistola tua hodie fuit mihi reddita, is qui attulit, se postridie recessurum affirmauit. LAV. Idem, quod superius notaui, uitium. Is qui attulit, idem est, quod retulit literas, siue tibi, siue alteri pro te, nec id ante hodiernum diem, nam alioqui iam recessisset, ut ipse affirmabat: postero die se recessurum. Nunc cum per eum rescribas, de crastino loquutus es die, quem tu posterum, siue postridie appellasti, quod fieri non potest, quia nunquã postridie de crastino die dicitur, ergo dicere debebas, cras, cũ hodie nũcupaueris. POG. Quòd si quis denuo ad nos ueniat. LAV. Ego dixissem iterum: nam denuo, idem est, quod de integro. POG. Hodie accepi à te literas, & is qui attulit, dixit se in posterum diem discessurum. LAV. Si postridie & postero die idem sunt, ergo idẽ hic, quod illic peccatum, cum dicendum fuerit: cras, facta mentione aduerbij hodie. Dicimus quoque postero die discessi, non in posterum diem. POG. Est mihi etiam atque etiam summe gratum. LAV. Quid opus est addere summe, cum dixeris etiã atq; etiam? POG. Quos inter non odio, sed crudelitate certatum extitit, in te autẽ nedum odium ullum non ostenderunt, sed etiã antiquos, & reliqua. LAV. Millies reprehendã, si semper

Ferre iudicium de alterius rebus.
Accusare tarditatis.
Excusare morbum.
Postridie.
Iterum.
Denuo.
In posterũ diẽ discessurum.
Cras.
Postero die.
Summe.

uelim reprehendere, quoties extitit ponis cum participio. Nedum quoque palàm est inepte usurpare. POG. Hæc omnia accepta referamus à sola libertate. LAV. Acceptum tibi fero dicimus, non à te. POG. Quanta igitur lætitia, quanta consolatione, quanta alacritate me affectum? LAV. Consolatione & alacritate affectum fuisse legi neminem. POG. Et sumpta calamus pergrandis uidetur palus. LAV. Quia nonnulli pennam, qua scribunt, appellant calamum, tu audacius etiam genus pennæ in calamum transtulisti, fecistiq; , sumpta calamus , pro sumptus. POG. Ibi me oblecto cum libellis: querebantur enim paulum me tam diu ab illis abfuisse. Itaque in eorum consuetudinem rediens , do eis paulisper operæ uacuus curis. LAV. Cur non dixisti, à se potius , quàm, ab illis? cur, paulisper operæ, quod ars grammatica uetat, ut iste genitiuus regatur ab illo aduerbio? fefellit te, quòd noluisti iterũ dicere paulum, atqui hic magisquã illic cõuenicbat istud non aduerbium nunc sed nomen, dicereq; debueras: do eis paulum operæ. POG. Attamen literis quoque aliquid nomini tuo impertior. LAV. Doce, ubi ineueneris deponens hoc uerbum. POG. Nedum corpori , sed neque ipsi animæ consulere possint. LAV. Persæpe admoneo, non cum primo uerbo, sed cum sequenti iungendum esse nedum. POG. Curiam uerò Romanã à longe colerem. LAV. Vbi legisti à longe, cum tali præsertim uerbo? POG. At uerò is paterna uirtute & moribus degenerauit, uino & somno deditus , ut uni maxime Tullio præstiterit filijs caruisse. LAV. Affirmat, & idem negat Pogius, nam hæc uerba significant, utilius fuisse Tullio, caruisse filijs: quod nec uerum est, nec ipse sentit. dicendum igitur fuit: ut satius futurum fuerit: uel, præstiterat, siue, satius fuerat filijs caruisse, ut in Tusculanis Cicero: his fuerat non didicisse melius. POG. Summã igitur uoluptatem suscepi in tuis literis. LAV. Ego dixissem: summã uoluptatem accepi in tuis literis.

Acceptum referre alicui.

Affici alacritate.

Penna.

Calamus.

Paulũ operæ.

Impertior.

Nedum.

A longe.

Satius.

Præstat.

Melius.

Accepi in tuis literis uoluptatẽ.

teris. POG. Itaq; cuilibet ætati ius suũ tribuendũ est. LAV. Cuique. Cuique dicere debebas, nõ cuilibet, ut superius prohaui. POG. Quam facultatem uocandi pueris si quis præripere conetur, reddet illos profecto stultiores. LAV. In aureo seculo natus es Pogi, de quo Vergilius ait: omnis feret omnia tellus. Nam omne uocabulum apud te nihil ab altero differt, putasq; idẽ esse præripio, quod eripio, cum præripere sit, aliquid in usum tuum alteri eripere, sicut in Elegantijs tradidi. Præripere. POG. Incolis suppeditat. LAV. Incolas nihil ab oppidanis putas differre, cũ oppidani sint appellati à suo oppido: incolæ sint, qui in alieno habitant oppido, ut diximus in Elegantijs. Oppidani. Incolæ.

IN NONO.

POG. Attamen quæcunq; causa te detinet, honestam illam, & necessariam puto. LAV. Eam, non illam, fuisse dicendum Elegantiæ docent. POG. Recepi literas tuas, & simul copiam epistolæ, quã dicis te suscepisse ex Mediolano. Fuit mihi utraq; gratissima, sed superiorẽ nullus antea ad me attulit. LAV. De recepi, pro accepi: & copia, pro exemplari, superius admonuimus, nunc quæro: utraq;, superior: quò referuntur? Nempe ad nomen literas, ex quo aut grãmatica uitiatur, si dicamus superior literæ: aut elegãtia, si dicamus superior litera, quoniã pro epistola, literæ dicũtur, nõ litera, nisi apud poëtas, ut in Elegãtijs. POG. Literæ. Itaq; ego solus ad magistratum acceßi, datis literis, dixi, quæ in rem uidebantur conferre, responsum breue tuli. LAV. Non dicunt docti: dare literas, nisi tabellario, aut cuicunq; tanquam tabellario, qui illas perferat, reddere autem, cui mittuntur, ut in Elegantijs. Itaque redditis literis dicere debuisti, ut in alia epistola facis, in qua inquis. POG. Pridie redditæ sunt mihi literæ à secretario tuo, quibus significat à te epistolam ad me obsignandam, ut suis uerbis utar, receptisse, quæ minime ad me delata est, & simul suis literis intercluſit cedulam quandam candidam, Dare literas. Reddere literas Deferre epistolam.

Digitized by Google

tibi à se missam, ut literis tuis intercluderet. Ego mi pater dudum à te accepi literam pergrandem, in hanc tamen. LAV. Dicendum erat: reddita mihi, siue perlata ad me, non delata: &, heri, non pridie: &, ait, non significat: &, inclusit, non intercluſit: &, eius, non suis: &, schedulam, non cedulam: &, nuper, nõ dudum: &, literas, nõ literam. Ex quo palàm est, in eo, quod paulo ante dixi, te, cum dicebas: superior, & utraq; : numero singulari huius nominis, contra elegantiam usum esse. POG. Si facultatibus is essem quibus esse deberem, siq; mihi meæ copiæ absq; ullo quæstu satis essent. LAV. Si, nunquam cum enclitica, que, reperi uinctum. POG. Exempla epistolarum sunt penes amicum scribendi gratia. LAV. Scribendi, pro eo accipis, quod est, ut scribantur, quod non reperitur, sed pro eo, quod est, ut scribant: hoc est actiue, non paßiue, ut in Elegantijs. POG. Viro doctißimo mihiq; imprimis amicißimo. LAV. Primus superlatiuũ est: ideoq; mallem dicere, imprimis amico, ut in Elegantijs tradidi. POG. Vt benedictus pro futuro anno eligatur. LAV. In futurum annum, ego dixissem, ut Quintilianus: Iã & in sequentẽ annum fãmẽ timeo, nõ enim pro anno, sed pro discipulis in unum annũ magister & doctor eligitur. POG. Nõ ætas modo, sed scientia & uirtus animi inuestigari debent. LAV. In uno bis peccasti uerbo: semel, quod nihil putas interesse inter uestigo & inuestigo, cũ inuestigare sit effectus: hoc est, inuenire, quod uestigamus. tu autem de uestigando sentis iterũ, quod dicendum erat: inquiri, aut requiri, aut consyderari, nõ inuestigari, nam uestigare est per uestigia, siue quasi per uestigia sequi. POG. Virtus est aduocanda, & se referendum ad ea studia. LAV. Est referendũ se, ubi tale genus locutionis inueniſti: miror, quare nõ etiã dicas: mihi mederi fuit, & quædã similia, quæ quidã ineptißimi grammatici pueros docent. POG. Memor ac nocte, cũ domum redissem, sapientißimi conſilij tui,

Intercludo.
Schedula,
Litera.
Si.
Scribendi.
Primus.
Imprimis amico.
Pro futuro anno.
In annum futurum.
Inuestigare.
Requiro.
Inquiro.
Vestigare.
Est se referendum.

Digitized by Google

filij tui, cæpi aliquam occasionem scribendi. LAV. Cur aliquã pro quandam dixisti? cur occasionem, ut uulgus facit, pro causam, idq; persæpe? POG. Neq; ego hãc ludorum iocunditatẽ, mimorumq; usum, & curarũ intermissionẽ. LAV. Interdico, non accusatiuũ postulat, sed ablatiuũ, sic: interdico tibi aqua & igni, quẽ admodum in Elegantijs. Etiã remissionem dicerẽ curarũ potius, quàm intermissionẽ: intermittimus enim studia, bellalites, cæteras q; actiones, inter quas nõ numerãtur curæ. POG. Sed uereor, an ita cõstans sis futurus, ut totum libellũ perlegas. LAV. Animaduerte munditiã nitoremq; latinæ linguæ, interdum superantẽ ipsam græci sermonis gratiã. Est enim perlegere totũ legere, ut in Elegãtijs latius disputaui, quod Græci in uno uerbo nõ habẽt. Ergo superuacuũ fuit Pogi, te addere totũ, uereor quoq; non postulat post se an: sed ne, ideoq; dicere debebas: uereor, ne ita cõstans. Verum uidebitur esse hæc oratio tuæ sentẽtiæ cõtraria. Sic enim loqui solemus, quãdo aliquid putamus futurũ, non quando non futurũ, ut, uereor ne hostes ueniant, scilicet quod nollẽ eos uenire. Tu nunc uelles hunc fore constantẽ, eoq; noluisti dicere, uereor ne, sed uereor an: de patella, ut aiunt, in prunam delapsus. Nam maius est flagitium per an, quàm per ne, istam dixisse sententiam. Sed cur homo rudis hoc non uidisti remedium, ut diceres: uereor, ne non ita constans sis futurus, ut docti loquuntur? POG. Ego, quod potui, officiũ mor tuo præstiti, tui est hominis famam notam reliquis facere. LAV. Tui est, nusquam est auditum, sed tuum est. Tui enim semper accipitur passiue, ut, ueni huc amore tui, de quo latissime in Elegantijs. Vides Põgi, ut de te meæ triumphant Elegãtiæ? POG. Me hortabatur atque orabat, ut quàm uberes literas conficerem. LAV. Probaui superius ex Elegantijs meis dicendum fuisse, quàm uberrimas. POG. Noluit ipse accedere, sed alium destinauit. LAV. Et hic Vergiliũ, ut alibi, imitatus est Pogius.

Occasio.

Interdico.

Remitto. Intermitto.

Perlegere.

Vereor ne.

Tuum est. Tui.

Quam.

Digitized by Google

POG. Quærebam pridie à R. nostro, an recentiores aliquas literas à te recepisset, & quomodo ualeres. At is respondit se pridie eius diei epistolam à te habuisse, qua ei significabas, te nondum satis firma ualetudine esse, quod mihi sanè molestissimum fuit. LAV. Vel maximum imperitiæ signum est, opinari, pleraq; uocabula aliter atque aliter accipi, quod ex hoc fit, quoties nescimus uim uocabuli definitione complecti. Nam quid ita Pogi dicis: pridie quærebã, & pridie eius diei? Si pridie quærebam, accipis pro heri quærebam, erat tuæ prudentiæ, cogitare: duo hæc aduerbia duas debere habere significationes, suam utrũq;. Si autem pro nuper: hoc est: non pro die hodiernũ præcedente, cur rursus accipis pro præcedenti, cum inquis: pridie eius diei? Quod literas recipere potius, quàm accipere, & literas habere, & significabas, pro dicebas, malueris dicere, superius admonui, mihi non probari, qui etiam sanè molestum dixissem potius, quàm sanè molestissimum. POG. A te auellatur funditus. Postmodum uerò neminem de tuis uideri, quin de te rogem. LAV. Quem non rogem dicendum fuit, uel potius, quem non rogarim. Sic enim diceres: neminem de tuis uideo, dicendum foret, quem non rogem. Illud non reprehendo, funditus, sed ego dixissem, radicitus. POG. Pridie uero Samuël noster, cum de te percontarer, mihi dixit: tibi pristinam ualitudinẽ restitui, & in diem fieri meliorẽ. LAV. Iam piget me toties notare, quoties male uteris pridie, quod aduerbium me nescire aiebas: quasi tu scires. Indiem quoq;, pro indies, non minus sæpe barbare ponis. POG. Sunt & publicæ res & indiem uariæ. LAV. Testatus sum propè semper coniungi indiem cum uerbo uiuere, ut in Elegantijs. dicendum igitur erat quotidie. POG. Nos quidem multam pastam conficimus, nullos panes. LAV. Qui pastam dicis miror, cur non potius pizas, aut schiacciatas dixeris, POG. Nihil tam homines impedit ad sapientiã peruenire.

Pridie.

Accipere literaq;.

Significare.

Sane molestus.

Quin.

Funditus.

Radicitus.

In dies.

In diem uiuere.

Quotidie.

Pasta.

Digitized by Google

nise. LAV. Cæsarem, qui fuit elegantißime loquẽdi studioſus, audire uideor, cũ Pogium audio. Quis quæſo niſi qui in loquẽdo utitur paſta, ſic loquitur: impedit peruenire: & non potius, impedit quo minus ad ſapientiam perueniant? Impedit quo minus pueniãt

IN DECIMO.

POG. Fuit enim litigio quod laceßitus. LAV. Litigioſum apud Ciceronem inueni, litigium me iuueniſſe nõ memini? POG. Quæ in manus eorum adire mereantur. LAV. Cur non potius: quæ in manus eorũ ire? POG. Eſt enim honeſtißima præcæteris. LAV. Cor non honeſta præ cæteris potius dicebas? POG. Neque nunc quidem quicquam eſt noui. LAV. Perplexius loqueris, quàm apud Terentium Dauus: Aeque quicquã nũc quidem. Quis unquã coniunxit neq; cum quidem? POG. Cum rure ſum, maxime tũc paulo uaco literis. LAV. Dixi paulo iungi comparatiuo, non uerbo, ſed paulum, quanquam ſententia ſibi ipſi repugnat. Quo enim modo fieri poteſt, ut cum maxime uacas literis, tum paulum uaces? nam cum minimum uacas, tũ paulum uacas, non cũ maxime. ergo illud maxime fuit tollendũ. Harum ineptiarũ plenus eſt Pogius, quas ego nõ attingo, niſi quatenus cũ reprehenſione occurrunt barbarorũ ucrborũ. POG. Quorum utrunq; cum pluris æſtimandum ſit, uoluntas eſt præferenda maxime. LAV. Bis male ponis, maxime, primũ, quod nõ habet locũ inter duo, ut nunc duo ſunt: deinde, quod ſuperuacuũ eſt cum dixeris, præferenda. non enim hic ſunt multa præferenda, ſed unum. ergo nihil eſt nec maxime nec magis præferendũ. POG. Libellũ cõfabulationũ cũ uir neſcio quis nequam mutuo à me petiſſet. LAV. Cõmodato nũc fuit dicendũ, ut enim etymologia Iuriſconſultorũ oſtendi, mutuum dicitur, quod fit meũ è tuo, ſiue è meo tuum, ut in pecunijs, frumento, uino cæterisq; huiuſcemodi: qualis liber non eſt. ergo commodatur, non mutuatur. POG. Quæ opinio uera an falſa ſit, paucos habuit ſe- Litigioſus. Litigioſum. Ire in manus. Præ. Neq; nũc quidem. Paulo. Paulum. Maxime præferre. Commodato petere. Mutuum.

ſtatores

Digitized by Google

ctatores. LAV. *In omni uerbo laberis, studio imitandi bene lo quentes, ut in nullum magis, quàm in te cadat illud Horatianum,* Ò *imitatores seruum pecus &c.* Non enim nunc locum habet *an, sed siue, ut esset: uera siue falsa sit. aut uel, sic: uel uera, uel falsa sit. aut ue, sic: uera falsa'ue sit.* Ego tamen per *siue, aut seu locutus essem,* POG. *Filium, qui sit futurus paternæ iocunditatis.* LAV. *Pro uoluptatis, iocunditatis, ut superius sum testatus, male uteris, quia non idem significant.* POG. *Cyrus Persarum rex. ille à Xenophonte celebratus gloriari solitus est: hortum suis manibus consertum, & arbores in ordinem positas.* LAV. *Consertum pro consitum barbarißime accipis.* Cõsertæ *dicuntur manus, non arbores, nisi de ramis earum implicatis loquamur. Horti quoque, ubi sunt arbores consitæ, dicuntur, non hortus, ut in Elegantijs, Cyrus etiam à Xenophonte celebratus, fuit ille maior, cum iste qui hortos conseuit, qui in prælio à fratre Artaxerxe rege Persarum interfectus est, fuerit minor Cyrus in Asia satrapes, de cuius morte idẽ Xenophon in Anabasi.* POG. *Et uix singulum singulis seculis extitisse.* LAV. *Cur pudet te fateri imitari, quem imitaris? an, ne fur esse uidearis? at istud planè furari est, cum dißimulas, quod uideris fuisse imitatus, nisi dißimulares. Cicero enim inquit: Vix singulis ætatibus singulos oratores extitisse. Hanc tu uestem Tullianam uoluisti tibi, ut erat, induere: sed ne Tulliana uideretur, reconcinnare maluisti, fecistiq; de Tulliana Pogianam: hoc est, de latina barbaram. Nam quis dixit singulum hominem pro singulos homines? quanquam miror te non dixisse, ut omnia mutares, & oratio sibi ipsi conueniret, uix singulum singulo seculo.* POG. *Quæ talis est suapte natura, ut etiam bonos reddat malos usu eius, & consuetudine.* LAV. *Si dixisses usu suo, etsi hebes es, tamen intellexisses absurdum fore, ideo dixisti usu eius, cum dicere deberes: usu sui.* POG. *Scias mihi filiũ nuper esse natum.*

An. Siue. Vel. Ve. Seu.

Voluptas. Iocunditas.

Consertum.

Horti.

Singuli homines.

Itaq;

Digitized by Google

Itaq; quando prolis iam pater factus uere paterfamiliâs appellari queo, propter liberos susceptos, tum maxime propter ætatem. LAV. Es quidem paterfamiliâs, sed neutra istarum causarum. Itaq; quid sit paterfamiliâs, id est, quis tu sis, quoniã nescis, ex me scias licebit. Qui pater est, non continuo & paterfamiliàs est. Nec rursus, qui paterfamilias, continuo & pater est, etiam si quis centenarius foret, posset tamen non paterfamiliâs esse. Dicitur enim paterfamilias, quasi dominus familiæ, hoc est, bonorum. Vnde familiæ Herciscundæ titulus in iureciuili, id est bonorum diuidundorum. Si mihi non credis, audi, quid dicat Vlpianus: Familiæ appellatio, qualiter accipiatur, uideamus, & quidem uarie accepta est. Nam & in res & in personas deducitur. In res, ut puta in lege duodecim tabularũ his uerbis: Agnatus proximus habeto familiã. Et mox: Pater autem familiâs, qui in domo dominium habet, rectéq; hoc nomine appellatur, quãuis filium non habet, deniq; & pupillũ patrem familiâs appellamus, idemq; eueniet in eo, qui emancipatus est, nam & hic sui iuris effectus, propriam familiam habet, & alia multa. Vides Pogi, ut hinc colligitur, qui filius familiâs est: hoc est, dominium in domo non habet, ut puta patre uiuente, etiam si pater sit, cum tamen nõ esse patrem familiâs? & ut sentio, posset quis esse filius familiâs patris familiâs pater, de quo, ne longior sim, supersedeo disputare, & eum qui nihil bonorum habet, etiam etsi pater & centenarius sit, tamen patrem familiâs dici non posse. Maxime etiam inter duo posuisti, quod & ars grammatica, & usus autorum uetat, ut ostendi. Ergo dicendum tibi erat: eum propter liberos susceptos, tum uerò propter ætatem. POG. Cũ ueluti expuimus penes amicos. LAV. Apud, nunc dicerent docti, non penes. POG. Quæ mihi multociẽs, magno usui fuit. LAV. Vbi apud elegantes scriptores inueneris multociens, etsi Priscianus eo utitur? POG. Quod si effeceris, omnẽ effugies materiam calumniandi.

Pater.
Pater familias.
Multociens.
Calumniandi passiue.

Digitized by Google

niandi. LAV. Nunquid reperisti tale gerundium significare paßiue, ut dixi superius? POG. Et id mihi paulò molestũ fuit. LAV. Paulo, sicut dixi, desyderat comparatiuum, non positiuum, aut uerbum. POG. Ego quid olim de te scripserim, non sanè recolo, nam & obliuiosior ætate factus sum. LAV. Et iterum: recolo, quo uerbo in quem sensum utaris Cicero uiderit, quem pro te testem citasti. POG. Importunitate opus est cum istis, qui nõ sentiunt, nisi stimulo pungantur. LAV. Cur toties uteris importunus & importunitas eo modo, quo nemo ueterũ? Etiam illud: cum istis: parum latinè dicitur. Dicẽdum enim erat: agere cum istis, quale est illud Ciceronis: Agere mecum autoritatibus. POG. Semisomnolentus uisus sum esse mihi. LAV. Vere somnolentus eras, aut semisomnus, cum hæc duo nomina coniunxisti, quæ nunquam aliquis coniunxerat. Nam somnolentus est, somno plenus, ergo non semisomnus, quod semiplenus somno. POG. Literæ, in quibus me laudas orationis, quã edidi. LAV. Quis unquam dixit, laudo te orationis? imò ne uirtutis quidem, aut formæ, uirium ue aliquis dixit, sed de uirtute, de forma, de uiribus. Nam de oratione non dicerem, sed de facundia, de suauitate, de copia orationis. POG. Nam quantulum sunt mea æstimanda. LAV. Quanti non quantum, siue quantulum sunt mea æstimanda, dicere debuisti.

Importunus.

Agere cũ istis.
Semisomnolentus.
Somnolentus.

Laudo te de oratione.

Facundia.
Quanti æstimas.

Digitized by Google

LAVRENTII VALLAE PATRITII ROMANI

atq; de lingua Latina bene meriti Antidoti in Pogium ad Nicolaum quintum Pontificem Max. Lib. IIII.

ANDEM aliquando podij altera in nos inuectiua in manus uenit, planè serpentina, nõ sententijs, sed uenenis, non uerbis, sed sibilis, non simplici, sed trifida lingua utens, & quo nihil maius possum dicere, etiam superiore rabiosior, furiosior, uesanior, ut merito queat gloriari uir glorioſus, & peruersæ gloriæ cupidus, se non, quemadmodum multis senibus contingit, senectute deficere, sed indies magis ac magis acerbitate proficere, nec pati, ut à iunioribus superetur, sibiq; dicatur, quod apud Homerum Diomedes Nestori dicit:

O uetule hostilis uexat te apprime iuuentus.
Defecit tua uis, urget te odiosa senecta.

Hanc ego inuectiuam, ut hactenus non legerem, hinc factum est, quòd eam & Podius ipse in omnes Italiæ urbes prius perferendã curauit, quàm ueniret in manus meas, nec ego, ut haberem, magnopere laboraui, cum à principio sentẽtiam illustrißimæ ciuitatis Venetæ, quo tantum defensionẽ meam dimiseram, præstolarer. Mox illa pro me, & quidem tam magnifice, ut postea mon strabo, ut satis me meæ dignitati feciſſe existimarem, nec tam Podio, quem in perpetuũ superaſſem, respondere oportere, præsertim multis districtum occupationibus, cum aliarum rerum, tum uero translationum à summo pontifice mihi iniunctarum. Itaq; non erat

non erat mihi curæ illam legere accusationem, cui respõsurus non essem. Hoc meum silentium diffidentiam interpretatus Podius, *ut semper est peruersa stultorum interpretatio, tertiam, ut audio, quartam, quintam inuectiuam edidit, etiam ne taceat: sextam, septimam, octauam, nonam, ac decimam editurus, quòd uidelicet sperat hac se ratione victoriam reportaturum, si in hoc certamine diutius perseueret: quemadmodum in eo, quod hastiludium uocant, donari palma non potest, qui non sub armis in campo perduraverit. Quo factum est, ut hic noster uetulus, Nestore fortior, quasi uel me digresso, uel electo, quòd sub armis, sub sole, in puluere durare contra ipsum nequierim, victorem agat, passim exultet, triumphet, & propè de me insignia figat trophæa. Ego etsi* Podium *ita in hoc, ut sic dicam, hastiludio uici, ut hastam è dextra, clypeum è sinistra, galeam è capite, ipsum ex equo excusserim: nec pluris facere debeam eius conuitia, quàm impudentissimæ mulierculæ, quæ ex altercatione sic demum se discedere victricem credit, si ipsa magis in conuitiando perstiterit, tamen amicorum desyderijs duxi obsequendum, qui ad me secundam attulere* Inuectiuam, *mecumq; egerunt, ut huic saltem uni responderem, &* P. Clodio, *non modo arma iterum, sed dentes excuterem. Redeo itaque rursus in certamen Clodianum, nolens, inuitus, coactus. Quare me tibi excuso summe pontifex, quòd opus, quod mihi è Græco transferendum delegasti, intermitto, dum me ab atrocissima protego insectatione. Nanque ipsum opus, quod tuum est, cum tuis auspicijs transferatur, perdit suam dignitatem, autoritatem, gloriam, dum eius reprehenditur interpres.* Podio *potius succensere habebis, & mihi ueniam dare, qui prouocor, uulneror, occidor, nec solum dare uenia, sed etiam pati, ut hoc meum certamen nomini tuo dicem. Detegam enim iam tuto post latam sententiam, mei rationem facti, primus liber meæ*

respon

Digitized by Google

respõsionis ab litera N. secundus à Q. tertius à P. Vnde no men, cognomen, agnomenq; tuum incipit. Nicolaus Quintus Papa: sicut & hic quartus à T, quæ prima tui proprij siue pri uati nominis litera est. Ita quatuor libri erunt, atq; adeò sex, si duos illos libellos addamus quibus per dialogum totidẽ opera Podij, ut barbara, ut absurda, ut omnibus uitijs plena, repre hendi, ut ea uitia iuuenes studiosi deuitare possent. Qui libri, si legentibus non multo minus iocundi gratiq;, & ut audacius lo quar, utiles erunt, quàm totidem sunt mei ex aliquo translati historico, profecto debebit tua sapientia, tuaq; facilitas hos in locum accipere, atq; in partem historiæ mihi abs te delegatæ. At non erunt fortasse iocundi, grati, utiles. An tales sint, futu riq; sint, etsi per teipsum optime intelligis, tamen ex hominum doctissimorum sententia iudicare poteris. Nam licet in libris, quos ex nobis ipsis cõponimus, illa Græci autoris abest utili tas, quæ ex trãsferẽdo cõparatur, quãti tamẽ sumus, et quantũ in dicẽdo ualeamus, multo magis ita cognoscitur. Illic enim cu tis quædam, ut sic dicam, & candor orationis noster duntaxat est, hic etiam sanguis, color, pulchritudo, uires, uelocitas, & cæ teræ bene componendi tanquam corporis dotes. Quæ dotes si corpori oratiõis meæ affuerint, quæso, ut apud te libri, quibus dignitatem meam tueor, quos tibi dicaui, tantundem è Græco traductionis, ut dixi, compẽsent. Impetrata, ut spero, à Summo Pontifice uenia, quasi optimis auspicijs ad hostem in campum descendo, magna me uoce prouocantem, ac tela iacientem. Sed antequam infesta hasta occurro, libet eum paucis interrogare. Cur ita, P. Clodi, truculento immaniq; animo in me irruis? quid sibi uult ista tanta maledictorum conuiciorumq; congeries? Vtar uerbis impuri illius apud Terentium hominis, quan doquidem tu me infra omnes homines ponis, Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium, periurus, pestis, tamen à me

tibi nulla orta est iniuria. At obieci tibi nonnulla. Id defensionis ratio postulabat, quemadmodum frequenter contingit, ut dum repellere uolumus, ipsum aggressore etiã nolẽtes uulnere remus, & nihilominus ex infinitis crimunibus tuis pauca quædam, eaq; strictim libauimus. Verum agnosco magnitudinẽ animi tui, ac generositatem Entellianam, quòd te primo cõgressu postratum doles, ut de te Vergilianum illud dici posit:

In uentum Podius uires effudit, & ultro
Ille grauis, grauiterq; ad terram pondere uasto
Concidit, at non tardatus casu, nec territus heros
Acrior ad pugnam redit, ac uim suscitat ira,
Præcipitemq; ardens Vallensem agit æquore toto:
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora nec requies, quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraq; manu pulsat uersatq; Valensem.
Macte uirtute esto nostri seculi Entelle.

Quid ego infelix resistere tibi iterum, atq; repugnare uolui? quem idem, qui Dareta illum Vergilianum, exitus manet, aut fortasse deterior, nisi sanctissimus pater intercedat, dicerẽturq; de nobis, qui sequuntur, Vergilij uersus:

Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et sæuire animis Entellum haud passus acerbis,
Sed finem imposuit pugnæ, fessumq; Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur,
Infelix quæ tanta animum dementia cæpit?
Non uires alias, conuersaq; numina sentis?
Cede deo, dixitq;, & præsta uoce diremit.
Ast illum fidi æquales genua ægra trahentem,
Iactantemq; utroq; caput, crassumq; cruorem
Ore ejectantem, mixtosq; in sanguine dentes

Ducunt

Ducunt ad naues.

Quid ais Pogi? gaudes quod Entellum te significaui esse, me Darem? Ego uero te Darem dico esse, qui animo ferocitateq; iuuenili es, quiq; me lacessisti, me autem, qui sum lacessitus, Entellum, qui te pugnis contudi, qui te toto campo præcipitem egi, qui te utraq; manu pulsaui uersauiq;, qui, nisi pater Aeneas, hoc est, pater sanctus intercedat, faciam, ut te fidei æquales genua extincta trahẽtem ad sepulturam ducant æterni silentij ac pudoris. Sed iam congrediamur, en tuba certaminis signum dat, sit igitur hic meus in te Podi primus ictus. Ego planum, & cæcis etiam clarum feci, à me tibi non esse iniuriã ortam, tu aduersus infinita mea argumenta uno, quod iam refutatum profligatumq; est, duntaxat argumẽto niteris, quod tu, nescio ubi, post mediam orationem, inter alias nugas inuoluisti: inquiens,

POG. Quis crederet illum adolescentem indoctum, rudem, qui ne primis quidem labijs grammaticam nouit, illa scripsisse?

LAV. Non replicabo, quæ in priore attuli responsione, maxime credibile esse, adolescentem illa scripsisse, sed aliquid nouarum rationum afferam. Cum quibus te loqui putas Podi? an non adolescens iam inde è Catelano eruditus, tredecim amplius natus annos, triennium contubernalis fuit Gasparis Veronensis, quem tu omnibus grammaticis anteponis? an non ab illo componere epistolas docebatur? an non ei semper pater suus pædagogũ cum duobus literatis famulis adhibuit? an erat quispiam æqualium illi, aut in doctrina, aut in expeditius loquendo comparandus? ut Franciscum Rosium patrem, quo neminem Catelanum noui, uel ingenio, uel lingua argutiorem, non magis nomine, quàm corpore & animo referret? an non mihi à patre traditus, ut extremam ei & in lingua latina manũ imponerem, solidum annum me audiuit? an nõ etiã, siue magistrum tunc, siue pædagogum habebat Mattheum Narniẽsem,

Solidus annus.

inter ducentorum auditorum meorũ primos doctum atq; elegantem, qui nũc Fulginij profitetur, à quo tuas epistolas domi audiebat, quorum uterq; apud Gasparem ipsum legerat chirographo illius notata tua uitia in epistola tua, quæ præfixa est Quintiliano illius à me ipsi donato, qui codex tandiu caruit cõtumelia tui, quàm meus fuit. Si non credis, codicem poscito, an postremo rediens post mortem patris in Cateloniam non miraculo fuit Regi atq; proceribus, tanta illi ingenij ac facundiæ indoles aderat. Et tu, cum talem esse adolescentẽ noſses, tamen ais, non esse credibile eum illa scripsisse, quæ magna ex parte uitiose sunt scripta, sicut ostẽdi. Sed esto, nõ sit credibile, quid mea, dum incredibile sit, atq; adeò impoßibile à me fuisse scripta? Ego probaui illas notationes tuarum epistolarũ in multis non magis contra tuas epistolas esse, quàm contra Elegantias meas, in quibus, ut ipse legisti, diuersa tradiderã. Hæc si tu credas à me notata esse, amens sis. Quod ergo ipse nõ credis, & quod tibi nõ persuades, id alios tibi credere uis? & una frivola, contra infinitas, ratione persuadere? Quid hoc improbius? peruersius? dementius? quid etiam malignius ac furiosius, quàm à quo homine nihil te læsum, nihil offensum scias, eum destructum, perditum, trucidatum uellere, inuadereq; dẽtibus, & deuorare conari? Dij talem terris auertite pestem. Quòd si à me nulla, ut fingis, est tibi facta iniuria, profecto calumniæ conuictus es, neq; simplicis calumniæ conuictus, quòd de iniuria tibi illata, sed duplicis, quòd etiam de contumelia autoribus facta, neq; duplicis modo, sed triplicis quoq;, quod de me ipso insolentißime gloriatum me esse, mẽtitus es, nec calumniæ tantum, uerum etiam imperitiæ, & eius quoq; triplicis, quòd aduersus probationes meas, quibus te imperitißime conatum reprehendere opus meum de lingnæ latinæ elegantia, quibus me peritißime reprehendiße quoſdam ueterum, quibus te plus quàm imperite

Digitized by Google

perite locutum esse infinitis in locis ostenditur, nihil habuisti prorsus, quod reprehenderes, nisi unum de ijs infinitis, & id friuolum, sicut in superiore feci sti, ac plus quam friuolū: quod ubi monstrauero, eam, quam dixi latam esse Venetijs, recitabo sententiam. Dixeram te non proprie usum, desuetus, pro insuetus, tu proprie te usum defendis, omitto paulisper de tua defensione dicere, ita ne Podi ex tot uulneribus tuis unū omnino curandū duxisti? Quid cætera? certe, ut sentio, minora non sunt, aut, si minora, si minima, si nulla sunt, ostende tuū corpus illæsum, sine uulnere, sine cicatrice, sine liuore, ut meos ictus ut imbecilles pueriles q; derideas. Nā istud quod facis, uulnera, quæ tibi inflixi, incurabilia esse significat, et me multas corporis tui partes amputasse atq; mutilasse. Nunc istud unum, quod potissimum delegisti, quod nō tam curas, quàm alligas, inspiciamus, utrum uulnus sit nec ne, & utrum acu, ut aiunt, punctum, an potius mutilatio. Possumus, inquis, uti desuetus pro insuetus, cur tamen tu nunquam post meam reprehensionem ita uteris? sed inspiciamus tua uerba. POG. Desuetum, pro insuetum, à me positum culpat. Sed huic barbaro Latinum opponam: Vergilius enim in VII. Aeneidos:

Desuetus. Insuetus

Iam pridem resides populos desuetaq; bello
Agmina in arma uocant.

Resides populos appellat eos, qui in armis antea nō fuerāt uersati, ideoq; desueta agmina uocat, id est, bello nō antea assueta. Sed ueruex noster in crasso natus aëre, nihil nisi cornu petere, uel pedere potius, didicit. LAV. En nitidæ urbanæq; facetiæ, dignæ homine natu in aëre non crasso, sed nitido & puro. Differo paruper de exemplo tuo disserere. Itáne tu prosa oratione scribens ijs uocabulis uteris, quibus nō oratores aut historici, sed poëtæ utuntur, nec poëtæ omnes, sed unus tantum, qui etsi maximus est, tamē summæ in loquēdo licentiæ, nec is poëta

iſto modo, niſi ſemel, eſt uſus, ſed ſemper aliâs aliter? Verum eſto, licuerit iſtud tibi facere. Quis ita, ut tu, iſtũ locũ exponit? an Seruius? minime, ſed neq; aliter Seruius exponit, inquies. Cur ergo reliquit inexpoſitum? certe id nõ feciſſet, ſi aliter iſte locus acciperetur, atq; ille: reſidesq; mouebit Tullus in arma uiros, & iam deſuetã triumphis Agmina. Quæ loca cum ex eiſdem penè uerbis cõſtent, Seruius ſatis putauit, ſe iſtum tuũ è libro ſeptimo locũ expoſuiſſe, cum alterũ in ſexto expoſuit:

Deſuetus. *inquiens, Deſuetã triumphis: id eſt: à cõſuetudine triumphandi remotã. Ergo deſuetã bello, à cõſuetudine bellandi remotã. An tibi iſtius in ſexto Vergilij uerſus nõ uenit in mentem? atqui uenire debebat, quia & prior ordine, & huic ſimillimus atq; uicinus eſt. An potius Seruiũ nõ legiſti? ſi ita eſt, cur eũ nõ legẽdum tibi putaſti? ſin legiſti, cur eum te legiſſe diſſimulas? cur ei cõtradicis? cuius alibi uideri uis uicem dolere, tanquam à me impugnetur, contradicis enim ei, cũ aliter exponis, contradicis ei, imò etiam rationi, homo prorſus ingenio ueruecino, cum dicat*

Reſides populi. *Vergilius: Iam pridem reſides populos: hoc eſt: qui per multũ tempus reſederant, à bello, atq; interquieuerãt, nõ autẽ ſemper abſtinuerant, & quieuerãt. Ergo iam pridẽ deſuetã bello, id eſt aliquandiu à bello ceſſarant, cui aſſueuerãt. An Meſappus ille fortiſſimus rex, quem tantopere Vergilius ut bellatorẽ, prædicat. At Meſappus equũm domitor Neptunia proles, Quẽ neq; fas igni cuiquã nec ſtringere ferro, Belli erat inſuetus? Et me uocas ueruecem, & in craſſo natũ aëre, qui ipſe nõ uides propter aëris craſſitudinẽ finem uerſus, quem omiſiſti, hoc palàm declarare: ſubito ferrũq; retractat. Quid eſt enim retractare, niſi iterũ tractare? Ergo antea Meſappus cũ populis ſuis agmi nibusq; tractauerat ferrũ, quo geritur bellum. An forte particulã illã uerſus, quæ reliqua erat, malitioſe prætermiſiſti: quaſi hoc ipſe nõ eſſem reprehenſurus? An ſtulte potius, ut ſoles, qui*

uerſum

Digitized by Google

uersum Iuuenalis cõtra te asseras. Nã ille ualt: Summos posse uiros, et magna exẽpla daturos, Veruecum in patria craſsoq; ſub aëre naſci. quod tu negas, qui uis me nõ posse ẽſe egregiũ uirum, quòd ſim in patria ueruecum, & in aëre craſſo natus. Quanq;, ò nefariũ hominẽ, tu'ne Romã, in qua ego natus ſum, ueruecum patriã uocas? Ergo ueruueces fuerunt Camilli, Fabricij, Fabij, Scipiones, Marcelli, Metelli, Põpeij, Ceſares, quales reliquus orbis nõ habuit. Hæc exagitarẽ pluribus, ſi ad noſtrã cauſam pertinerent, ſed nõ agam tuo more, qui de cauſa nihil, extra cauſam omnia ſoles dicere. Et hæc quidem ſatis erant ad cõfutanda ea, quæ à Podio pro ſe in ſuperiore cõtrouerſia affẽrũtur, ſed quoniã alia duo idem in mea reſpõſione reprehẽdit, quæ ſunt tractata in ſupiore, ut dixi, cõtrouerſia, libet, ea prius refellere, quàm Iudicum recito ſententiã. Deinde, quod ſecũdæ litis eſt, reſpõdebo primũ ijs, quæ obiecit ipſo Antidoto, quod nunc defendo, ac cæteris libris meis. Poſtremo ijs, quæ obiecit uitæ. Eorum duorũ, quæ dixi ab eo reprehẽdi, unũ eſt uolumẽ, de quo ita ait. POG. Inſtat quoq; corruptor noſter in uolumi nis errore, inquiens, Quomodo decem libros uolumẽ appellat? O' belua inſenſata, cum ſcripſi eam epiſtolam, uolumen illud erat, ſicut & hodie eſt, minime in libros diſtinctũ, at poſtmodum, cum plures aliæ epiſtolæ à me eſſent cõſcriptæ, decem librorum codicẽ effeci, detractis multis opuſculis, quæ in priori uolumine continebantur. LAV. Ego in ſuperiore reſpõſione oſtendi: te in iſto uocabulo ab adoleſcentulo, nõ à me, fuiſſe reprehenſum, negaui tamen decem libros poſſe dici uolumen, tu, quòd ita ſentiam, me beluam inſenſatam appellas? Velim ſcire, quid tu inuicẽ ſentias belua ſenſata, eſt'ne uolumẽ opus decem, ſiue plurium librorũ, an non? ſi eſt, cur excuſas tunc non fuiſſe diſtinctum uolumen in libros? ſi nõ eſt, cur me arguis? cur conuicio proſequeris, qui idem, quod tu, ſentio? Adde, ſi illud, quod Volumen.

uolumen appellas, plura continebat opuscula, qua ratione non erat in libros distinctum, cum singula opuscula sint, aut plures aut singuli libri? Iterum ac sæpius sensata te bestia interrogo, quisnam sensus est tuorum uerborũ? Si uolumen illud necdum hodie distinctũ est in libros, quo pacto ex eo postmodũ effecisti codicẽ decẽ librorũ? An aliquid est hodierno tempore posterius? Ergo mentiris nõ fuisse tunc decẽ libros, quos quia non audes ingenue uolumen appellare, palàm est te male, sicut alijs mille in locis, plures libros hoc nomine appellasse. Alterum est de intellectu uerborũ Quintiliani: ait enim, POG. Vnum & multis insigne stultitiæ testimoniũ, quo manifesti criminis reus teneris, nõ præteribo, culpaui te reprehẽdentem beatum Hieronymum, quòd Latine loqui maluit, quàm grãmatice, ò caput asininum, ò stolidam ac præduram ceruicem, ò cerebrum omni sale uacuum, hic latrator furibundus uerba fundit insani more, quicquid in buccam uenit, fundit, & expuit, ex tempore tanquã pueri solent, cum quid nimis calidum degustarunt. Legit toties Quintilianum obliuiosus ille fanaticus, in cœno stultitiæ demersus, nec tenet, quid ea uerba importent, quæ furatus est à Quintiliano, errorẽ detractoris purgãs, crimen cõtraxit ignorantiæ. Et sanè consulto id egit. Maius est scelus uirũ sanctum & doctum incusare ignorantiæ, quàm sẽ profiteri ignorantẽ. Ait præclarius esse & doctius, latine, quàm grammatice loqui. At tuus nõ hoc sentit Quintilianus. Vult enim latine loq, oĩm esse doctorum pariter & indoctorũ, uulgi etiam ignobilis esse loqui latine, grãmatice uerò solum eruditorum, qui nõ tantum usu, sed arte quadam & uerborũ præceptis uterẽtur. Loquẽdi consuetudinẽ, qua omnes utebantur, ab arte, quã docti sequebãtur, uoluit differre. O Belua insana, & reliqua. LAV. Tãtúm ne uerborũ cõtumeliã unius loci meretur ignoratio? Quis non uidet, et si hoc ego, quod uni sibi compertum esse Podius

ait,

ait, ignoraſſem, inſani hominis eſſe: ignorationem hanc conuicijs tantis inſectari? De Hieronymo reprehẽſo & in ſuperiore Antidoto ſatisfeci, & poſterius, cum libros de collatione Noui Teſtamenti, non hæreticos, ut ais: ſed pios eſſe demõſtrabo, ſatisfaciam. Nunc de ſententia cum meorum uerborum, tum Quintiliani agitur. Dixi Hieronymum maluiſſe latine, quàm grammatice loqui. Nunquid grammatice locutus eſt, an contra grammaticam, cũ transtulit Græcum nominatiuum per latinũ accuſatiuum: ſermonem quẽ audiſtis, non eſt meus, quod genus loquendi in illo Vergiliano: Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt. Seruius grammaticus nõ admittit, ut ſit ἀνάκλασις, ſed accuſatiuum hunc uult à uerbo dependere: uultis? Si grammatice locutum dices, grammatici negabunt. Sin nõ grammatice, ergo aut barbare, aut latine. Vides, ut dixi, latine locutum, ne dicerem barbare? & excuſaui, non accuſaui? At enim, ut magis laudarẽ, debui dicere locutum grãmatice, inquies. Tu, quod falſum eſt, tu, quo mõ ſentis, dicito: ego quod ſentio, loquar. Quanquam non puto maiorem eſſe laudem grammatice, quàm latine loquẽdi. Et iſtud eſt, inquis, quod pecco. Si pecco, certe in laudem interpretis ſiue Hieronymi pecco, quem tu calumniaris à me uituperari, quod dixerim: præclarius feciſſe latine, quàm grammatice loquendo. At hic error, inquis, quia male accipio Quintilianum, cuius illa ſunt uerba: aliud eſt latine, aliud grammatice loqui. Nunc omiſſo Hieronymo, an hic uere me reprehendas, uideamus. Tu quidem Podi in libro illo, de tribus ſuper cœnã habitis quæſtionibus, in tua ipſius perſona cum aduerſus alios, tum uerò aduerſus Leonardum Aretinũ diſputas? præſtantius atq; doctius eſſe grammatice loqui, quàm latine. Aduerſus quẽ librum, ut ſcias, nuper ita reſcripſi, ut te ſomniare, non latine, aut grammatice loqui oſtenderem, quod meum opuſculum necdum abſolutũ Venetias miſi. Sed, ut paucis, ne eadẽ replicem,

Sermonem quẽ audiſtis.

Aliud latine loqui aliud grammatice.

Digitized by Google

respondeam, si præclarius est grammatice loqui, quàm latine, cur nemo laudatus est, quòd grãmatice, plurimi quòd latine loquerentur? Rursus, nullus orator reprehensus, quòd parũ grãmatice, sed quòd parum latine loqueretur. Si latine loqui constat ex consuetudine & usu, cur de latine loquendo tam multa præcepta sunt? & cum alij, tum uerò Cæsar de ratione latine loquẽdi accuratißime scripsit? Quod opus M. Tullius magnopere laudat, & ipsum Cæsarem inter primos, qui latine sunt locuti, ponit. Ideoq; Quintilianus, de cuius uerbis intelligendis quæstio est, pro consuetudine loquendi contra analogiã, id est, contra rationem grammaticæ disputans, inquit: Ideoq; non inuenuste dici uidetur: aliud est latine, aliud grãmatice loqui. Profecto nil aliud dixit, quàm loqui latine, esse præclarius, quæ uerba non intelligere, plus quàm pueri est, hoc est, Podij, qui quoniam cerebrum, ne putrescat, sale conditum habet, ferventem bolum, cum pueri expuant, ipse non expuit: nimirũ omni puero gulosior, quem, ut Terentius ait, è flamma petere cibũ posse arbitror, nec gulosior tantum puero, sed etiam stultior, quippe cum dicat, me oblitum eius, cuius refero uerba, & furatũ uerba ab eo, cuius nominatim testimonio nitor, & me detrahere homini, quem locutum esse ad illum modum dico præclarius, & purgare crimen siue errorem detrahendi illi, & ignorãtiæ contrahere, quia eundem, ut ipse ait, accuso ignorantiæ. Taceo uerborum uitia: reus criminis, pro affinis criminis: extempore, pro extemplo: tanquam, pro sicut: importent, pro significẽt: cõsulto, pro prudenter: incusare, pro accusare, uti consuetudine, quasi usu. Hæc sunt Podi uera uulnera. Hæc sunt P. Clodi uera uerbera, non illa uerborum, quibus tu semper uteris, quæ in promptu sunt omnibus: ò caput asininum, ò stolidam ceruicem, ò cerebrum sale uacuum, latrator furibundus, fanaticus, belua insana, belua insensata. Quis enim istiusmodi infinita uel aliũde

Reus.
Affinis criminis.
Extempore.
Extemplo.
Importare.
Consulto.
Prudenter.

colle

collecta, uel ex se inuenta, dicere nesciat? Non est ingenij aut co piæ ista scire, sed dementiæ atq; uesaniæ passim, & ubi non est opus, ista dicere. At enim, quodã in loco ex hebeti acutus esse uoluisti, ubi inquis: POG. Tanta uerò traheris insania, ut etiam in te excusando summus detrectator existas. Sed oro te, uera´ne, an falsa sunt, quæ tanto studio reprehendis? Si uera, cur non perstas in sententia? Sin falsa, cur non errorem reco gnoscis? Cur non erranti ueniam petis? LAV. O te hominis phantasma, non hominem. Negas me perstare in sententia repre hendendi, quæ ais tanto studio reprehendere? Quod enim aliud tantum studium, quàm perstare in eadem sententia? Ego negaui me reprehendisse Ciceronem, Sallustium, Quintilianum, cæte rosq;, ut liquet in mea responsione. Affirmaui me reprehẽdisse Priscianum cum quibusdam alijs. In hoc reprehẽdendi studio, in hac perfto sententia. Tu me non perstare quomodo doces, aut non uera dixisse? Scis tu ea esse falsa, cur nõ probas? nescis, cur me reprehendis? Sed nimirum, ut es omniũ nescius, & tui quoq; ipsius ignarus, qualia sint, quæ à me dicuntur, ignoras, & ideo à me interrogas. Equidem tibi respondeo illa esse ue ra, sed abs te, qui nescis, uicissim interrogo: si uera putas, quæ à me tanto studio reprehenduntur, cur postulas, ut ea ipsa tan quam errata mea agnoscam, & ob id ueniam petam? Sin falsa, cur reprehendis, quòd in sententia utiq; falsa non perstem? Sed quid certo tecum, hominis, ut dixi, phantasmate, &, ut inquit Plancus, cum laruis luctor? Accipe nunc, quid de isto homine, quem asinum, quem beluam, quem fanaticum, quem furiosum appellas tu, larua atque homo phantasticus, ob istos ipsos li bros, quos tot tantisq; probris laceras, iudicatum sit à sum mis ac doctissimis uiris. Incipiam à Laurentio Zanno patritia apud Venetos domo, & eodem Archiepiscopo Aspalatensi, cu ius hæc est ad me epistola.

Lau

Laurentius episcopus Aſpalatē. Quid iudicarint clariſs. uiri de Laurentio.

LAVRENTIVS ASPALATENSIS, LAVRENTIO VALLENSI S. P. D.

Vereor ne in ſcribendis his ad te, uidear tibi fortaſſe parcior, quàm uellem, ac mihi erat conſtitutum. Tabellarius enim nunc nunc diſceßurus, has iterū literas flagitando, mihi iam moleſtus factus eſt. Quo fit, ut perpaucis uerbis, quod pluribus facere inſtitueram, tibi notum faciam, talem de te hic opinionem haberi, qualis de priſcis aut Græcis aut Latinis non habetur, quibus te non ſolum comparant & aßimilant, uerum præponunt, & maioribus laudibus, quàm illos, proſequūtur. Sunt qui diligentiam tuam approbant, qui doctrinam laudant, qui artificium admirantur, qui dicendi uim, qui ingenium, qui denique eloquentiam tuam extollunt & prædicant. Concurrunt ad me omnes, qui aliqua literatura præditi ſunt, & à me petunt, ut ſibi defenſionem tuam uelim commodare. Cuius defenſionis, ſi mille apud me eſſent exemplaria, non poſſem his omnibus ſatisfacere. Quid Frāciſcus Barbarus, quid Ioannes Petrus, quid quidam alij magni atq; eloquentes uiri de te ſentiant, ſine aliqua aſſentationis ſuſpicione dici poſſe non arbitror. Cauſam tuam honeſtißimam, hoſtemq; à te ſuperatum dicunt, & oſtēdunt. Eloquentiam tuam, cum illam aduerſarij derideant & flocifaciant, extollunt & obſtupeſcunt.

Ioannes Petrus.

Audi, nunc quid uir in utraq; lingua doctißimus & idem facundißimus ſcribat Ioannes Petrus, qui Venetijs artem Oratoriam profitetur, ut partem epiſtolæ eius ſubijciam.

Fuerunt illæ quidem ueræ laudes ac debitæ, quæ nō ſolum à me, ſed ab omnibus quoq; ſtudioſißimis uiris, niſi iniqui & ingrati eſſe uelint, merito deberi uideantur. Quippe cuius diligētiam, ingeniū, induſtriam, uirtutē, ſcientiam, nemo ſuis laudibus pro dignitate conſequi poßit. Equidē quod ad me attinet, tantū me tibi debere profiteor, ut perſoluere nunquā poßim, ut quotieſcū

tieſcunq; aliter animatus ſim, non recuſem, quo minus omnes homines me ingratum eſſe exiſtiment. Tu enim longo interuallo me in patriam reuocaſti, tu mihi ſermonẽ patrium reſtituiſti, tu deniq; omnes liberales artes corruptas ac penitus euerſas ad priſtinam ſyncericatem, ac ueritatem, deprauatas ac ſumditus deletas reuocaſti atq; recreaſti. Quid eſt ullo in genere uel facultatis, uel ſcientiæ, quod intelligentiam tuam uel acumen effugiat? Nam ut à minimis incipiam, tu mihi penè ſolus eſſe uideris, qui literaturam teneas, qua quidem in re, ſentiat quiſque quod uelit, ita iudicium tuum probo, ut antiquorum de lingua latina elegantius ac uerius arbitrer ſcripſiſſe neminẽ. Quo magis laudanda eſt incredibilis diligentia tua, qui tanto literarũ interitu, qui tanta linguæ latinæ facta diminutione duobus magiſtris ac ducibus eò peruenieris, atq; alios, quãtum in te fuit, deduxeris, ut non minus tibi quàm Varroni, quàm Cæſari, quàm cæteris, qui de arte grammatica conſcripſerunt, omnes latine loquendi ſtudioſi debere uideantur. Atq; utinam, ut tu in deligendo, quos imitareris, non erraſti, ſic alij in te laudando grauiores reperirentur. Quid enim Cicerone elegantius aut copioſius? Quid Quintiliano ſubtilius aut certius dici aut excogitari poteſt? quos tu cum autores habeas, quid eſt, quòd quiſpiam utiliſſimum atq; honeſtiſſimum laborem tuũ carpat, niſi inuidum ſe aut ignarum ac ſuperbum confiteri uelit? Quid de cæteris artibus dicam? Et aliquanto poſt: Nec uerò tibi in mentem incidere debet, me aſſentandi gratia hæc ad te ſcribere. nam præterquam quòd adulatio ſemper ab ingenio meo alieniſſima fuit, qui cõuenit, à quo me in ſcribendo emendatũ fuiſſe confiteor, huic ut blãdiar, & inani laude eius aures demulceã? Ego uerò te ex animi ſententia laudo uir doctiſſime, & perpetuo laudabo: nec me inuidia impediet, quo minus, quod ſentiam libere dicam. Cupio enim meritas tibi laudes deferendo, & no-

bis, quã

bis, qui nunc sumus, & posteritati prodesse. Quod tamen bonitate ac uirtute tua fretus fore non diffido, ut cum multa in omni genere scripseris, plura etiam scribendo nunquam defatigeris, ut cum ingenij omnes uirtutes consequutus sis, nulla de ijs, quoq;, quæ ad uitam & ad actionem pertinent, defuisse uideatur, constantiam dico, & in omni uita æquabilitatem. Nam religionem, synceritatem animi, iustitiam, fidem, pietatem, cum diligenter quærerem, præcipue à te coli, & in omnibus eis uirtutibus te affectum esse intellexi: quominus postea sum admiratus, in quo tantum probitatis ac uirtutis inesset, ex eo tantum ingenij lumen eluxisse. Sed de cæteris artibus. Et iterum aliquanto post: Huic ego inuideam? hunc ego non amem? non in sinu gestem? non in oculis feram? non laudem? non prædicem? quē diuinitus de cœlo demißum esse puto. Omen uidelicet atq; augurium, ut ita dicam, restituendi imperij, ut cum sermo patrius ac lingua latina per eum nobis reddita ac restituta fuerit, tum demum imperium ac summa rerum in Italia redeat. Hūc ego in cœlum meis laudibus non efferam? hunc si fieri posit, immortalem esse non cupiam, quem nobis à deo immortali donatum esse censeam, ut sapientia, qua imperium regitur, quáq; eloquentia carere nō potest, à nostris hominibus recuperetur? Quòd si minimarum rerum inuentores & artifices undique adeuntur, uisuntur, collaudantur: eum qui non unam artem, sed omnes nobis restituit, insectabimur? eijciemus? omni uerborum contumelia afficiemus? Et paulo post: Tu uerò Laurenti charißime, hominum iniuriam pro cōmuni utilitate fortiter excipe, ac perfer. Quis enim, in quo aliquid modo uel præstantis ingenij, uel egregiæ uirtutis aliquādo inesset, reperiatur, qui obtrectatores nō inuenerit? ut uerißime dictum sit: summos feriunt fulmina montes. Nec ego maius ullum uirtutis & ingenij tui argumentum inuenio, quàm quòd à multis te insectatū, tibi inuisum

fuisse

fuisse intelligo. Nihil enim amabilius ueritate, nihil obscurius ijs duntaxat hominibus, qui cupiditatibus inuoluti, & ambitione, ac diuitijs occæcati, cernere non possunt, qui si ea mentis cæcitate liberarentur, mihi crede non solum te laudarēt omnes homines nostri temporis, sed colerent, obseruarēt, uenerarentur.

Vides Podi, qui tantus uir, quem nunquā allocutus fueram, quem nunquā uideram, cui nunquā scripseram, à quo nihil literarum acceperam, de opere mearū Elegantiarum, quid de me ipso, quid etiā de te sentiat, quē, ut est modestus, nominare noluit, sed indicare? Verum hoc Franciscus Diana liberius, uir & ipse doctus atq; facundus. Ita enim illic ad me scribit.

FRANCISCVS DIANA, LAVRENTIO VALLAE S. Franciscus Diana.

Nulla unquam maior lætitia fuit, quàm ea, quam nuper ex inuectiua tua in Pogium procacissimum hominem, & maledicum accepi, quod multis Pogij studiosissimis, qui me ridebant, accepta illius in te inuectiua, quod omnium scriptis tua præferebam, os compressisti. Triumpho ego inter illos, & par pari, ut aiunt, refero, quod eos uehementissime mordet. Admirātur ingenium tuum, & doctrinam, & ex insanis sanissimos eos feci, adeò, ut Laurentiū semper in ore habeant. Idem in alia Epistola: Apologum tuū accepi libēter, & legi libētissime. Omnes tum facilitatem ingenij tui in inueniendo, tum eloquentiam in exprimendo, tum grauitatē in refellendo, plurimū admirati fuimus. Teq; omnes, quibus opera tua, & hæc, & superiora cognita, perspecta, iudicataq; sunt, sine exceptione patrem latinitatis nostræ, quæ iam interierat, imò deum alterū eloquētiæ in terris, & sentiunt esse, & prædicāt. Frāciscus uerò Barbarus, uir doctissimus & elegantissimus, cui Apologus tuus fuit ualde gratus, nō hominē te, sed cū admiratione summa diuinū appellauit. Et paulo post: Pogiani uerò omnes te extollunt, partim bene

Franciscus Barbarus.

Digitized by Google

benevolentia ducti, partim veritate rei confusi. Non ne maxima laus est & gloria, ab inuito laudari?

Idem in tertia inter cætera.

Illudq; scito de virtutibus tuis prædicari, quod cum summa admiratione, de viro omnium excellentissimo prædicatur. Perbeati uidentur ij, qui tuum Apologum habere possunt. Dicacitas Pogij nunc silet, & indies virtus tua & laus crescit, cumulaturq;. In qua quidem re gratulor mihi, quòd omnes recte me sensisse prædicant de doctrina tua. Quid plura? etiam studiosissimi Pogij admirantur doctrinam & eloquentiam tuã, ijq; me rogarunt bona fide, ut huc mitterem ad nos, si quid præterea edidisses.

Accipe ad extremum, quid uir perillustris, Frãciscus Barbarus, de me scribat, scripturus fortasse prolixius atq; uberius: nisi tuæ posteriores Inuectiuæ, & hæc præsertim, cui respõdeo, eũ à melius de me sentiẽdo retinuissent, & nõnihil forsitan epistolæ tuæ ad eũ, melius de me loquẽdo. Titulus Epistolæ hic est.

Præclaro & eloquentissimo uiro domino Laurentio Vallensi, ciui Romano, amico honorando.

Exemplum uero hoc:

FRANCISCVS BARBARVS PROcurator sancti Marci, præstantissimo uiro Laurentio Vallensi plurimam salutem dicit.

Quantum me delectarint literæ tuæ, quæ plenæ sunt humanitatis & benevolentiæ, facilius intelligi, quàm explicari potest. Quia cum ingenio & eloquentia excellas, & in omni genere doctrinæ tum Græcæ quàm Latinæ tantum profeceris, & ita suauiter, ita honorifice, me ad diligendum prouoces, bene profecto barbarus essem, si tibi in amore non responderem, quin potius male de literis & studijs, quæ inter nos communia sunt, & de bonis omnibus mererer, si te iam pridem non magnifi

magnificarem atq; diligerem. Quia licet inter nos nulla familiaritas intercedat, tamen tantas uires habet ingenium tuũ, & opinio uirtutis, ut græcos & barbaros & latinos allicere & delectare possis dicendo. Quare cum à natura, & à maioribus nostris sic instituti simus, ut omnia post deum ad uirtutem, ad laudem, ad decus, ad gloriam referamus, facile tibi persuadere potes, me non minus bene de te sentire, quàm ingenij tui magnitudo & bonarum artium disciplina postulare uideatur. Sed quid ago? de beneuolentia nunc, non de tuis laudibus agendum est. Cæterum, si tibi mecum, & mihi tecum uiuere & conuersari simul liceret, si parua licet componere magnis, fortè non minus gratiæ & autoritatis haberes apud me, quàm Athenodorus apud Catonem, aut Panetius se apud Scipionẽ habuisse gloriatur. Magnas itaq; gratias habeo Clarissimo uiro Laurentio nostro Archiepiscopo Aspalatensi, qui tibi persuasit, ut ad me aliquid scriberes, ut amicitiæ fundamenta, quæ inter nos etiam tacendo iacta sunt, confirmarentur. Perge igitur sicut cœpisti, & nos non solum dilige, sed etiam ama, & non minus de me tibi sponde, quàm de te mihi. Postremo à te peto & postulo, ut in hac Pogiana accusatione non expectes nũc, quid ego aut de doctrina, aut de calumnia cuiusquã sentiam, quia nec omnia noui, quæ in utranque partem scripta sunt, nec de ingenijs & moribus doctissimorum & amicissimorum hominum temere iudicandũ puto. Quin potius, sicut alias grauissimas & acerbissimas inimicitias inter eloquentissimum Leonardum Aretinum & Nicolaum Florentinum sustuli, & Pogium postea Guarino, & Guarinum Pogio reconciliauit: ita nunc optarem, si fieri posset, pro laude & dignitate literarum, ut Pogius tecum in gratiam rediret, ut omissis istis simultatibus, quæ minime dignæ sunt uiro sapiente, sicut Soloni placuit, omnis è medio tollatur memoria iniuriarum. Vale. Venetijs, pr. idus Martias.

Agnoscis Podi impudens mendacium tuum, qui ais? POG. *Francisci Barbari uiri doctissimi mihiq; amicissimi sententiam noui, qui cum pro sua humanitate omnes laudet, tamen risu in sermonem incidens, quæ sua sit de te opinio, demonstrat.* LAV. *An tu his eum uiginti annis allocutus sis, aut uideris, nescio. Non enim uideo, quo loco, aut quo tempore eum potueris hominem alloqui, hominem in republica administranda uehementer assidueq; districtum, ipse perpetuus summi põtificis assecla, & ut dicitur, glebæ adscriptus, nec unum pedem tanquam catenatus fossor ab opere suo discedens. Hoc tamẽ scio sentire eum de te, ut de pessimo uiro stultissimoq;, atq; indoctissimo. Neq; enim ille à cæteris doctis atq; prudentibus, & ab ipsa ueritate dissentit. Verum pro sua probitate dissimulat, nec te crabronem irritare uult: præsertim, ne uideatur ingratus erga te, qui ipsum laudas, qui amicum uocas, qui missis contra me libris hoc honore prosequeris, qui oras, ut causam tuam agat, meam impugnet. Itaq; mediam quandam tenuit uiam, ut nec te tantopere erga se officiosum aspernaretur, & de mea doctrina ita pronuntiaret, ut & ueritati satisfaceret, nec te nisi planè insanire uellet ostẽdere. Certe cum eum cites, tamen nec officia, nec preces, nec blanditiæ tuæ ita eualuerunt, ut non me contra accusationem testimonio subleuarit, ut si etiam amicus eius sis, apud grauem tamen & integrum uirum ueritas, quàm amicitia præponderarit. Quemadmodum à Platone, deinde ab Aristotele dictum est: amicus Socrates, amicus Plato, sed ueritas amicior. Addam huc literas Petri Thomasij, qui in scribendo uidetur mihi præ se ferre, qua in curandis ægrotis utitur, circunspectionem.*

Petrus Thomasius.

PETRVS THOMASIVS INSIGNI uiro & oratori clarissimo Laurẽtio Val. Sal. &c.

Non etiã ad id aspexissem, quod amicissimus sim Pogij, & nulla

nulla tecum familiaritas præceſſiſſet, quoniam nõ ſoleo ueteres deponere amicitias propter nouas, nec aſpernari nouas propter ueteres, cũ honeſtæ utræq; ſint, unumq; honeſtũ alteri nõ repugnet. Amo itaq; te, & libere & expedite, Laurenti, nõ ſolum quòd me diligis, uerumetiam, quia mihi uiſus es perdignus amari. Sed alias in præſentiarum laudes non explicabo tuas.

Idem in alia epiſtola.

REVERENDISSIMO PATRI ARchiepiſcopo Aſpalantenſi, Petrus Thomaſius plurimam S. D.

Accepi epiſtolam tuã, qua in primis ſignificas dominũ Laurentium Vallam nihil ad me ſcribere, quemadmodũ pro tua tã mẽ humanitate mihi pollicitus fueras, & ſuã, ut dixiſti, ratiunculam adduxiſti. Ego nihil ab re, & abſq; cauſa actum à tanto uiro exiſtimare poßum, quẽ integerrimũ eſſe oratorẽ poßum iam tua autoritate firmare. Prius enim non ſolum peritum dicendi, ſed peritiſſimum ſciebam hominem. Nunc ſimul cum nõ ſolum bonum, ſed optimum uirum eſſe audio, &c.

*Habes Podi quid de me Venetiæ ſentiant. Quid autem Romæ? etſi uix ulli Romæ uiderunt reſponſionem meam. Certe ſummus pontifex, cui archetypum meæ defenſionis oſtendi, idem ipſum, quod Venetijs perlatum eſt, ſimul ac perlegit, quingentis me Papalibus aureis ſua manu donauit, ob abſolutum quidem à me Thucydidem: quaſi inter me & te ſententiam ferens. Et tu ais me illi eſſe contemptui, * qui me, nihil dicam de alijs, tibi certe longißime anteponit. Cuius rei teſtes ſunt cum alij nonnulli, tum uerò duo Petri Nucertinus & Lunenſis, ſoli è ſecretarijs ſummi Pontificis contubernales & conterranei, qui hoc mihi etiam ipſo ſummo Pontifice uolente ac iubente retulerunt. Et tu me ſecretarijs inuiſum dicere audes? quorum duo Auriſpa atq; Rinutius me, ut ſuo in*

* Forte ſic legẽdum, quẽ, ut nihil dicã de alijs.

Petrus Nucertinus.

Petrus Lunẽſis.

Auriſpa.

Rinutius.

Digitized by Google

Græcis literis discipulo, gloriantur, ut ego inuicem ipsis præceptoribus. Et Cãdidus de laudibus operis mei de uero bono, cũ esset Mediolani, epistolam accuratissimam scripsit: comparans me omni antiquitati, quorum deniq; nemo est nõ mecum summa amicitia ac familiaritate coniunctus, præter unum absentẽ, tibiq; inimicissimum, Georgium Trapezuntium, cum quo dimidium annum in legenda Rhetorica contendi, quòd Quintilianum non desisteret incessere, in cuius gratiam redij, quòd in sequenti anno maluit non amplius legere, quàm contendere. Etiã de opere meo Florentia iudicasse dicenda est. Quandoquidem Iannotius Manettus uir eruditissimus, cum legatus Florentinorum hic esset, cui defensionem causæ meæ ostendi, exclamauit filio, & ut reor, genero, alijsq; compluribus audiẽtibus, non ne diuinaui, non ne prædixi fore, ut Pogium pœniteret? Pogius semper erit Pogius, Semper erit fatuus, Pogius patriæ nostræ dedecori potius quàm decori est. Quid autem de me ille sentiat, & quantum honorem sibi à me habitum putet, norunt uel omnes docti, qui Romæ sunt, Florentini. Et tu eum mihi subiratũ fingis, quòd se fecerim obiurgantem ineptias tuas: quasi aut tunc, cum legatus erat, aut nuper, cum Romam uenit, mecum de hac re expostulauerit, mendacissimorum impudentissime. Quapropter cum tale sit doctissimorum de meo aduersus te opere iudicium, descendam nunc ad uitiorum, quæ tu in eodem opere notas, defensionem, quæ non prioris cõtrouersiæ est, de qua uictoriam reportaui, ut docui, sed nouæ ac recentis. Ais enim: ut tua plurima præteream cõuitia. POG. A' quo habes autore, demẽtissime rabula, Catonem decreuisse Cæsarem ob res eius gestas propter inuidiam accusare? Nemo ad hoc tempus hoc uiriũ Catoni adscripsi, præter temerarium Vallam: tanto est studio alienæ dignitati & laudibus derogandi. Imitatus est Laurẽtius nostier falsissimus ac succidiæ plenus, furem quendam nobilem, qui

Georgius Trapezuntius.

Iannotius Manetius.

cum

cum ad supplicium ducceretur, etiam in uia argenteam fibulam à Zona pendentem cuidam abscidit. LAV. Da mihi uenia Podi, qui te Catonianæ famæ tutorem putas, si dixi Catonem Cæsari inuidisse, ut Cæsar etiam ipse testatus est, cum mortuũ auditum, cum tu in oratione, qua Guarino respondes, Cæsarẽ, quẽ ego laudaui, omnibus probris laceres. Et miraris, quod inuidisse dixerim Catonem potentiæ Cæsaris, cum in eum Cæsar tanquã in malum uirum, contra Ciceronis opus Anticatones scripserit, quod etiam fateris, homo inconstantissime. At enim nemo id Catonem constituisse tradit. Taceo cæteros scriptores, quorũ unus est Plutarchus, qui uitam eius scripsit, non'ne Guarinus tibi pro Cæsare contradicens, huius rei meminit Podi mente capte? Nam quid magis mente capti hominis est, quàm credere, & ut credibile ferre, quempiam, qui in uia à carnifice ad supplicium ducatur, non dico uelle, sed posse, cum manus post tergum ligatas habeat, amputare alteri zonam? cũ præsertim careat ferro, quod si habere, nec habere solum, sed etiam exercere posset, mallet uincula sua laqueumq; abscindere, quàm alienam zonam, siue, ut tu inepte ais, fibulam: quasi fibula pẽdeat, & non substringat uestem à Zona, cũ sit ipsa pars zonæ. Claues, cultelli, & bursa, ut tuis uerbis utar, & ocularia à zona pẽdent. Hoc unũ habuisti omnino ad eruditionẽ pertinens, quod tribus defensionis meæ libris opponeres: cætera sunt insolentiæ crimina, non minus stulte obiecta. Nam insectaris meam contra te loquentis insolentiam, quòd me Herculem, quòd me Iouem fecerim, sicuti leonem contra Faccium, Panhormitamq;. Vide quantopere tuum crimen reformidem, etiam fortiorem me Hercule ac Ioue, nedum leonem audeo facere. Feci me Herculem, cur ita? quia te Cerberum. Feci me Iouem, cur ita? quia te Typhœum. Feci me leonẽ, cur ita? quia Panhormitam ac Faccium canes luposq; feceram. Quos tu, ut canes luposq;, à me ueluti Fibula.

Digitized by Google

leone laceratos, non alia impudentia negas, quàm qua te à me, aut tanquam Cerberum esse alligatum, aut tanquam Typhœũ esse fulminatum. Verũ, ut illis omissis ad te redeam, quæ tandẽ insolentia mea est, cum te dicam Cerberum, appellare me Herculem, qui te Cerberum domui? aut, cum te dicam Typhœum Gigantum immanissimum, appellare me Iouem, qui tecum inuasore certaui, teq; superaui? Ita ne tu Cerbero, tu Typhœo te cõparari sustines? me, qui sum te fortior, Ioui aut Herculi comparari non sustines? At ego, ut dixi, me etiã illis anteferre aussim, quippe qui minori negotio te nostri seculi uel Cerberum uel Typhœum domui prostrauiq;, quàm aut Hercules suum Cerberum, aut Iupiter suum Typhœum. An non legisti, quid dicat apud Senecam Theseus, cum de Hercule & Cerbero loquitur? Ad meas quoq; respexit Alcides manus. Ego in te Cerbero trahendo ad nullius alterius respexi manus, quæ me adiuuarent. Aut fabulæ tibi sunt ignotæ? quæ aiunt Iouem in prælio aduersus Typhœum à multis diuorum fuisse adiutum? quin etiam cogitasse de se in aliquod animal transformando, ut etiã Neptunus fecit Gigantum formidine? Ego nullius eruditorum in te confutando subleuatus sum ope, nec unquam te reformidaui, nec de me occultando cogitaui, ut merito gloriari possim, me præstantiorem extitisse Hercule, Ioueq;, atque Neptuno, cuius fuscinæ meam triplicem defensionem sicut trisulco Iouis fulmini comparaui. Quo minus debuisti nomen mihi Porcelli opponere, quem amicum meum esse opinor, & qui me in recenti aduentu accipere, & à me accipi in cõuiuium solitus est, cuius Epigramma ad me, tanquam ad operis sui iudicem, extat sanè quàm honorificum, & meum uicissim ad eũ eodem die rescriptum: qui si contra me, quod non puto, scripsisset, profecto ne si Erymanthius quidẽ foret aper, ab Hercule ferret impune. Vides quàm uerear tuum iactãtiæ crimen? qui passim, ut magis

tibi

tibi dolcat, me iacto & glorior. Ideoq; tuas alias insimulationes ut inanes, leues, calumnioſas contemno, atq; non ſuperbo, ſed ſublimi ac generoſo pede conculco, dum ais: POG. Cum dixiſſem Vallam communem doctorum omnium eſſe hoſtem, uidete qua iactantia, qua temeritate, qua impudentia reſpõdeat, Docti illi quidem ait, peritiſſimi, elegantes, latini, ſi uis, etiam ſapientes: uerum ego doctior, peritior, elegantior, &, ſi ucrum de illis dixiſti, etiam ſapientior. Quid ad hanc Thraſonianam iactantiam effrenatamq; dementiam addi poteſt? LAV. Verũ eſt prouerbium, Fatuus lapidem facile deijcit in puteum, ſapiẽs difficile tollit. Hinc eſt, quòd Podius in puteũ meum nõ ceſſat lapides iacere, de ſuo autem ne unum quidem educere poteſt. Videntur quidem mea uerba, ut ab aduerſario referuntur, iactantius dici: ſed qui legerit cui crimini, & in qua cauſa reſpõdebam, intelliget ea cum fiducia eſſe & fortiter ad repellendos accuſatores, non cũ arrogantia dicta. Et ante omnia P. Clodi, cur ſemper uerba mea aliqua ex parte defraudas? Nõ enim aſſeueraui illos eſſe doctos & ſapientes, ſed ex tuis uerbis retuli. Hæc enim ſunt mea uerba, cum de grammaticæ præceptoribus in quæſtione duntaxat mei, tui, ſui loquerer, non autem de omnibus doctis, & in omni grammaticæ parte, ut tu latrator Cerberus ementiris. Ita enim ſcripſi: Non quia quicquam uelim ex illorum laude detractum, ſed ut ueritas eruatur. Sunt enim ut tuis uerbis utar, docti illi quidẽ, & reliqua. Cernis, ut non aſſeueraui illos tales eſſe? Ergo ne mihi quidem illã laudem ſerio uendicaui, ſed quòd tantum ſuperior illis eſſem, duntaxat in hac parte grammaticæ. At contra quam inſectationem libuit mihi de uera uirtute gloriari, nes reformidare ueritatem, quòd in hac re, de Priſciani tanquam de Herculis manu clauam eriperem? Nempè contra hanc. POG. O uoccm piſtrino & ergaſtulo dignam. Quis hanc petulantiã, temeritatem, audaciam,

mordaciſſimi pediculi æquo animo ferre qucat? Quis non dedignetur ſapientes à ſtulto, doctos ab indocto, peritiſſimos ab ignauiſſimo, elegantes ab abſurdo, latinos à barbaro reprehẽdi? Hic'ne uir inſulſiſſimus nulla autoritate, nulla doctrina præditus, omnium, qui uiuant, amentiſſimus ſcribere audet, & ab omnibus grammaticis, præſertim talibus, diſſentire? LAV. Et plura. Aduerſus iſta, Podi barbariſſime inſipientiſſimeq;, tam cõtumelioſa dicta, tanta probra, tanta opprobria non debui pro ueritate, pro dignitate mea, & ut te retunderem, ita magnifice loqui, & cum ſuperaſſem in ea materia grammaticos omnes, qui immortalitatem eſſent conſecuti, mihi quoq; immortalitatem uendicare? Hunc enim ego meorum laborum fructum, non, ut tu pecuniam peto. Neq; tu detrectator, cum meam uirtutem ac meritum negare non poſsis, negare debes præmium & gloriã. Inſectaris enim inquiens, POG. Verũ ſi hoc, quod ſequitur, aduertat, Vallam noſtrum non hominem, ſed quoddã omni ratione uacuum & inſanum portentum è terra genitum putet, multoq; immanius quàm Gigantes illos, qui dijs bellum indixere. Ait enim, ut tandem laudes ſuas aliqua præclara ſentẽtia conſummaret: qua de re tam multa ego tamq; egregia tradidi ex ſummis oratoribus obſeruata, ut putem me ſatis ad æternitatem gloriæ uel ob id capitulum comparaſſe, & poſſe inter præſtantes ſcriptores enumerari, quem illi quoq;, quos reprehẽdi, ſi reuiuiſcerẽt, admirarentur. O uolatile cerebellũ, ò caput lardo & fumo refertum, ò craſſa ceruix. LAV. Tu tu Podi detrectator inuide & amariſſime, autor es meæ iactãtiæ, tu mihi de me ipſo prædicandi imponis neceſsitatem, neq; enim magna uis niſi maiore repellitur, nec denſæ mẽdacij tenebræ, niſi claro ueritatis lumine, excutiuntur. An mihi non liceat, quod tibi homini formicino, muſcino, ac uermino licere putas? qui ais in libro cõuiuali, quem ego, ut ſtultum, reprehẽdi. Nõnulla hacte-

nus

nus conscripsi, quæ iam inter multos diffusa longiorem mihi post obitum uitam allatura uidcătur. Credo in primis spurcissimum de cõfabulationibus opus tibi immortalem post obitum uitam allaturum speras, de quo ad extremum aliquid dicemus, ut tuæ magis æternitati consulamus. Etiam pergis: inquiens, POG. Elapsum est ferè è manibus ob negligentiam, ostentationis genus inauditum, & admodum prædicandum. Ait enim in secundi fine libri homo minime iactabundus, minime arrogans, minime ambitiosus noster Valla: ò igitur opus ipsum præclarum, ò libros omnium lectione dignos, ò aurea Laurētij præcepta. Redire profecto sum coactus ad tam temerariā huius fatui de se prædicationem, si aurea huius insani præcepta sunt censenda, quod metalli genus Aristotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ, cæterorumq; priscorum præceptis attribuemus? plumbum, ut opinor, sed hoc dementer, ut reliqua. LAV. Cur Podi improbissime, sumpsisti nũc, ut sæpe, de meis uerbis, * quod sequebatur, ubi causa reddebatur, cur id à me diceretur, hoc est, unde apparebat me nequaquam id serio loqui? Hoc enim sequebatur: quæ in ardentißima fornace Podiana nihil tamen damni fecerunt, quantũ ego debeo Podio meo? nõ possum nõ gratias agere, quamuis ille non facile patitur, ut me sibi debere prædicem. Tu nc Podi stultißime existimas me fecisse te fornacẽ? qui ipse fornace dignus es, non ut aurum, argentũ, æs, stannum, sed ut sulphur? fecisse fornacem ardentißimam, qui nullam ingenij scintillam obtines, sed, ut uena sulphuracia, semper cales & fumas? fecisse fornacem auri, qui sic aureo eloquio simulis es, ut sulphur aureæ dignitatis? Nã qui appellarẽ doctißimos peritißimos, sapientißimos uiros, si te auri fornacẽ ardẽtißimam nominarẽ? Tu nõ fornax, sed lutũ: tu non ardẽs fornax, sed glaciatũ lutum: tu nõ auri purgator, sed immũdißimũ cœnũ es. Tandem ego te esse cum scirem, nõ fuissem serio gloriatus, quòd ex tuo

* Vide num sic legendum, quòd tibi ad calũniãdum aptissimũ erat, reliquisti autẽ id quod sequebatur.

Digitized by Google

igne aurum meum nihil damni feciſſet? Itaq; ſicut tuæ imbecillitati per eroniam inſultaui, ita per eroniam mea præcepta aurea uocaui. At tu Thraſone non glorioſior modo, ſed ſtultior, exiſtimabas, cum dico: quantum ego debeo Podio meo, me ſerio loqui? & te ardentiſſimam auri fornacem appellare? Quod ſi ita eſſet, cum te tantopere laudem, quid ita in me ingratus extitiſti, uir peſſime ac ſtultiſſime, qui etiã quæris cuius metalli erũt illi ſummi uiri? quaſi non poſſint plures dici aurei, quàm ſi ſinguli qui propè infiniti ſunt, ſingulis metallis cenſeri debeant, quaſi, ſi quẽ dicam eſſe aureum, uidear alios facere plumbeos, quaſi ſi me etiam in comparatione tui, qui non dico plumbum, ſed æs, aut argentum es, feciſſem aurum, nequeãt doctiores intelligi eſſe ſmaragdus, hyacinthus, ſapphyrus, topazium, adamas, margarita, aut aliquid, quod omne metallũ dignitate tranſcendit. Neſcio an hic, an in eo, quod ſequitur, ſtultior fueris, dum inquis. POG. Illa uero iactantia palmaris. Nam cum de Hieronymi ab eo ſtultiſſime reprehenſi translatione dixiſſem, inter cætera, quæ boator inſanus loquitur, hæc addidit: niſi qđ melius quàm prior interpres transfero, ut mea translatio ſit ſancta ſcriptura appellanda. Quid, ò ſordida beſtia, ab homine prophano, perfido, hæretico ſanctum prodire poteſt? ac non potius obſcœnum, turpe, pernicioſum? Bibliam credo tranſtulit hic barbarus furioſus. LAV. Odioſum quidem mihi eſt Pogi fatuorum princeps, omnia, quæ in puteum meum deijcis, ſaxa educere. Hoc tamen erit ſolatium, & poſt moleſtiam perpetua uoluptas, quod omnia in caput, in pectus, in uentrem, in crura, & pleraq; in tuum fugiẽtis tergũ, clunesq; iaculabor. Non ne prima uerba loci illius in mea reſponſione hæc ſunt? Tuum eſt Podi dicere hanc eſſe Hieronymi interpretationẽ, & cuius illa ſit quam Auguſtinus, quam Ambroſius, quam Hilarius, quã Cyprianus, quam uteres alij ſequũtur. Non ne hæc aliquãto poſt

ex alio

ex alio opere meo sumpta? uerũ si post quadringentos omnino annos ita turbidus à fonte fluebat riuus? quid mirum, si post mille annos (tot enim ferè ab Hieronymo ad hoc æuum sunt) hic riuus nunquam repurgatus aliqua ex parte limum sordesq; contraxit? Quid ais P. Clodi Ciceronis, & pudicitiæ, & religionis hostis? si me Hieronymo non præfero? nõ confero? non ulla ex parte comparandum censeo? nec de illo quippiam dico, sed de uerbis sacræ scripturæ, ut opinor, uetustate corruptis? quid iactantiæ est, si dixero: scripturam sanctã uere esse illius, quicunq; is sit, qui optime transtulit? An non sancta scriptura est, ubi melius dixerunt Aquilæ, Symmachi, Theodotiones, & quorundam aliorum qui aut Iudæi, aut hæretici fuerunt? Non enim sanctum uirũ uel facit uel ostendit sancta scriptura bene interpretata: nec prophanum ac malum male & indocte interpretata, quia non è doctrina aut linguæ nitore, sed fide et cordis puritate homines iudicantur. Nec ego de mea dixi interpretatione, sed de cuiuscunq;. In prima enim & in secunda persona solemus loqui, non de me & de te tantum intelligentes, sed de genere toto. Esto sit illud, de quo in priore Antidoto feci mentionem: si ibi fuerit filius pacis, requiesset super eum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. aut illud: Adducunt igitur eum ad Caiphã in prætoriũ, aut illud: Sic eũ uolo manere, trãslatum à quouis, si fieri potest, sanctissimo uiro, & idem à me transferatur: si minus, ad uos reuertetur. &, Adducunt igitur eũ à Caipha in prætoriũ. &, Sic eũ uolo manere, utra erit sancta scriptura? non ne quæ uerior? atqui mea uerior est. Verũ, ut dicebã, neq; de me uno, sed de quocũq;, neq; de interpretatione Hieronymi, sed de corruptiõe loquebar illius interpretationis, neq; hoc in meã gloriã dicebã homo sulphuree, q̃d nullius gloriæ est, cũ quiuis Græculus hoc sciat, & ego in Græciã nunq̃ nauigaui, necdum tantis præceptoribus meis dignus sum

Auriſpa

Auriſpa atq; Rinutio, nedum Calo Iamne atq; Theodoro. Sed quid plura, cũ ſit res & hæc et alia omnis huiuſmodi ex ipſius Antidoti prima ſtatim inſpectione perſpicua? Pergam iam de alijs operibus dicere, & ab eo potiſſimum ingrediar, quod ad eundem Hieronymum pertinet, & abs te in priore quoq; inue ctiua exagitatum eſt. Ais enim, POG. Sed edidiſti librum, uel libros potius, oſtentator inſane, exiſtimans te laudem ex tanti uiri detractione conſecuturũ. Sed cum uideres tibi ignis pericu lum imminere, occultaſti librum, de quo paulo poſt dicetur la tius. Et longe poſt inquis: O belua inſana, tu Hieronymũ non reprehendis, qui librum compoſuiſti, ac etiam multis oſtẽdiſti, de erroribus in traducẽdo ſuis? Edes unquã omnibus libellum? cur domi occultum tenes? An ignem metuis? profer oro libros. LAV. O præclarum religionis patronum P. Clodium, ſi edidi libros, quomodo occultare poſſum? neſcit uox miſſa reuerti, et ſemel emiſſum uolat irreuocabile uerbum, ut inquit Horatius. Quære ab ijs qui habent, ſi non edidi, cur audes, ut editos, re prehendere? Sed tu quòd ediderim, & quòd occultem, utrunq; mentiris. Nam per occupationes meas, præſertim cum uelim alia edere, non edidi nec unum menſem penes me fuerunt libri illi iam octo annis, ex quo compoſui, & nunc apud Marcellum ſunt caput ferreum, iam inde à diſceſſu doctiſſimi uiri & Græ carum literarum peritiſſimi Sancti Petri Cardinalis, cuius uel unius teſtimonium ſatis eſt ad tuam nefandam infandamq; ca lumniandi dicacitatem refutandam. Cuius uerba ipſius chirogra pho hæc ad me ſunt, & ſi non credis, eum interrogato, qui adeſt nuper reuerſus ex legatione, cui te ſcio multa de me im pudentiſſime fabulatum. Audi itaq; eius uerba.

Doctiſſime uir, ſanctiſſimus dominus noſter remiſit mihi hũc librum ueſtrũ, cuius, ſi foret poſſibile, optarem copiam, quoniã multũ mihi placet, & utilis eſt pro intellectu ſacræ ſcripturæ, ueſter

uester Nicolaus Cardinalis Sancti Petri. Volo hic etiam eius ad uerbum subijcere epistolam duobus ferè annis antea missam: his uerbis, Optime atq; doctiss. uir, amice singularissime, receptis literis quas misistis, Pontificem nostrũ, adij, qui me præsente ad longum legit easdẽ, pro me habitus est, & quantũ intelligere potui, Pontifex plus te amat, q̃ hactenus ostẽderit. Post dies ali quot de translatiõis scabrositate politicæ Aristotelis dũ uerbũ faceret, aiebat: Laurẽtius noster clariorẽ feciſset. Vnde ego cõtinue adieci: ex quo Laurẽtius cunctis præferẽdus, cur sanctitas sua eum inter primos nõ haberet secretarios? qui respõdit, Sũt qui non fauent, sed erit. Hæc sic recepi, & dixi me uobis respõsurum: reperisse sanctitatem suã bene dispositam, & annuit. Fui per dies decem absens, nec modum habui literas mittendi, cum ignorem ubi resideatis. Ego sum uester. Valete. Ex Fabriano ultima Augusti. Nicolaus Cardi. Sancti Petri manu propria.

Vides P. Clodi, quid ille Cardinalis, quid etiam Papa de me sentiat? Verum hoc est alterius loci. Sed uides impiissime Clodi, qui etiam in secunda Inuectiua soles infidelium ritu dicere: ò dij boni, non damnari opus meum, neq; à summo Pontifice, neq; à Cardinalibus, sed laudari, sed expoſci, sed utile esse sacræ scripturæ intelligẽdæ dici. Nam Cardinalis Nicenus, uir de me optime meritus, et qui, ut Romam uenirem, mihi autor extitit, habet in opere meo partem, quippe qui illud, cuius suprà feci mentionem, Sic eum uolo manere, quid ad te? quod ego non animaduerterem, ut adderem, admonuit. Nam illud: Adducunt eum ad Caipham in prætorium, non mea animaduersio est, sed aliorum multorum, quorum unus fuit Cyriacus Anconitanus, in quem tu inuectiuã scripsisti, quòd ille ad amicum scripserat: superiore nocte sibi per quietem dixisse musas Apollinemq;, meliorem causam esse Guarini quàm Podij. Is Cyriacus in Lombardia reperit quatuor exemplaria emendate scripta sic: adducunt

Adducũt eum a Caipha in prætorium. Ioa. 18. Cyriacus.

Digitized by Google

cunt eum à Caipha in prætorium, & quod ego præuerecundia nolui facere, Auguſtinum notat, qui hoc ignorauerit, laboret q; enodare, ubi nullus eſt nodus. Amiciſſimus meus ac doctiſ-
Ioannes Tyburtius. ſimus Ioãnes Tiburtius reperit apud ſanctum Chryſogonum, ubi cum magno theologo habitat Cardinali Ilerdenſi, ueneran dum codicem Euangeliorum, in eodem loco emendate ſcriptum. Quem locum fertur Eugenius quartus emendare deſtinaſſe. Hæc, & eiuſmodi ſunt, quæ in opere meo continentur, quod tu hæreticum appellas, & more tuo fabella inepta confirmare uis: inquiens, POG. Profer, oro te, libros, quibus illũ ſanctiſſimum uirum, noſtræ fidei lumen ſingulare, ut malum interpretem accuſas. Non erubeſcis, quamuis ſis pallidus, ſcribere: te melius interpretari, quàm Hieronymum? Recordare quæſo, quid reſpõderis doctiſſimo uiro Antonio Panhormitæ. Nam cum ante ueſtrum diſſidium te ad cœnam inuitaſſet, teq; poſt cibum tantæ temeritatis, quòd Hieronymum reprehenderes, damnaret, tu quid dixiſti perfidæ fidei decoctor: te tibi ut uerbis tuis utar, etiam aduerſus CHRISTVM ſpicula reſeruaſſe. Ad quæ uerba cum ille obſtupuiſſet, ſurgens de menſa cũ te obiurgaßet, cum tali belua inquit, non eſſe amplius colloquendum. LAV. Et poſtea tanquam crimen tuum planum feceris, exclamas amplificationibus tuis ineptiſſime utens. Nihil agis Podi, nihil agis latratibus tuis Cerbere, ex magnitudine criminis captas inuidiam mihi conflare. Cur ego illos libros componebam, etiam ſi Hieronymum pupugiſſem? contra eruditionem ne, an contra uitam? certe non cõtra uitam. Nam quis audeat eum negare fuiſſe ſanctiſſimum? Num, ſi quem tot ſanctorum patrum, quorum Homilias legimus, à me doceretur loqui potuiſſe latinius, continuo ne is à me, ut ſuperſtitioſus, ut infidelis, ut impius coargueretur? Minime. Ergo linguam, non cor talium uirorum quis fortaſſe reprehendat: ſonum, non

ſenſum

Digitized by Google

ſenſum: uerba, non res. At CHRITSI uerba nulla extant, quia Hebraice locutus eſt, nec aliquid ipſe ſcripſit. Cur ergo reſeruarem tela, ſiue, ut tu improprie loqueris, ſpicula, quod tuum non meum eſt uerbum, aduerſus CHRISTVM, in cuius honorem, ò te omni diabolo tetriorem, componebatur id opus? Cur enim conferebam riuum latinum cum Græco fonte noui teſtamenti? an ſicut Porphyrius, ut ipſum nouum teſtamentum impugnarem? ut religionem noſtram labefactarem? ut CHRISTO per illud opus bellum indicerem? an ut ei ſeruirem? & in templum eius ſaltem pilos caprarum, ut aiunt, ſi alia non poſſem, offerrem? Ego omiſſa omni alia lucrandi ratione, quædam opera in honorem religionis Chriſtianæ compoſui, & quaſi meis ſtipendijs pro CHRISTI honore tam diu militaui, & tu ais me aduerſus cum ſpicula reſeruaſſe, pro quo, quæſo, imperatore pugnaturus? an pro dijs, quos tu teſtari ſoles, Ioue, Baccho, & Venere? Et tamen teſtem citas, ſi modo uerum eſt, unum & eundem pluſquàm peßimum, & penè tibi parem Antonium Panhormitam, nunquam ſine præfatione nominandum, qui penè bis ſub Eugenio & Bernardino per imaginem cartaceam concrematus eſt. Quis hoc tibi detulit? ſceleſtißimus Panhormita: quis teſtis meo conuiuio affuit? ſcelestißimus Panhormita. quis CHRISTI blaſphemati uicè doluit? ſceleſtißimus Panhormita. O Podi acute quomodo poteſt de opere Græco iudicare, homo à Græcis literis remotißimus? quē ſi eius linguæ probes noſſe alphabetum, omnem tibi remitto, qua me affeciſti, iniuriam. Nec recordaris homo hebes, ac ſupina loquacitate, eorum, quæ finxiſti, ut me ebrioſum, qualem ego te deſcripſeram, repræſentares: inquiens, POG. Cum te olim uir clariſſimus Antonius Panhormita ante ueſtrum diſſidium ad cœnam unà cum doctoribus quibuſdam inuitaßet, te laudando uehementius, & uirtutes tuas tollendo, ac

Telum Spiculum

Antonius Panhormita.

ſubinde

ſubinde ad ſingulas laudes uinũ tibi non nigrum, ſed Græcum ſubminiſtrando, cũ id more Græco fieri diceres, ad tantam perduxiſſet ebrietatẽ, ut ueluti primo ſimia multos ludos iocosq; ederes, deinde, ut leo, inſurgeres fortior, tandẽ, ut porcus, dormiens te in triclinio proſterneres reſupinum, ſuperueniẽte nocte, cum nulla pars corporis ſuũ officiũ faceret, quippe omnia uino demerſa erant, neq; ad ſolitũ tugurium ebrius, dormiens, ſtertens reuerti poſſes, quidam ridendi gratia te ſuper aſellum forte obuium uatem noſtrũ Apollineũ impoſuerunt, & cũ neq; ſedere præ ſopore, neq; te erigere ob mẽbrorũ ſtuporẽ ualeres, reclinato, tanquam morbo debiles ſolẽt ſuper hærẽtis cuiuſdã humerum languido capite, brachijs manibusq; demiſſis, clauſis oculis, ore aperto, uiniq; ſaporẽ teterrimũ exhalante, tanquam alterum Silenum, ut in ſculpturis priſcis uidemus, domum deduxerunt, ubi qui ſocius erat, graui aliquo morbo hominem correptum putauit, neq; alijs ridentibus quidnã rei eſſet prius percepit, quàm uomitione ægritudo illa eſt patefacta. Hoc adeo grauiter Silenus noſter tulit, ut poſtmodum bellum, quod adhuc uiget, indixerit Panhormitæ. LAV. Vtram uis harum cœnarum fuiſſe tempore priorem? Si hanc, ex qua ego & Panhormita inimici facti ſumus, quo pacto ego illi alteri cœnæ potui intereſſe, ab eo inuitatus? Sin illam, quomodo ille me beſtiam talem, cum qua non putaret ſibi amplius colloquendum, iterum cum doctoribus ad hanc cœnam admiſiſſet? Agnoſcis Podi mendacium tuum, agnoſcis tuam impudentiam ſimul & imprudentiam? Ideoq; quanquam huius loci non erat, addam de alia, quam mihi obijcis, ebrietate, ut tegas tuam, qui cœnoſus nihil aliud ſtudes, quàm cum alio quouis uolutari, ut cœnum abſtergas. Et ut credibilem faceres ebrietatẽ. Neapolitanam, addidiſti Romanam, inquiens, POG. Ad hæc Neapolitana uinaria expeditio forſitan obſcurior, notior Romana. An-

nos

nos amplius ferè tres in conuiuio cuiusdam Episcopi tantum uini esuriens sitiensq; absorbuisti, ut cum uesperi lecturus esses, neq; ad horã præstitutam appareres. An ignoras discipulos tuos, cũ diutius stertentem oratorem suum exhalantem crapulam expectassent, tandem cubiculum ingressos, te uix magnis uocibus tanquam à lethargo detentum excitasse, cum tu somniuus, oscitans, stupidus, demens, caput phreneticum, & reliqua. LAV. Cur non addebas, quoties ego conuiuio alicui interfum, toties me solere fieri ebrium? Sed quis est iste Episcopus? quin cum nominas, si notior ista, quàm Neapolitana illa, crapula est? Nomina ex tot discipulis aliquos, ut pro testibus eos interrogare possimus. Et discipuli non modo in domum iniussu meo, sed in cubiculũ quoq; penetrarunt, præceptorem dormientem non uerecunde, non timide, non modeste, sed magnis uocibus excitarunt? Cur non addebas, quòd uelut Sileno uincula innexuerunt, quòd pedibus traxerunt, & in uiam tanquam Cacum protraxerunt? Deus te perdat scurra leuissime, qui amplius ab ista tua inuectiua triennio, hoc est, ab hinc quadriennio, transisse temporis ais, ex quo id gestum est, cum non amplius tribus iam annis legerim, quemadmodum de Neapolitanis quoque, apud miserrimum & aridissimum hominem Panhormitam, cœnis mentiris, quoniam & antequam Rex expugnaret Neapolim, fuit mihi ille inimicissimus iam inde à Caieta: tametsi male adhuc sarta gratia erat Papiæ rescissa, & post ortas inter nos simultates ego de noui testamenti collatione composui, ut ipse illud opus à me ostensum sibi non queat dicere, de quo, ut ad rem redeam, finemq; faciam, quid attinet dicere, quid sentiat homo spurcissimus, ut opus ipsius Hermaphroditum publice damnatum crematumq; testatur, cum tot Cardinales cum summo pontifice bene sentiant. Quare tibi nec de Ferdinando Cordubensi respondeo, qui si tecum de me, quem ait sibi amicum, & de se bene meritum, male loquitur, ingratus

est, nec officio probi uiri fungitur. Sin uerũ amicũ agit, tu potius emẽtitus es. Etiã libros meos de uero bono insectari audes, quòd & uirginibus detraxerim, & uana laudauerim: inquiens, POG. Nunc sanè uideo, cur in quodã tuo opusculo, in quo Epicureorũ causam, quantũ datur, tutaris, unũ tantopere laudasti. Et paulò post: ut Epicureolũ quendam uoluptatis assertorẽ te, esse fatearis. LAV. O si te Podi fecissem causæ Epicureæ assertorem, quãto plura dixissem? quæ noua laudis genera excogitassem? Mihi crede, ipsum mare in unũ cõmutassem, in quo tu tanquam deus non marinus, sed morinus natares. Nũc Maphæus Vegius, q de uino loquebatur, homo tetricus & minime Podianus, me nonnihil à planè lasciuiendo, & prorsus Epicureæ loquendo retinuit. Etiã de uirginibus ex eodẽ opere uerba subijcis, POG. Sed in libro primo, quẽ de uero bono scripsisti, uerba sacrilega quidẽ, & scelerata nimiũ, quæ à me referentur, ista posuisti: inquis enim, Ego uerò, uide quãta libertate, ac licẽtia respõdeam, sic statuo: Quisquis uirgines sanctimoniales primus inuenit, abominãdum atq; in ultimas terras exterminandũ morẽ in ciuitatẽ induxisse. LAV. Nebulonũ princeps Podi, adest Maphæus idẽ, uir in omni ætate castissimus, & qui sorores aliquot habet sanctimoniales, quem tunc amicissimum meum, ut nunc quoque esse spero, uolentem ac libentem introduxi, ut magis appareat, illa disputandi causa esse dicta sub Epicurei persona. Ideóque uolui damnare uestalium ac gentilium uirginitatem, ut magis laudarem Christianarum. Nónne semper ille in duobus libris perinde loquitur, ac si Epicurus ipse esset, non Maphæus, & uirginum ac sanctimonialium frater? O te * uerum plusquàm perditissimũ. Nónne dixi in proœmio, cur Epicureos abiectos homines & cõtemptos induxissem loquentes? Nõne in tertio libro quidam ex ordine minorum, sub cuius persona meam dico sententiã, contra Maphæum ueluti Epicureum sententiam fert? Quo ex libro cur tu uerba repetebas,

ubi

ubi causam Christianam ago? ubi gentiles cunctos impugno? ubi gaudia depingo paradisi, quem locum Candidus cum laudat, nihil se ait legisse floridius? Quo ex opere non minorē apud elegantes Guarinum, Leonardum, Ambrosium, Carolum, ad quos detuli, nitoris atque facundiæ, quàm apud sanctos ac religiosos pietatis & sanctimoniæ adeptus sum laudem, ut ob id uel magnam expectem ab IESV CHRISTO, *cui imprimis uirginitas & abstinentia grata est, mercedem atque remunerationem. Et tu continentiæ & abstinentiæ perpetuus hostis, libros illos ausus es mihi obiectare, tuæ fraudis, & tuæ tibi calumniæ conscius? Non enim ignorabas contraria libro primo in tertio contineri, quid sperabas? quid optabas reticēdo ueritatem? Nempe tibi, qui opus illud non audissent, credituros, & mihi uel non respōsuro uel nondum respondenti, inclamaturos, allatraturos, conuitiaturos. Atqui non defereret deus causam meam abs te prophano lacessitam, qui causam ipsius in meo opere nō deseruissem ab impijs & tui similibus lacessitam. Si ego tacuissem, ipsi pro me lapides loquti fuissent, & tuā calūniam cōfutassent. Nā quid facilius quàm te cōfutare, hominē tardum, hebetem, luteum, terreū, puluereū? Vt puluis enim à uento stultitiæ tuæ statim excitaris, & in sublime raperis, & nihil nisi aduersus oculos feris, nec cōsternis corpora, sed conspergis. Vide quanti te faciam Podi, semper mendacijs, semper nugis, semper tergiuersationibus, semper ineptijs utētem. Si mille Podij ex aduerso in acie starent, si qua est fides, (nolim uideri de me superbe, sed de te abiecte loqui) non pluris cohortem Podianam facerem, quàm aut aquila gregem coruorum, aut accipiter cateruam graculorum cum clamoribus inuadentium faceret. Si mihi non credis, iusiurandum, & quidē sanctißimum, interponam, quod Socrates interponebat, per anserem & canē deierare solitus,* Deierare *dixi, pro iurare, non pro peierare, ut tu facis, inquiēs,* POG. *Tanquā deū curet homo per-* Deierare.

iurus, aut impius aliquid pensi faciat deierare. LAV. Sed quis te inauditus & incognitus tenuit furor, ut libros non meos pro meis, imò nullos pro ueris reprehenderes: cum ais? POG. Citetur præterea liber de fato diuinaq; prouidentia, in quibus palàm beatum Augustinum omnesq; doctores improbat, blasphemus est in deũ, & nouæ hæresis autor existit. LAV. Qui sunt isti libri mei mihi ipsi ignoti? cur tu aliquem ex eis locũ nõ profers? cur non aliquid blasphemum? aliquid hæreticum? aliquod denique uerbum Laurentianum? homo tartaree, satanæ frater, Belial fili & ignis æterni sempiternum pabulum, quãdiu uiues, Italiæ dedecus, & seculi turpitudo, atque ciuitatis sterquilinũ, morere quãprimum, qui non mori, sed uiuus uidens q; debiscente terra dignus es absorberi. Nam quod in libro, quẽ de libero arbitrio scripsi. Aristotelem dixi in Euripo perijsse, non sine autoritate dixi, non dico quorundam aliorum, quorum est Lucianus, sed Gregorij Nazanzeni, uiri doctissimi apud Græcos, atque eloquentissimi, in quem tua illa conuitia, non in me boant. POG. O insanam beluam, ò stultitiam, inscitiam, dementiam, turpitudinem nõ ferendam, quid enim stultius esse potest? quid peruersius, quàm Vallam nostrum, qui se scientiam omnium rerũ tenere iactat, ignorare Aristotelis mortem adeò inter omnes uulgatam, ut nemini ferè, qui aliquid sapit, sit ignota? LAV. Non ignorauit Gregorius istud genus mortis fuisse uulgatum, sed aliud maluit credere, quod non uulgatum, sed ab amicis occultatum fuit, tametsi multi sunt, qui aconitum sumpsisse eũ tradunt. Quid enim uulgatius morte Socratis, quem Plato tradit in carcere obijsse? at id falsum est. Quid Themistoclis? quem aiunt taurino sanguine hausto fuisse extinctũ. at id curiosi uestigatores ueritatis negant. Quid tyranni cæde Pisistrati, ac nece Harmodij atq; Aristogytonis? at omnem Græciam Thucydides errare conuincit. Quid morte Alexandri? quem ueneno necatũ Curtius negat, & pleriq;

Aristotelis mors

Socratis mors.

Digitized by Google

plerique aiunt, sed id timore Antipatri Cassandriq; fuisse suppressum. Infinita sunt huiusmodi exempla, ut de Romulo, quē in cœlum fuisse sublatum uulgus & loquebatur, & sentiebat, at cum nonnulli, quibus ipse assentior, à patribus fuisse discerptum crediderunt. Itaq; non continuo habenda est fides famæ magis uulgatæ, sed magis probabili. Ego cum scirem, quid Diogenes Laertius & alij nōnulli scribant (nam quomodo ignorarem, quæ uulgus nouit, tu hoc, quod ego dico, potius ignorasti) tamen malui in opere Christiano Christianum hominem sequi. In quo opere reprehendendo tu non Christiane, sed Arriane feceris, qui uerba, quæ non in mea, sed in collocutoris persona dicūtur, sicut superius de uituperatione uirginū & uini laude fecisti, mihi attribuis, inquiens. POG. In hac autem, de qua tecum loqui instituo (pace tua & aliorum dictū sit) nemini prorsus assentior. Nam quid de alijs dicam? cū Boëtius ipse, cui in explicanda hac quæstione tribuitur palma, quod suscepi, implere non posit, sed ad quasdam res confugiat imaginarias & cōmentitias? Ecce hominem sapientem, religiosum, perspicacem, qui nemini, ne Augustino quidem, qui de libero arbitrio scribit, assentiatur. LAV. Sunt ne ista scelesta mea uerba, qui respondeo: an Antonij Glerę collocutoris, qui instituit quæstionem, & quasi diuersas in acie partes tuentis. Ille ut alij plurimi, incertū habebat de libero arbitrio, nec alicui assentiebatur: tanquam planè hanc quæstionem explicanti. Itaque eius mihi, ut in dialogis fit, ad instituendam disputationem fuerunt uerba repetenda, quæ, etsi in illo reprehendenda non sunt, tamen tu calumniose mihi attribuis. Ecce crimen meum, quòd Augustinum insector, quem ne nominaui quidem. At cur materiam ab eo tractatam retractauit? cur idem fecit ipse Boëtius? cur alij complures? Neque enim uetamur quæstiones à summis uiris disputatas, nos, quantulicunq; sumus, agitare, ut uidere licet in iure ciuili, in medicina, philosophia, in theologia, in

Romuli cædes.

Antonius Glera.

gia, in cæteris artibus, atque scientijs. At speraui me assecuturũ, quod assecutum dixi esse neminem. Nunquid meæ spei etiam pœnam dare debeo? At non præstiti, quod speraui, aut præstiturũ me pollicitus sum. Ego uerò uel minus promisi quàm præstiti. Nã tu, ut semp tui sis similis, etiã hic calũniaris, inquiẽs. POG. Videte oro, quanta sit huius portẽti nequissimi ostẽtatio, uel stultitia potius, fustibus & cruciatu digna. Hic se id finiturũ putat, quod nemo, ut asserit, sit ante assecutus. Verba sua hæc sunt: Est, ut ais, perdifficilis quidem ista quæstio & ardua, & haud scio, an ulli cognita. Nunquid enim res indigna est, si id tu non assequaris, quod uides assecutum esse neminem? Egò ne satisfaciam, quod nemo alius potuit? Deinde: In hac autem, de qua tecũ instituo (pace tua, & aliorum dictum sit) nemini prorsus assentior. LAV. Quid habent hæc uerba ostentationis? quid stultitiæ? quid cruciatu dignum? Si alterum uolentem assequi, quod ait assecutum neminem, cohibeo, & me excuso, si non possim satisfacere illi in quæstione perdifficili & ardua, & quæ an ulli esset cognita nescirem. Non sunt hæc mea uerba, sed aliena, non à me per ostentationem, sed à te per calumniam dicta, non in me stulta, sed in te, nec in me fustibus, quibus liberi, sed in te flagellis, quibus serui cædũtur, puniri digna. Quin potius homo hebes & rudis, aliquid in operibus meis, ut falsum, reprehendis? Sed ad aliorum patrocinia confugis, à quibus uis me, quia tu me confutare nõ potes, uideri confutatum: ueluti Lauri Quirini, quem nunquã allocutus sum, nunquàm audiui, nunquam uidi, de quo cum quibusdã alijs ita inquis, POG. Leonardus quidem Aretinus, dum uixit, scio quid de te senserit, semper præsumptuosam & fatuam bestiam appellabat, Guarinus Veronensis, quanti te faciat, suæ epistolæ, ut uerba sileam, ostẽdunt. Francisci Barbari uiri doctissimi nuhiq; amicissimi sententiã noui, qui cum pro sua humanitate omnes laudet, tamen cũ risu in sermonem incidens, quæ sit sua de

te opi

te opinio, demõstrat. Vir doctrina præstantißimus Laurus Quirinus, te si licet charum habet, qui dudum ægre ferens Aristotelis famam à te lædi, epistolam tibi contumeliosam scripsit, prouocans te ad certamen, cum profiteretur se Aristotelis, cõtra tuam contumaciam, defensorem. At tu congressum timens, qui nunquã nisi cum adolescentulis decertare consueuisti, eam refugisti silentio disceptationem. LAV. Quia dixi Leonardum solitũ dicere, tibi ligonẽ aptiorẽ quàm calamũ: uoluisti uicem reddere, ut diceres, eũ de me solitum male sentire & loqui, cum sint multi etiã Prælati in curia, qui ex eo de me præclarißimum testimoniũ audierint. Sed cur addidisti: dum uixit? an antequã uiueret, aut nũc dum non uiuit, bene sentit & loquitur? Quia Guarinum attuli testem, qui scripsit me parentem elegantiæ, finxisti cum nescio quid de me scripsisse. Quia nominaui Carolum, ut te superiorẽ, de ipso quoq; mentiri ausus es. Nam de Francisco Barbaro quãtopere mẽtiaris, iam probauimus. Lauri uerò Quirini an timuerim congressum, ex mea responsione intelligas licet. Quas literas nolo putes ad tempus à me fingi, nam earum exemplar cum à pluribus habeatur Venetijs, attulit illinc superioribus diebus iuuenis nobilis & inter paucos elegans Leonardus Montagna Veronensis, Archiepiscopi Aspalatensis cõtubernalis. Ego enim ideo epistolas meas non habeo, quia eas in libros nec referre, nec transcribere soleo. Earum quas dixi ad Laurum Quirinum literarum hoc exemplum est.

Leonardus Aretinus.

Guarinus.

Laurus Quirinus.

LAVRENTIVS VALLENSIS LAVRO. S.

Quis sis, aut qua conditione, quibus ue natalibus, ex tua epistola non didici: didici solum qua prudentia uel grauitate, & qua facultate dicendi sis, de quarum utraque dicam, quod sentio. Prudentia quidem & grauitate tanta es, ut antequam causam cognoscas, sentẽtiam feras, & ex epistola mea uelut indice meorũ operum me cõdemnes, nescies quid ipse in libris scripserim, &

Digitized by Google

per impudentiam quandam singularem diuinans, facultate uerò ea te esse affirmare possum, ut nequaquam tui muneris potissimum esse debuerit: suscipere summorum hominum patrocinium. Quod autem ais, ut isthuc mittam exemplaria omnium librorum meorum, scite admodum facis, ne dicam insciteque ab eo, de quo male mereris, donari tot codicibus uelis. Ego uerò non passim mitto libros meos, neq; iacto meam, si qua est, facultatem. Sed libri iam per se & Alpes & maria transierunt, & opus de elegantia à uicinis tuis summopere laudatum est, Guarino & Aurispa, uiris doctissimis & elegantissimis. Et tamen non est causa cur tecum copijs omnibus pugnem, sed una, ut spero, te cohorte debellabo. Ais tu Boëtium non errasse, & nõ cadere in hunc hominem reprehensionem? Hic cõciuis meus est, magis tua intererit conciuem, ut opinor, tuum, qui multo maior Boëtio est, T. Liuium de inconstantia historiæ reprehendi. Hanc tu cohortem si profligaueris, maioribus posthac tecum copijs agam. Sin minus, intelligam non oportuisse fatigari omnes copias meas, id est, te procaciter ad me lacessendũ processisse. Eam epistolam à Carolo Strozia cõmodato accipias licet, & alios libellos ijsdem diebus conditos de omnibus quæstionibus ferè operũ meorum, sed hos libellos uel cõmodandi uel non cõmodandi arbitrium sit penes ipsum Stroziam. Vale Calen. Octobris, quo die accepi literas tuas, in quibus scripsisti: primo idus Augusti, qui dies nõ inuenitur. Idibus enim dicimus, non primo idus. Alios barbarismos & solœcismos omitto. Iterum Vale.

Idus Augusti.

Videor ne tibi Podi detractasse ego pugnã, an ille potius qui Liuium defendere contra me non est ausus? Atque, ut magis indigneris, ac liuore rũperis, uolo gloriari ex eo opere, ubi Liuiũ reprehẽdo, quòd nuper apud Dionysium Halicarnaseũ legi, quẽ nunquã antea uiderã: omnes, præter nescio quẽ unũ, historicos rerũ Romanarum, quod mirũ sit, errasse, dicentes: Tarquinium superbum

LIVIVS.

Digitized by Google

ſuperbũ fuiſſe filium Priſci, quẽ nepotẽ fuiſſe multis ac neceſſa-
rijs argumentis ipſe docet, quorũ argumentorũ bonam partem
ego excogitaui, ut propè me poßis, quantum ad acumẽ ingenij
pertinet, Dionyſio cõparare, ac Liuio præponere. I nunc, & dic
Laurũ Quirinum putare me imbellẽ militem, & cũ adoleſcentu
lis, non cũ uiris certare ſolitũ, qui, ne quid inſolentius dicã, cum
Gigantibus, hoc eſt, cum autoribus cõgredi audeam, quiq; mon-
ſtra, ut Hercules, domẽ atq; extinguã. An nõ ſentis quibus ſagit
tis, quo gladio, quibus flãmis te hydrã conficiam, atq; exurã? ne
iterũ meã iactantiã mordeas, quòd me Herculem facio, faciam te
Iunonem, qui tanquã Iuno mihi ſubinde domanda proponis mon
ſtra, quæ ſi duodenarium numerũ tranſcendant, reddes me Her-
cule celebriorẽ. Itaq; facile patior oſtendi mihi alios ſuper alios
labores, ut etiã atq; etiam exaugeſcat gloria mea, eo quidem fa-
cilius, quòd hæc non tam monſtra ſunt, quàm Iuno ſub monſtro-
rum ſpecie certans. Quo magis mihi laborandũ eſt, ut hanc pe-
ſtiferam & infeſtam inuiſamq; ſummo patri Iunonem ſemel ex-
tinguam, ne amplius palatia cœli iurgijs ac litibus uexet atq; in-
quietet. Venio nunc ad reprehenſionẽ uitæ, etſi illud truculentiſ-
ſimum fuit, quod nõ ad uitæ meæ attinet reprehenſionem, ſed ad
parentum meorũ. Nam ſpurciſſimus hic omnium, qui fuerunt ac
ſunt, atq; impudentiſſimus, quia refellere crimina ſua non poteſt,
loco ſuæ defenſionis obijcit alteri eiuſdem aut ſimilis criminis ma
iora dedecora, quẽadmodum monſtraui, monſtraboq;, &, ut eſt
ſtolidus, id diſſimulare aut non uult, aut neſcit: ait enim. POG.
Cum Vallam noſtrum ueluti agaſonem paſtoralem appellaſſem,
aſinarium, in parentẽ meum uerſus, aſinarium fuiſſe dixit, ſtulte
ſanè & nimium demẽter. Nihil enim de ſuis parentibus ſum lo-
cutus, neq; enim ad illos, qui uita functi ſunt, mea oratio extendi-
tur, ſed ad ſtultitiã eius, qui uiuit: inhumanũ quippe eſt mortuos,
qui reſpondere nequeunt, inceſſere. LAV. Inhumanum eſt, ais,

inceſſere mortuos, ſtultum ſanè, ac nimium demens, cur iſtud ipſe nõ facis? cur tuo nõ obtemperas præcepto? Nihil, inquis, de eius fueram parentibus locutus. Quia nihil loqui poteras, quia non agaſones, nõ paſtores, non aſinarij fuerunt. Nihil fuiſti locutus de parentibus meis? at fuiſti locutus de me, quod non minus mihi graue eſſe debet. Neq; enim minus dolent nobis incõmoda noſtra, quam noſtrorum maiorũ. Itaq; cũ me falſò appellares aſinarium, ego patrẽ tuum uere aſinariũ compellaui. Neq; inſuetum, neq; in artibus uetitũ, uel laudem uel uituperationẽ de maioribus petere, dum uere, quod tu teterrimũ monſtrũ minime facis, ſed pro cõtumelia puſilla tam grandem ignominiam inurere uoluiſti, & cũ patri meo ſtudes detrahere, in matris meæ, pudorem inuaſiſti, inquiens, POG. Sed qui cõuenit exprobrare alicui patrẽ eius præſertim qui patre incerto ſit natus? qui patrẽ ſit mentitus? qui itidem, ut Romulus, iactare poſſit: ſe Martis filiũ eſſe? Nam is in cuius nomen inuadis, quẽ inſimulas fuiſſe patrẽ, quem tacito nomine utriuſq; iuris doctorem fingis, qua uita uixerit prætereo, ſed ita doctus fuit, ut nemo in Curia eſſet indoctior: ita in ea uerſatus, ut nullus ignotior: ita celebratus, ut nullus deſertior uideretur: qui adeò nobilis fuit, ut ſibi ipſi eſſet ignotus.

LAV. Do ueniam temulentiæ, furori, ueſaniæ tuæ, eatenus duntaxat, quatenus ad patris mei dignitatem ſpectat obtrectandam, etſi adeò cæcus rabie es, ut quid loquare, non ſentias. Patrem meum tibi nequaquam notum fuiſſe confiteris, quem nunquam uidiſti, cuius nomen necdum noſti, de quo nihil, niſi ex me audiſti: utriuſq; iuris fuiſſe doctorem, & tamen de eius uita, de eius peritia, de eius conditione tanquam de hominis tibi notiſſimi loqueris. Verum, quòd me incerto patre natum ais, & tanquam Romulum Martis filium eſſe, hoc ad matrem pertinet. Te tamen demiror, qui ut omnes numeros tuæ dicacitatis impleres, non dixeris: me, ut Romulum, à Laurentia meretrice

meretrice educatum, & ab ea nomen Laurentium accepisse. Tu ne matrem meam ausus es appellare impudicam? cuius uita omnis semper extitit pudicitiæ exemplar, quæ quinque & uiginti natã annos sic in uiduitate caste integreq; perseuerauit, præsertim ea uenustate, quæ multos ad eius petendum matrimonium solicitaret, ut omnium uirtutum, quæ in fœminas cadunt, extiterit specimen. Negabis hoc, etsi tibi notissimum, pro tua impudentia uerum esse. Tametsi, qua semper inconstantia es, sororem meam, ut uiro eius blandiaris, mulierem optimam appellas, cuius matrem, & eandem uiri eius socrum impudicam fœminam appellas. Quid igitur agam? compellabo ego uicissim matrem tuam? at eam ne audiui quidem, an fingam? atqui hoc à me absit Podianum crimen: falsa obiectandi, an eius Semproniam compellabo? an uereor Pompeios, Crassos, Cæsares, aliosq; Senatores ac principes Romanos usurpare, * quibus illa & prius, & post, & plus quàm P. Clodio placuit? at id tamen dedecus meum non purgaret. Podiana est ista purgatio, an apertum mendacium pro nihilo ducam? at erunt fortasse, qui credent, ueluti absentes, ueluti creduli, ueluti posteri, certe eius fœminæ, ex qua gloriari mihi licet, gloriam læsam uiolatamq; non patiar. Testor itaque cunctos, qui ista legunt, ne me insolentiæ damnent, sed necessitati ueniam dent, & probitatem ab improbitate fortiter defendi, ac magnifice ferant. Non mihi ipsi, sed matri meæ, quæ uiuit, & hæc fortasse audiuit, non tam decus ascisco, quàm dedecus arceo, etsi parcissime faciam: forsitã aliàs latius exequuturus. Hæc est P. Clodi, quæ prægnans aliquando, cum se ignoraret uentrem ferre, ex oraculo facta est certior, se grauidam esse, & parituram filium, iussaq;, ut id nomen puero, quod postea impositũ est, imponeret. Quale oraculum, & à quo sanctorum factũ fuerit, non solũ matri, sed propinquis, uicinis, notis, atq; etiã paterno chirographo pro

Mater Laurentij.

pho probandum relinquo. Vides Podi ut Herculem, quem deſtructum uis, obijciendis monſtris efficis illuſtriorem? Nunc de uitæ meæ innocentia reſpondebo, ſumpto ab ipſa adoleſcentia principio, quam tu, quia abs te laceſſitus mentionem filiorũ tuorum temperatiſſime feceram, inceſſere uoluiſti: inquiens. POG. Quòd uerò quæris, cur hœdos meos à lupis non cuſtodiam, credo filios meos à te ſignificari. Sed ij, quamuis paruuli ſint, tamen cum propè tranſis, ueluti catuli uigiles Lyciſca latrante ſignificant lupum famelicum hœdorum diuerſorio appropinquare. LAV. Nunc hœdos tuos, quos eoſdem inepte catulos uocas, dum ſunt inter nos inimicitiæ, ſibi à me timere ais, cum anno ſuperiore, dum erant auditores mei, & ob reuerentiã tuam honorifice domi meæ tractarentur, quoties eò ueniebant, nihil à me timuerint. Ego tibi memoriam refricare uolui facti illius toti uiciniæ noti, propter quod tu filium tuum loris cæcidiſti, eam rem ubi comperiſti, pro tua æquanimitate ſiluiſti, quoniam lupus ille nobilis erat, & tibi amicus, & me poſtea lupum uocas, qui ſi formidares lupos, qualis ego non ſum, non hœdos tuos Lyciſcæ crederes, qui lupo patre eſt genitus. Sed de hoc uitio poſterius ſuo loco. Nunc de crimine adoleſcentiæ meæ, de qua ita ſubiungis. POG. Debeo tibi gratias, qui me admones turpitudinis tuæ, qui nondum etiam exacta ætate potes præteritorum tuorum ſcelerum obliuiſci. Subijcit tibi ante acta uita memoriam peſſimi flagitij, in quo fuiſti ab infantia turpiter uerſatus. Vidi enim te, poſteaquam ad urbem ueni, uulgare ſcortum, & corpus habens uenale, ita omnium turpitudini expoſitum, ut nulla eſſet merx in urbe emptoribus uulgatior. LAV. In hac urbe, in qua natus, & ad uirilem ætatem educatus ſum, ubi me flagitioſiſſimam ais uixiſſe uitam, non aliorum, ſed tuo unius uteris teſtimonio. Ipſe, inquis, uidiſti, non ab alijs audiſti? ſolus tu id noſti? non ergo uulgare fuit, ſin res uulgata, quid attinet

Ad reprehenſionẽ uitæ ſuæ.

Digitized by Google

tinet memoriam tuam, qui exacta ætate es, afferre testem, cita æquales meos, cita condiscipulos, cita uicinos tribules q; meos, cita ipsum quoq; Porcellium, qui aliquanto me natu est maior, qui præceptor fuit fratris mei, qui me adolescentem uidit, quem ais in me scripsisse: hominem in loquendo atq; obloquẽdo liberrimum, si quid uidit, si quid audiuit, si quid tale de me suspicatus est. De quo, ut aliquid ego testimonij sumam, cũ quidam me uirginem esse prædicarent, ipse, ut laudi meæ aliquid derogaret, frigidioris naturæ me dicebat, nec de me quicquã fingere ausus est, etiã cum aliquandiu inimici fuimus, quod fratrem meum natu maiorem cum multis armatis ad ripam Tyberis aggressus, qui etsi corpore athletico & stipatus armatis, tamen me & masculũ & calidi ingenij expertus est. Adeò integrior castiorq; extiti, quàm ut maligni & inimici detrahere auderẽt. Possem nominatim plurimos tum nobiles, tum literatos, tum alios uel ciues uel externos, quibus cũ uixi, afferre testes integritatis & *mũditiæ meæ: possem & ipsum summum põtificem tenacissima memoria uirũ, non rerum turpium ac malarũ, sed honestissimarum atque optimarum. Sed malo tuam ipsius sceleratissime Podi conscientiã afferre testem, ac te ad tribunal dei, ubi nihil occultare licet, ad pœnã uocare talionis. Magnis enim periculosisq; morbis magna & ancipitia sunt remedia adhibenda. En Podi tolle oculos, suspice in cœlũ, cerne Tribunal IESV CHRISTI in summo æthere positum. uide mirifica specie angelos circunsistentes, & nos iudicio disceptaturos ad se conscendere iubentes, iudice mox affuturo. Quid tu facis? quid respondes? Ego certe tanquam ad uerũ conspectum diuini tribunalis atque sanctorũ angelorum dei Vergiliano uersu, ac sublatis in cœlum manibus exclamo,

Sancta ad uos anima atque istius inscia culpæ
Ascendo: si sum mentitus, mihi tellus ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,

*Forte legendum, pudicitiæ.

Pallen

Pallentes umbras Herebi noctemq; profundam.

Hoccine tu Podi audes dicere: te non mentiri? te non præterconscientiã mihi detraxisse? Te quæso IESV CHRISTE, si meæ dignæ sunt, quas exaudias, preces, si Podius non ore tantum, sed corde etiã mentitus est, ede in hunc hominem exemplũ, ut cæteri fiant ad calũniam tardiores. Iacta sunt, ut opinor, fundamenta tutandæ pudicitiæ meæ. Quo audacius cõfutabo reliqua, quæ paulo post subijcis. POG. Quid te ad aperiendum ludũ, ad quem pueri elicerentur, patefacere coëgit, nisi ut ad tuam palæstram adolescentum greges conuocares? ut tua domus non domicilium doctrinæ, sed libidinis diuersorium uiderctur? Possem nominare nonnullos, quibus suam pudicitiam per te tutari nõ licuit, cum ij postea questi sint, nisi & illorũ & meo pudori uellẽ parcere, tu ipse nosti scelerum artifex, quæ fuerit parentũ querimonia, cum ad eos tantum facinus est delatum. LAV. Nescio utrum hoc, an superius sit crimen atrocius. Hoc tamẽ, quia præsentis temporis, est confutatu facilius. Ego reddidi superius causam, cur ad concurrendum cum Trapezuntio omnium Rhetorum, ut ferebatur, hac tempestate doctissimo adductus sim, etsi Rhetoricæ lectio, ut nunc quoq;, non habebat concurrentẽ, idq; feci clam summo pontifice, quẽ scirem non libenter auditurum, aut me alteri rei, quàm interpretationi uacare, aut Trapezuntio, suo præsertim Secretario, negotium exhiberi. Sed Quintiliani iniuriam tolerare non potui, tametsi plurimi uiri oratoriæ artis studiosi me ad legendum hortarentur, qui etiam cum aliquot Cardinalibus egerunt, ut ego pari cum Trapezuntio salario ad legendum conducerer. Hæc itaq; causa est, cur nõ, ut ais, ludum aperirem, sed, ut quilibet maximorum Rhetorum, etiam te & omnes tui simules docere artem oratoriã possem: tam alienus ab isto flagitio, ut si aduersus illud censores creandi forent, ego inter primos in ueste candida cum magistratum petere ausim, etiã

hac

hac lege proposita, ut si qua de candidato unquam fuisset uel minima suspicio, petere nõ liceret. Et tu audes dicere, de querimonia nescio quorum parentum, cum nullius parentis meorum auditorum, præter illius Francisci patrem, mihi in mentem ueniat, quẽ, non dico, allocutus sim, sed quem nouerim. Sed quoniã hoc crimen, ut nunc tempora sunt corrupta, uel sola accusatione, sine ullo testimonio mouet suspicionem, cogor te hoc modo deouocare. Hoc tu sicut impudentißime ac scelestißime de parentibus ac liberis es mentitus, ita breui aut liberi tui de tuo obitu, aut tu de illorum queri possis. Qui, quoniam nominare neminem potes, simulas te pudori tuo parcere: quasi soleas pudoris habere rationem, ut spurcißimæ confabulationes tuæ testantur: quasi aliquid reticeres quod ad me pessundandũ pertineret: quasi pudori tuo parcas, cum postea nescio quem Hugolinũ nominas, à me Neapoli adamatum. Nullum potes ex hac ciuitate nominare, ideo ad peregrinas urbes confugis. Cuius nominis, si quem aut adolescentem aut uirũ Neapoli noui (nam tu dolose nec patrem, nec familiam, nec tẽpus, nec locũ, nec testes, ne tibi nõ crederetur, nominasti) quæ tibi imprecatus sum, ijs mihi atrociora precor. Nec erubescis propediẽ à deo puniende, tam obscœnas, tam deformes fabulas fingere ob istũ Hugolinũ, & quendã aliũ item Neapolitanum adolescentem, cuius nomen ne fingere quidem audes, ne deprehendaris: me deformiter loris cæsum atque ignominiose mulctatum, sicut in illo, quod ante ista posuisti, quod, ut tuũ crimen celares, cõfinxisti, inquiens, P O G. Præreptorem alienarũ uxorum me à te fingi cũ legissem, ueritus sum, ne me alterũ, qui Proserpinam rapuit esse Plutonẽ diceres. Sed timuit uir prudẽs & astutus, ne me admoneret, ut eum Ioui, qui Ganymedem rapuit, compararẽ. Iouẽ quippe furunculus hic imitatus, Neapoli adolescentulum, quem deperibat, à se non raptum, sed fraude seductũ diutius occultauit. Qua re cognita, uerbere coactus est

prædam

prædam restituere interceptam. LAV. Ego non detexi, sed significaui, cum alia tua adulteria, tum Luciam abs te fuisse Placentino præreptam, ex qua complures liberos sustulisti, si modo tui illi fuerunt. Quod quantopere notum sit, quid attinet dicere? cum uulgo nominetur illa, quæ honesti uiri Placenti matrimonium tenuerat, Lucia domini Pogij, legerimq; ipse nonnunquam inter nomina siue supplicantium siue litigantium in ualuis uicecamerarij: Lucia domini Pogij foliaria. (ita enim uocantur, quæ olera uenditant) Testor in hac re omnem ciuitatem Romanam, tu quos testes habes de adolescẽtulo isto, cuius nec nomen, nec parentem, nec ullum uestigium ostendis? & putas mendacia tua te scurrilitate quadam lenonica commendare: quasi homines non quæsituri sint, quàm uere, sed quàm facete ac lepide dicas, si modo lepidum ac facetum est, facere Plutonem similem adulteris, qui unam Proserpinam nulli dum collocatam, sed uirginem, nec in stuprum, sed in matrimonium rapuit. Mira est in te rerũ antiquarum notitia. Istarum fabularum, si uel unum uerbum ueritate nititur, &, si non omnia ex eadem sentina, unde obscœnissimas confabulationes prompsisti, precor sæpius (habeo enim necesse ad diuinam recurrere uindictam) ut nõ unum in te deus, sed multiplex edat exemplum. Sin uerum locutus es, quod tibi imprecor, in me torqueat. item, si ego quippiam sum mentitus, uel in hoc quoque mentior. Nuper cum quendam è nostro collegio scriptorum, meum penè æqualem & condiscipulum coram pluribus honestis uiris, quorum unus fuit uir nobilissimus atque doctissimus Lampugninus Birագus, percontarer, quòd me ab ineunte ætate nouisset, adiuraremq;, nunquid de me quippiam impudicum audisset, deierauit sancte, se nihil unquam tale audisse: cumq; miraretur, quempiam hoc dicere audere, audissetq; cum esse Podium. Podius ne istud, inquit, omnium nequissimus? Non tenes memoria, Martini temporibus, cum habitauit in ea domo

ubi

ubi nunc habitat Fabritius, qui proxime fuit reſcribendarius? teneo, inquam. Illa, inquit, domus habitante Podio lupanar extitit puerorũ: & tu hæc ignoras? Ignorabam, inquam: tam hoc notum fuit, inquit, quàm ipſe Podius. Et cum hæc ita ſint Podi impudiciſſime, præceptor pædicatus, ſentina flagitiorũ, audes dicere, quod tuum eſt: domum meam libidinis eſſe diuerſorium, ut iam credam atq; adeò ſciam, quæ in te Philelphus ſcripſit obſcœniſſima, uera eſſe. Idem dico de altera, quam ſubijcis, fabula, ut par pari referres, quia tuam cum Trapezuntio pugnã retuli, quam negaſſes, niſi magno theatro geſta eſſent, inquis, POG. Exprobras mihi cõcertationem quandam inter me & Trapezuntium, cum adeſſent cæteri ſecretarij, exortam. Sed heus tu uir huiuſmodi bellis aſſuetus, miles Thraſo, meminiſti'ne Neapoli in Regis curia, cum quendam Alphonſum ex ordine equeſtri uirum ſtrẽnuum ob neſcio quod facinus acrius impugnares, te in terram proiectũ calcibus ab illo & pugnis conciſum, cum tu poſtea facie puluerulenta, ore ſciſſo, labantibus dentibus, barbula & crinibus ſanguine reſperſis, ut eras, exurgens, pauidus, gemens, uix compos ſpiritus, Regem adiſti iniuriam queſtus? Quo ſpectaculo primũ indignabundus, poſtmodum in riſum uerſus Rex, in aliud tempus eam cauſam reiecit. LAV. Mouet mihi bilem unà cum riſu circulator ac circumforaneus pharmacopola Podius, credit ſe eodem certare mecum pacto, quo pharmacopolæ in foro altrinſecus ſtantes aſtante plebis circulo inuicem cõuiciãtur, facta atq; infecta canentes, fanda atq; infanda referentes, nec quomodo probabiliter, ſed quo modo inuicem ſpurciſſime dicant, laborantes. Quia pugna ſua ipſi cum Trapezuntio à me exprobrata eſt, ideo ſimilem mihi, ſed, ut ſuperior eſſet, turpiorem uoluit obijcere, cũ Alphonſo quodam equeſtris ordinis, nec addidit cognomen, ut ſibi crederetur, non ſaltem patriam, aut nationem, ut ſciremus,

Caſtellanus ne, an Aragonenſis, an Valentinus, an Catelanus, an Portugalenſis, an Italicus. Nam nullam memini Alphonſum eius ordinis apud Regem fuiſſe, niſi illum Cardonam à regibus oriundum, qui poſtea Comes Reginus nuper eſt mortuus. Sed is tametſi in illo flore ætatis, magis tamen fuit formoſus, quàm ſtrenuus, quo nemo fuit mitior, & penè mulierbrior, quã uirilior. Sed ſatis fuit dicere ſtrenuum, qui me humi proſtrauit, quod Podio in illa ſua pugna non contigit. Quia dixi eum pugnaſſe in curia, fecit me item ipſe in curia pugnantem, ſed neſcio quare in curia Regia uoluerit eſſe puluerulentum. Quia ipſi pugnis egerunt, addidit mecum actum eſſe & calcibus, & ne ſingula enumerem, quia Papa ipſius pugnos non neglexit, dixit Regem neglexiſſe meos. Podi ineptiſſime fabulator, non ſoleo committere, ut me aliquis cædat, non adeò ſum imbellis et ignauus. Vtinam ita poſſem fortiter tolerare iniuriam, ut iniuſte non infero, non me ad Regem contuliſſem ore ſciſſo, facie puluerulenta, pugnis contuſus, reſperſus ſanguine, labantibus dentibus, quos adhuc ſtabiles habeo, ſed à uultu me Regis abdidiſſem. Sed quæſo, ſi forte oblitus ſum, ut ſignificas, quãquã nihil tantopere, quàm mala, & iniurias recordamur, redige mihi in memoriam, ubi noſtra hæc pugna gladiatoria geſta eſt, ſi pugna dici poteſt, ubi ego uapulando, ille uerberãdo uſq; adeò defeſſi ſumus. Caietæne, an Capuæ? an Auernæ, an Neapoli? an qua in urbe earum, quas adij unà cum Rege? quo anno, et ante omnia, quo ille cognomine erat meus Alphonſus? Ex hac Podiana loquendi ſtultitia, Quintiliani uerborũ mihi uenit in mẽtem è lib. VII. Verum illa ſcholarum conſuetudo ituris in fõrum poteſt nocere, quòd omnia, quæ in themate non ſunt, pro nobis ducimus: adulterium obijcis, quis teſtis? quis iudex? quod pretiũ? quis cõſcius? Venenum ubi emi? à quo? quando? quanti? per quẽ dedi? Proreo Tyrãnidis affectatæ, ubi ſunt arma? quos

contraxi

Digitized by Google

contraxi satellites? Neq; hæc nego esse dicēda, & ipsis utendū pro parte susceptā. Nam & in foro aliquādo, ubi aduersarius probare non poterit, desiderabo, sed in foro tantum illam facultatem olim desiderauimus, ubi nō ferè causa agitur, ut non aliquid ex his, aut plura ponātur. Quid ergo ais Podi orator inuicte, & Demosthenica prædite prudētia? Ita'ne causam in forum affers, in qua à scholasticis, à pueris quoq; reselli facillime possis? Quis Alphonsus? quo in loco? quo tempore? quibus præsentibus? Vt in hoc, ita in cæteris. Quia dixeram, si foret trapezita, eum literas falsaturum, etsi in sua trapeza tale quiddam admiserat, ut me repercuteret, inquit, POG. Sed nō horruisti belua impudentissima falsitatis meminisse, qui olim Papiæ penuria coactus, ut non redderes pecunias tibi creditas, falsum chirographum cum scripsisses, accusatus, cōuictus, damnatus, ante tempus legitimum absq; ulla dispensatione Episcopus factus es. Magna profecto dignitas, id ætatis adolescentem tantam dignitatem assequi sua uirtute potuisse. LAV. Quandoquidem tua uesania cogis, ut Podi in lucē proferam scelera tua, ego nō dixi, sed significaui, te tuo Breui, quòd Eugenium mittere mentitus es, fuisse autorem cædis Alexandrini Patriarchæ. Idq; cū Eugenius resciisset, teq; auidus mulctare uellet, tamen tutela eorum, quibus facinus tuum uēdideras, te fuisse elapsum. Quis hoc ignorat, non propinquorum illorum modo, ut Episcopus Cornetinus, Angelus Bocianus ac cæteri, sed Curialium, qui aliquid secretius norint? Breue illud tuum fuisse negare nō potes, sed ab Eugenio tibi iussum ais. Si is tibi iussisset, non illū & Patriarcham, & Cardinalem, & legatum suum captū, uulnera tumq; fleuisset, nedum paulo post extinctū. Sed quid rē manifestam probo? tu quod obijcis mihi, quomodo probas? Quis ille creditor? quanta summa? quod chirographum falsum? Deus te perdat malis exemplis stultissime calumniator, putas sic posse

Alexandrinus Patriarcha.

Digitized by Google

fálsò scribi à debitore chirographũ, ut à secretario Breue? qui à tuæ fálsitatis tibi es conscius, ideo mihi conatus es simule crimen impingere. Equidem non memini me mutuatum esse ab aliquo unquam pecuniam cum chirographo, sed multis mutuaße. Verum non uideo quomodo poßit debitor fálsum scribere chirographum, niſi ſtultitia aut ſua, ſi plus ſcribit accepiſſe ſe quàm accepit, aut creditoris, ſi minus. An non eſt ſtultitia creditoris, ſi chirographum, quod accepit, nõ legit atq; recognoſcit? nam ubi ſemel illud habuit ratum, iam non poteſt irritum facere. Age Podi, mutua mihi 2000 aureorum etiam, ut puto te fácitare, cum fœnore, daboq; tibi chirographũ ducentorũ duntaxat aureorũ, & poſtea ſi uoles me appellato fálſariũ, imò uerer, ne tu in chirographo meo, 3000 ſcriberes pro duobus. Vides ut creditor fálſare chirographũ nõ debitor, poßit, aſine plumbee? nõ potes interueniße tabellionem dicere, dicis interueniſſe chirographum, quod penes debitorẽ corrũpi non poteſt, quodq; antequam ab eodem accipiatur, uim nullam habet. Verum ut credatur tibi fabella, nõ affers teſtes uiuos præſentesq; Ioannẽ Campeſiũ, qui nudiuſtertius creatus eſt epiſcopus Placentinus, qui Papiæ in patria ſua me nouit: non Epiſcopum Atrebatenſem tũc Abbatem & auditorẽ meũ: Non Ioſephum Brippium Papalis regeſii præſidẽ: nõ Maphæum Vegiũ Papæ Dratarium: nõ Candidum collegam tuũ, quos tres in libris de uero bono in ea urbe cõditis feci loquẽtes: non alios plurimos, ſed mortuum, ſed eum, qui poſtquam Papiam in conſiliũ Baſilienſe iam Archiepiſcopus Mediolanenſis profectus eſt, te nũquam uidit: ſed eũ, qui ante me ex ea urbe diſceſſit, in qua certe non perſeueraſſem legere, ſi infamia notatus fuiſſem: ex qua Mediolanum nõ me cõtulißem legẽdi gratia, ſi talis extitißem. Ais enim uir uerax & minime mendax, POG. *Sed cum tibi inuito ea dignitas eſſet cõceſſa, credo ne à Pontifice culpareris,*

Ioannes Campeſius. Epiſcopus Atrebatenſis. Ioſephus

mitram

Digitized by Google

mitram albam eo, quo acceperas, die in Episcopi curia depo-
suisti, quæ usq; ad hoc tempus suspensa pendet ad gloriam tui
nominis sempiternam. Eam mihi historiam olim Franciscus E-
piscopus Papiensis, quo cum erat mihi summa familiaritas, &
antiqua consuetudo, cum te nondum nossem, singulatim riden
narrauit. LAV. Vide homo dementissime, & ut probaui, mi-
tra falsariorum dignissime, quantopere tecum non constes. Ais
me antea mitra donatum, quàm tu me nosses, utpote adolescen
tulum. At ego priusquàm adij unquàm Papiam, tecũ millies lo-
cutus fueram, tecum etiam altercatus, tecum & cum omnibus
secretarijs de facundia certabam, quippe de cõparatione Cice-
ronis Quintilianiq; conscripseram, quiq; etiam auunculo mea
tibi in secretariatu collega doctior Romæ habebar, eoq; defun
cto petiui secretariatũ quatuor et uiginti natus annos, quem ne
impetrarem, tu semper bonorum incrementis aduersus, apud
Martinum me accusasti, tanquam cæteros secretarios, utiq; in
illo flore ætatis cõtempturum, quòd diceres unà cum Antonio Antonius
Lusco collega tuo, cui tu me accusaueras, me ausum reprehẽde Luscus
re scripta illius Antonij, ob id uidelicet, quòd apud Cyprianum
Pistoriensem ad sepulturã Bartholomei Montepoliciani dixis-
sem carmen in illius monumento inscriptum ab Antonio cõpo-
situm uersu elegiaco nõ esse tam egregiũ, quàm alia, quæ hexa-
metris uersibus condidisset, meliorem q; poëtam in eo carminis
genere Bartholomæũ extitisse, & penè omniũ optimũ. Quod
dixi, quia & ita sentiebam, & me ille ad studia solitus fuerat
hortari. Id uos eodem die, ut magistri Palacij mihi retulit, ad
summũ Põtificem detulistis, & nõnihil rebus meis impedimẽto
fuistis. Post aliquot tamen dies ad eum à Cardinali sancti Eusta
chij sum deductus, qui etsi iunior quàm pro autoritate secreta-
riatus uisus sum, tamen optimam spem dedit. Nouerat enim
patrem meum, & auum maternum, quos ut charissimos, cum

foret Cardinalis, in illa fuga Innocētij cum populus Romanus sæuiret in Curiales, per suos domesticos, ut tuti essent, ad se accersierat. Post id colloquiū cum summo Pontifice, iussu auiæ matrisq;, ac materterarum, ob hæreditatem aui & auunculi eodem anno defunctorum, profectus sum Placentiam, petitis tamen in uia Venetijs, ut tria mulia aureorum filiæ Iacobi Escu lani consobrinæ meæ in monte, ut aiunt, Venetiarum collata disponerem. Cū ob eam rem diutius Placentiæ manerem, Mar tinus decessit, Eugeniusq; electus est. Mox ortis Romæ bellis reuerti supersedi, contuliq; me tunc primum Papiam, non ut adolescentulus discerem, quemadmodum tu putas, sed ut iam uir docerem, conductusq; ad legendum Rhetoricam sum mul to post, quàm tu Franciscum postremo es allocutus. Basileæ enim ille pauculis postea annis, aut Mediolani, ubi tu his tri ginta annis & amplius non fuisti, obijt mortem. Et quomodo potuit ille loqui de adolescentia mea Papiæ acta, qui nullam adolescentiæ meæ partem Papiæ egissem? & antequam tu me nosses, qui, si tibi credimus, me puerum impudicum Romæ no uisses? Taceo quod in gymnasijs Rectores de doctoribus di scipulisq; cognoscunt, non episcopi, nec meus Rector etiam no centem permisisset illa me affici pœna. En egregius commētor, en singularis poëta, en solertia oratoris, non uidere se incredi bilia loqui, atq; pugnantia. Maluisti potius in apertissimo men dacio reuinci, quàm modeste silere. Et quia illud peccatum ui debatur admissum ab adolescente, ideo à uiro admissum alterū subdis: inquiens, POG. Quid illa Neapolitana tabularū corru ptio, non ne te nequissimum omnium ac perfidiosissimum, non prædonem, sed furunculum esse cōuicit? Recordare, recordare quæso, uel saltem me admone, cū ob nūmos à mercatore credi tos tabulas abrasisti, & pro quodā pecuniæ numero alterum subdidisti. Quo facto in carcerem cōiectum Regis benignitas

secundi

secundi Episcopatus laude priuauit. LAV. Iterum dico Podi Secretarios chirographa & scripturas posse corrumpere, non debitores. Teterrime sycophantarum ac nebulonum, tabulæ nõ penes debitores sunt, sed penes creditores atq; tabelliones. Qua igitur ratione potest eas abradere debitor? Ego, si abradere potuissem tabulas, abscindere atq; abolere maluissem, ut nihil potius, quàm aliquid deberem, præsertim sine ullo periculo falsitatis. O te iterum dicam, inuictum oratorem ac Demosthenica prudentia præditũ. Quis iste mercator? quis numerus pecuniæ abrasus? quis substitutus? à quo tabellione scriptæ tabulæ? an ab ipso mercatore? quẽ in carcerẽ coniectus sum? ego ne unquam fui coniectus in carcerem? Ideoq; repugnante cõscientia rogas, ut recorder: quasi non mea sponte recordarer flagitij tanti admissi, tantæ ignominiæ, tanti periculi, talis etiam carceris. Sed cur non addebas: me accusatum, cõuictum, damnatũ? ut sciremus, apud quem iudicem, quo accusatore, quibus probationibus, quibus altercationibus litigatum esset. Nec pudet te homo, propter quem carcer uidetur ædificatus, regis habere mentionem tam impudenter, & hic, & in illa mea cum strenuo equite Alphonso pugna, ubi pro tua sapientia iustũ Regem inducis, qui innocenti mihi contra pugnos & calces opem non tulit, nocenti ac falsario opem tulit. Verum ne omnia uideare semper dicere planè falsa, & quæ nullũ probabilitatis colorem habeãt, aliquãdo dixisti, quod credi posset, etsi falsum omnino quod, ut opinor, infamis & impius Panhormita te docuit, & homini, sua sponte ad omniũ temeritatẽ prono, temeritatis arma porrexit. Ais enim, POG. Sed hoc nõ præteribo, tuæ gloriæ facinus abijciendũ, meministi ne sacrilege furcifer, quosdam libros Græcos ex cœnobio religiosarum sanctæ Claræ mutuo concessos, per summam fraudem surripuisse, & Romã clanculum asportasse, qui fuerant tuæ perfidiæ crediti? Quã rem ille

grauiter ferentes, hoc furtum non dissimularunt, sed multis cũ uiris hanc iniuriam sunt conquestæ. LAV. Si erant mihi libri crediti, quomodo surripui stultissime sycophantæ? aut quomodo poteram à sanctimonialibus illos surripere? cur non addebas, mihi permagnam cum illis cõsuetudinem fuisse, & nocturnos, tanquam Numæ cũ dea Egeria, congressus solitos esse? Si uerò nullam illarum allocutus sum, quomodo ipsæ mihi libros crediderunt? Ergo Prior illius cœnobij mecũ egit, non illæ fœminæ. Qui si mihi libros credidit, qua ratione ego sacrilegus sum, cum præsertim libri illi sacri non essent? fuerunt autẽ duo codices, unus operum Hippocratis, alter de cura boum, canum, accipitrum. Eos libros, ut scias P. Clodi, etiam cœnobiorũ muliebrium cõtaminator, cum diu nemo uellet emere, uir insignis arte medicina Antonius Itranus, & meus et illius cœnobij medicus, mihi nuntiauit esse uenales, & nũtiauit tum cœnobij causa, ne libri illic inutiles putrescerent: tum mea, qui amicus eius essem: tum sua, quòd scire cuperet, quæ nam illic Hippocratis opera forent, nam titulus etiam latinus inerat, illũ esse Hippocratem. Illius admonitu adeo Priorem, nomine, ut opinor, Gasparem, qui eodem anno, in eodem cœnobio, nescio à quibus, est trucidatus, inspicio libros, conuenimus de pretio, numero pecuniam, scribit mihi chirographum, porto illinc libros. Postero die adeo medicum, faciõq; certiorẽ de numero librorũ Hippocratis. Ille mirari numerum quantus apud Latinos nõ esset, cõtendere à me, ut quendam transferrem, ego respondere: me nõ audere transferre librum de medicina, præsertim ionice loquẽtem, aptiorem ei rei esse Gregorium Castellanũ, qui & optime Græca noßet, & multos annos operam medicinæ dedisset, daretq;, atq; ita factum est. Ille ubi talẽ codicẽ uidit, qualis nullus fortassis in Græcia est, & eum ipsi accommodatissimũ de fauetibus suis quodammodo ereptum, primum multis uerbis à me

Antonius Itranus.

Gregorius Castellanus

cœpit

cœpit contendere, ut sibi uel pretio uel cõmutatione traderem, se medicinæ semper studuisse, uelleq; breui insignia medicinæ capere, præterea ex illis libris quosdam transferre, quod ego non ita facile possem facere, neq; illi arti unquam operam dedissem. & alia multa. Adest iam duos hic mẽses Gregorius, qui refellere me, si mentior, potest. Id cum ego differrem, cũ amore codicis, tum uerò consilio medici, qui non adeò hominem amaret, ille rem ad Antonium Panhormitam detulit, atque me exiguo pretio mercatum esse pretiosissimũ codicem. Antonius homo nõ mihi inimicus modo, sed omnibus græcissantibus inuidens, quiq; Græcos codices emere solet, ne à doctis græcarum literarum emantur, nunquam illos cõmodaturus, adit Priorem, admonet decuplo charius potuisse codicem uendi, uicinis omnibus narrat circumuentũ à me hominem esse. Ne multis agam, ad extremum, ne codice potirentur inimici, neue religiosus ille uir à me astute esse secum actũ diceret, adieci aliquot aureos, quo ille nomine mihi gratias egit, & omnem inuidorum fabulã patefecit. Gregorius postea fretus mea lenitate iterũ adit me, exoratq;, ut sibi transcribendum commodem codicem ad quadraginta & amplius millia uersuum, quantum scripturæ idem pretio quinquaginta aureorũ non * feciſſet. Quomodo igitur ille emere nõ maluisset à sanctimonialibus, quàm transcribere? aut nõ ab eisdem cõmodato, si dominæ erant, quàm ab alio accipere? aut tamdiu à me fœmunæ natura auaræ, & timidæ libros suos nõ repoposcisset? Interrogato Gregoriũ, nisi de suo exẽplari transcripto manu sua, nisi à me cõmodato codicẽ uetustũ accepisse, nisi me libros emisse cõfitetur, quò minus me sacrilegum uocites, non recuso. Quot me uerba repetere, quantũ laboris exhaurire cogis fatue? ut nodos tuos, quos in uita mea innexuisti, exduã atq; enodem. Facile enim est nodos implicare, difficile explicare. Audisti, ut dixi, cõmodatos libros, nõ, sicut

* Forte, uendidisset, legendũ.

Digitized by Google

Mutuo concedere. Commodare. Surripere. Interuertere.

tu barbariſsimus ais, mutuo conceſſos. Pecuniam, panē, uinum, chartam, ſimuliaq; mutuamus: libros, equos, ueſtes, & quæ ſunt id genus, commodamus. Et ſurripuiſſe pro interuertiſſe, quod uerbum cum alibi, tum uerò in Verrinis inuenire potes, quas tu, quoniam totæ in accuſando uerſantur, diceris ex omnibus M. Tullij operibus maxime adamare, amplecti, in oculis ſemper atq; in ore habere. Tacco, quod cum dixiſſes conceſſos, iterū dicis, tuæ fidei creditos. Sed, ut ad rem redeā, an propter illos libros, ego Romam abeundum mihi putaſſem? & quomodo potui aſportare clanculum libros, cum inde Tybur ad Regē, ubi cum exercitu erat, me cōtulerim? multoſq; menſes ei legerim? comesq; fuerim expeditionis aduerſus Florentinos? Si propter libros, & clanculum abij, nō ergo ab Rege fum, & cū ignominia omniq; dedecore eiectus, ut tribus quatuor'ue orationis tuæ uerſibus dicere auſus es. De quo etiam, ut tuæ impudentiæ reſpondeam, quomodo me ille eiecit, expulit, fugauit, ad quē toties ſcribit? Ego uerò illū in caſtris ad montē Caſtellū reliqui, ex quo tēpore nunquā eum uidi, ubi propter imbriū aſſiduitatē durare cū uix poſſem, ipſe mihi, ut Neapolim redirem, ſuaſit. Teſtes ſunt huius rei, cū alij infiniti, qui me Tybure regium præceptorem & in caſtris uiderunt, tum regius Conſeruator Petrus Biſuldunus reditus ac periculi ſocius. Nam cū è caſtris, quæ eodē mane mota erant, Senā peteremus, latrones centum ſexaginta nos inuaſerunt. Hieronymū regium ſecretariū dignū Guarino patre iuuenē, cum aliquot alijs qui præcedebāt, exceperunt, nos ignari rerū ad primū occurſum quinquaginta circiter prædonum, inuicem hortari, agmē inſtruere, ſtrictiſq; gladijs obuiā ire, conariq; perrūpere, ubi duæ aliæ latronū cohortes dextra leuaq; per aduerſos colles ſubire, cōuerſis frenis retrofugam facimus, quidā tamen capti ſunt. Et quia reuerti in caſtra minus tutū nobis erat, coactis ex ijs, qui aſſidue à tergo ſociorum

Petrus Biſuldunus.

ciorum ueniebant, partim armatis, partim inermibus, ad octoginta uiros instructi processimus, latrones per nebulã, uisis ali quot christis equitum nostrorũ, ut postea Scenæ ab eisdem didici mus, suspicati maiorẽ manum, aggredi nõ sunt ausi, atq; ita euasimus. Hieronymus, etsi magis adolescens, quàm iuuenis, tamẽ, ut postea mihi retulit, ab hostibus tortus est. Eo periculo moti propinqui pleriq; & amici mei, è Neapoli, quò iterũ redieram, ad accipiendam rem nummariam, cũ tamdiu Rex nõ rediret, me accersierunt: summo Pontifice mihi non aspernandã conditionem pollicente. Ibi ego rebus meis, & decẽ dolijs uini, &, ut scias quàm clanculum Neapoli iterum discesserim, pluribus cuniculis passim coëmptis, quos donarem duabus uirgunculis consobrinis meis, in nauem impositis, cũ uno famulo ego uia terrestri Romam ueni, & quidem cum tribus equis, quos toto penè illo anno alui. Neq; est, quòd inopiam mihi illius obijcias tempo- Aduentare.
ris. Veni enim Romam, non, ut tu barbare ais, aduentaui, uestibus, & coccinis, & sericis, & auro ornatus. Nam quòd diuerterim in domum Ambrosij Dardani mariti sororis, feci quod debui: Quò enim debui diuertere potius quàm in domum, ubi erat mater & soror? & cuius meam ego partem sorori cesseram? Nolo ita me diuertisse putes, aut potius dicas atq; mentiaris, ut ille me aluerit. Nã, etsi prædiues est, tamen multo quàm ego timidior est paupertatis, ac magis rebus suis parcit, & nõ dico omnia, ut tu, quæstui habet, sed ex propinquis quoq; maiult lucrum facere, quàm damnum. Itaque ex dimidiato, quo apud eum mansi anno, ex tribus equis uno, ex dolijs decem, ne alia dicam, nouẽ à me donatus est. Sed iam tempus est ad id respondere, quod tu mihi de hæresi obiecisti: multa pro tuo more confingens: In quo non patiar te diutius iactare, nec Cacum in tenebris incendia uana mouere. Cacum autem non solum te dico, sed etiam illum significo, nolo ego quidem hominem nominare

minare, qui autor illius machinamenti fuit, idem opinor, de quo tu loqueris, cum inquis: POG. Adest unus ex maioribus natu & dignitate, cuius nomen honoris causa reticeo, qui se affuisse affirmat, cum de te sententia ferretur, & se causam fuisse præcipuam dicit, ut Regis pietas ad te eximendum teterrimo cruciatu moueretur. Qui cum postmodum tuam peruicacitatem & insaniam nouerit, se ut olim salutis, sic aliquando damnationis meritæ causam fore asseuerat. LAV. Forte aliquid tu ab illo, quem significas audisti, sed, ut omnia ista audieris, non possum adduci, ut credam cum nulla certa sententia fuerit lata. Verum tu cum isto tuo, quisquis est, audi: & ubi audieris, qualis ego, qualis tu, qualis ille sit, statue. Ego si istud, quod mihi obiectum est, hominem hæreticum facit, quod non opinor, uos potius, tanquam male de religione Christiana sentientes, esse hæreticos spero conuincere: nihil addens ad illa, quæ tunc in controuersia fuere uersata. Iste tuus clandestinus mihi minator, de me optime ne dicam pessime meritus, agnosce quàm uerus sit, quàm bonus, quàm doctus. Iam primum de sua, hoc est, de iuris cum ciuilis, tum uerò pontificij scientia sic sentit, aut certe sic loquitur, ut eam non modo summam omnium, uerumetiam solam uelit esse, nihil artes liberales, nihil philosophiam, nihil postremo esse theologiam. Quæris cur ita uelit? quia nihil omnino illarum degustauit, ut uerũ scias esse, quod dicitur: scientia nullum habet hostem, nisi illius imperitum. In hac autem totum se ingurgitauit, demersit, ut nunquam illi nequeat emergere, et se planè omnium, qui fuerunt, qui sunt, qui esse possunt, longe principem asseueret. Sed hoc inter suos loquitur, atq; indoctos. Nam sine hoste nullus audacior, aduersus hostem nullus ignauior. Hic Caietæ, cum à quibusdam suæ gentis hominibus me laudari audisset, ut grammaticum, rhetorem, poëtam egregium & dialecticũ, philosophũ, theologum,

& lite

& literis Græcis mediocrẽ, Nugæ sunt ista, inquit: Iuris scientia est rerum regina, quæ uiros facit ac potentes, quæ scientia scientiarum, imò sola scientia est, quam paucissimi, & uix illi probe intelligunt. Atqui Laurẽtius, illi inquiunt, non alienus est ab iuris scientia, quippe q cũ aliâs, tum uerò superioribus diebus totũ corpus iuris ciuilis euoluit. Perturbatus hic sanè, quid, ait'ne iste se intelligere ius ciuile? Quid ni, illi respondent, cum etiam in opere suo de elegantia linguæ latinæ Iurisconsultos testetur. Fieri non potest, hic inquit: Erit enim alter Ioannes Baialardi, qui se iactare solitus, nullum nõ librum se intellecturum, tamen ad primũ locum iuris sibi propositum hæsit, seq; illum non intelligere confessus est. Itaq; iussit me ad se uocari, accessi. Hic statim monere cœpit, atq; castigare, ne falcem mitterem in messem alienam, essem mea doctrina contentus, ne'ue sacra iura illotis manibus tractarem. Ne multis morer, proponit mihi exponendum illum eundem locum, in quo uelut in uado hæserat, cymba Ioannis Baialardi. Agnoui statim hominis improbitatem, qui meam gubernandi artem nõ in alto mari, nõ in freto aliquo, non in prætereundis scopulis, sed planè in syrtibus, ubi prorsus mea nauis sederet, experiri uolebat: quasi ipse uetus gubernator unquã per has syrtes nauigasset. Erat enim locus apud Codicem Iustiniani: finium regundorum, qui incipit: Quinque pedum præscriptione summota, quem negant ab aliquo esse planè cognitum. Quid peruersius, & ingenio Poediano similius, quàm uelle damnare, me, ut nihil iuris intelligẽtem, quia locum aut nulli aut uix ulli intellectum, non intelligerem? Hic ego quid aliud agerem, quàm ut ipsum insidiatorem meum in easdẽ syrtes impingerem? & ut magis doleret, non illas mihi esse syrtes ostenderẽ? Audacter itaq; respõdens dixi: mirari me, cur eum locũ mihi proponeret, de quo intelligendo magis, quàm lecto glossæ quærentur. Ideoq; debuisse proponi non ei

Locus in Codice Iustiniani.

Digitized by Google

non ei, qui aliquid iuris se intelligere diceret, sed ei, qui omnia: sed me conaturum exponere illū, quē sensum loci antea scierit, ipse uiderit. Itaq; repetens iam inde à duodecim tabulis de iure usucapionū, quam sententiā cōtra Facium & Panhormitam ex plicaui, ita confudi hominē, ut se uix me salutato in cubiculum abdiderit, semperq; me postea odio habuerit, & ulcisci cupe ret: uir omni muliere uindictæ cupidior, præsertim quòd au diſſet paulopost, quandā me rē de iure cōponere, cuius, si tutū esset, nunc facerē mentionē. Sed nō sunt omnia in præsentiarū patefacienda. Habes originē odiorū inter me, & istū, si tibi cre dimus, amicū meū, qui postmodū me isto facto, quod mox narra bo, uoluit ulcisci: in quo alterū meum inimicum habuit comitē Episcopum nunc Maioriscensem, tunc Alesanū, qui ex hac cau sa extitit mihi inimicus. Semper enim imperiti, & ijdē de se be ne, hoc est, falso sentientes, peritis, ut à quibus reprehēdi solēt, extitere inimici, ut ille superior ægre ferebat: me uersari in iu re ciuili, ita hic in theologia, cuius est professor: uersari, inquā, alio modo, quàm ipse uersatur: homo nullis bonis literis prædi tus, ac planè inermis, nisi quibusdam ineptijs, sed ante omnia adeò iracundus, impatiensq;, ut, dum eū uideas, in ipso uultu ira cundiam cū superbia sedere existimes. Tacebo alias disputatio nes, referam unā breuem. Quodā die apud sanctā Mariam de muribus extra muros Campanos, cū Arnoldus Pallas Episco=

Episcopus Vrgellensis.

pus Vrgellensis omniū Episcoporū nobilissimus, qui nunc Nea poli est, uexilla regia, ut moris est, initiasset, uenimus apud eum

Epistola Christi ad Abagarum.

in cōtentionem. Cumq; hic attulisset pro testimonio epistolam CHRISTI ad Abagarum regem, deriſi hominem, qui Abaga rum nō modo regem, sed hominē fuisse existimaret, & inquā: An ignoras istam epistolam inter apocryphas, atq; adeò inter fictas ac falsas in Decretis esse positam? Hic affirmare, & per tinacissime suo more cōtendere. Ibi Vrgellensis, quippe qui de=

creto

cretorum doctor est, Iam, inquit, tolerare non possum, aut iniquitatem tuæ causæ, aut improbitatem tuam, qui rem aperte falsam coneris defendere. Et cũ hic aduersus illum quoq; iracũde insurgeret, ab omni cœtu coërcitus est, obiurgatusq;. Ex eo die nunquam me postea, nisi torue, aspexit, ac ne salutatus quidem resalutauit, iunctusq; cum illo altero Episcopo, iniustitiæ consulto, de me frequenter maligne loqui, & consultare ob illud præcipue opus, quod nuper composuissem: quod si hoc pacto subruerent, magnas sibi spes proponebant. Non licet apertius loqui: forte erunt, qui hæc intelligent. Ego autem non putaui hoc omnino reticendum, quod stultitia istorum factum est, aut potius peruersitate, ut opus emanauerit, nec iam retrahi possit. Quod fortasse non emanasset, nisi libido uel honorũ nimiorũ, uel ulciscendi contumeliam acceptam eos peruertisset, etsi maluissent mecum grauitate quàm leuitate, consilio quàm impetu, ratione quàm dolo agere. Sed quomodo agent grauiter, moderate, sapienter, homines leues, furiosi, imperiti? Isti igitur cum diu captassent, me opprimendi tandem nacti sunt occasionem. Aliquot postea annis, cum essemus Neapoli, cõcionabatur quidam frater Antonius Betontinus ordinis minorum, qui his paucis diebus Romam uenit, uociferator egregius, nisi quòd semper ferè raucescit. Huc enim iam deuentum est, ut concionandi munus sit, uociferari, & clamorem uenditare, atque ut Cicero ait, latrare, non agere, & optimus orator sit optimus rabula. Hic igitur, cum per eam Quadragesimam frequenter pueros, qui aderant, excitatos ac stantes iuberet secum clamare, forte die quodam interueni, cum doceret illos symbolum, inquiens: Petrum dixisse, Credo in unum deum patrẽ omni potentem. Andream uero: Factorem cœli & terræ, & ita reliquos deinceps Apostolos. Vbi perorauit, interrogo Angelillũ Campanum, qui mihi proximus steterat, uirum & doctum & grauem

Symbolũ Apostolorum.

Angelillus Campanus.

Digitized by Google

grauem, Regisq; secretarium, nunquid usquam ita conditũ symbolum fuisse legisset. Ille se uerò nusquam: nec unquã audisse, nisi ab eodem, Hieronymum fuisse Romanum. Itaq; constituimus adire hominem aliquo die. Verum cum id negligentius fecissemus, die sabbato sancto circa uesperam, cũ forte extra muros obuij essemus, & pro consuetudine collocuti, ostendit mihi ruinas domorum suarum, & deserta bello prædia mox, Volumus ne, inquit, en supra muros eius monasterium, adire fratrẽ Antonium de illis quæstionibus scisciatum? Vt libet, inquam. Imus, reperimus hominem, norat utpote uicinum exorsus. Laudate me, ut doctũ, & studiosum. Ego interpellato eius sermone, ne putaret ille me disputandi secũ gratia adisse, dixi me ab Angelillo forte perductũ, ut cõmuniter duas res omnino sciscitarentur, easq; perbreues, cuius rei temporis angustia testimonio foret, esse enim iam serũ diei, atq; ita rem habere Angelillus cõfessus est, inquiens: Volumus à te doceri, quis tradit, quod ego audiui te dicentẽ: Hieronymum fuisse Romanũ. Tum ille: Multi tradunt, sed quis negat? Primum hominis stultitiã, quasi alius deberet ostendere, quis negaret, & nõ ipse, qui hoc affirmauerat, ac rogabatur, quis traderet, respõdi: Hieronymus ipse non se Romanũ facit, sed Dalmatam siue Pannoniũ ex Stridone oppido, quod olim fuisse ait confiniũ Dalmatiæ & Pannoniæ. Alij, inquit ille, Romanum fuisse aiunt, alij Dalmatam. Egregia tergiuersatio, quasi alij magis nossent natale solũ Hieronymi, quàm ipse Hieronymus, aut potius quasi ulli alij hoc dicerent, quos, si qui essent, nominare debebat: quanquam, ut audio, nudiustertius apud Romanos cõcionans, Hieronymũ affirmauit esse Romanum, sed cur ita sentiat, nondum accepi causam, opinor, quòd alicubi se Romanũ Hieronymus nominat, ueluti ad Damasum scribens, quòd uidelicet esset latinus, quòd Romanã, hoc est, latinam & Romani Pontificis fidẽ sectaretur. Ego, sta-

Hieronymus Dalmata.

tim eo

tim cognita hominis & imperitia et improbitate, nolui instare. Nõ enim redarguendi eius, sed cognoscendi gratia uenerã, & discẽdi, nõ docẽdi. Itaq; prima quæstione omissa, quid inquã de altero? quis tradit membratim articulatimq; symbolũ fuisse ab Apostolis conditum? Ille tanquam ex priore quæstione, cui nõ satisfecerat, bilem contraxisset, arroganti uoce respondet: doctores ecclesiæ. Ego uidens simile hoc responsum esse illi superiori, cũ dixit, multi tradunt: ne me tam confidenter tractaret: Quinam doctores, inquam? quinam doctores? Ille & Angelillum complectens per contemptum mei, non est hoc eius artis, cum risu, hoc est, cum derisu dicere. Mirari ego confidentiam hominis, qui auderet me, ut indoctum cõtemnere, quẽ se quoq; doctiorem in altera quæstione expertus esset: &, ut fatear, iam nonnihil stomachari, quòd is, qui publice de modestia, de mansuetudine, de charitate sermones haberet, alterũ simpliciter de rebus honestis ac sanctis percontantem, contemptui haberet. Me tamen continens, Si foret, inquam, hoc artis meæ, nõ ad te interrogandum uenissem. Verum si tui artificij est, quin potius doces, quàm derides? Ille perseuerare in ridendo, atq; identidẽ dicere: doctores ecclesiæ. An non, inquam, inter doctorem atq; doctorem interest? tametsi doctores uulgo dicuntur, quicunq; aliquid scribere tanquam docti sunt ausi, pluresq; sunt iam doctores quàm docti. Veri doctores sunt illi, quos ecclesia probauit, ueluti ij quatuor, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Ad hæc ille non ridens, sed iratus, At non, inquit, istis minor est Bonauentura, qui hoc tradit. Esto, inquã, Bonauentura tuus etiam maior illis, si libet, addidiq;, ut hominem uicissim deridere, etsi semper inter minores numerabitur, tamẽ in re hac nequaquã est illis cõparandus. Nam in ijs, quæ ratione constant, potest antiquitatem superare posteritas, ut in dialectica, medicina, philosophia: in notitia autẽ uetustatis atq; in histo

Symbolũ Apostolorum.

Doctores.

Digitized by Google

ria superiorum temporum, quo pacto possumus nos maioribus nostris, si modo probabilia tradiderunt, repugnare & antecellere? Bonaventura quibus in libris hoc, quod scisciteor, reperit? an non putas eum, inquit, usquam reperisse? Tu, inquam, meam causam tua indignatione de bona malam conaris efficere. Ego interrogo, ut discipulus, nō irrito, ut aduersarius. Imò, inquit, ut aduersarius loqueris, qui non discere uis, sed contendere. Si non doces, inquā, quomodo possum discere? Quia, inquit, oportet addiscentem credere. In ijs, inquam, oportet credere, quæ sunt dogmatica, non autē in ijs, quæ nostrū hoc, quæ sunt elēchica. Etiam, inquit, in mea facultate mecū contendere audes, qui tecum cōtenderem in tua, quippe qui Rhetoricā legi quindecim omnino natus annos? Et cum multa de se homo imperitissimus iactaret, cū multa etiam brachiorū ac totius corporis iactatione, non aliter, quàm solet in cōcionando: Atqui, inquā, non istud præcipit ars Rhetorica, ut tanquā gladiator corpus huc & illuc, ac brachia exagites. Hic ille ad cōtumelias & cōuicia erumpere. Ego, etsi eo die corpus dominicū ceperam, tamen tēperare me nō potui, quin dicerē: Tu & priuate & publice furioso simulis es. Hæc dicēs è loco egressus cū socio sum, relinquens illum insanientem cū multis tum eiusdem ordinis, tum alijs, qui ad clamores eius accurrerant. Eadē nocte, ut quidam aiunt, siue sua sponte, siue alicuius admonitu, siue uocatu illius primi cōcertatoris mei, ad eum se cōtulit, cumq; illo & altero meo hoste diu locutus etiam est. Postero die, quo fuit Pascha, loco nouæ materiæ in medio sermone de me, uerū non nominatim, loqui cœpit: esse quendā, qui neget symbolū membratim articulatimq; per Apostolos esse cōpositum, illū uidelicet, qui neget quatuor elementa, decemq; prædicamenta, sed utraq; terna, & alia quædam, quæ ego in Dialecticis disputassem. En uirum religiosum, & qui humilitatem, patientiam, cōtemptum

mundi

mundi, non modo prædicet, sed etiam ipsa ueſtis uilitate promittat, imò homo inanis gloriæ cupidiſsimus, & ſibi, non populo prædicãs, captator auræ popularis, ac muliebrium uocularũ uenator. Quo pacto hic ferret uerbera, qui uerba paulum contumelioſa nõ tulit? uis proximum, ut ab recto errantem, caſtigare? corrige ſine arbitris, admone, obſecra cũ omni patientia & doctrina. Nam iſta publica accuſatio, nõ emendatio proximi eſt, ſed irritatio, ultio, ſcandalum. Nemo enim fuit ex omni ciuitate, qui affuerit, qui nõ intelligeret id de Laurentio dici. Nec id uno die feciſſe cõtentus, altero, tertio, quarto perſeuerauit: quaſi me ad ſecum publice diſputandum apud plebem & mulierculas prouocaret. Nec prius deſtitit, quàm Rex de hac re certior à me factus Matthæum Maleferitum Iuriſconſultũ ad hominem inhibendũ miſit, cũ adhuc ægrotus iaceret in lecto. Ego per duos ultimos prædicationis illius dies, tanquam ab eo ad ſecum diſputandum, ut dixi, prouocatus, eadem, quæ ipſe in me reprehenderat, propoſui publice per me in principali urbis templo aſſerenda cõtra quoſcunq;. Corrogo pleroſq; è nobilitate Neapolitana, ut prælio interſint, & imprimis regiũ filiũ Ferdinandum, & cum eo Simonem Corelliam, qui nũc Comes eſt, quaſi nutritium eius. Et cur nõ in hac potius aula tam apta & tam capaci, Corellia inquit? Si uobis, inquam, iſtud, & mihi cordi eſt. Vix dixeram, ſtatim iubet idem expediri aulã, ac ſterni pararíq; ſuggeſtũ, ex quo eram habiturus orationẽ. Nullus enim locus in tota urbe erat magis idoneus, quàm illa aula ad ſanctã Mariã cognomine Coronatã. Ibi uideres totam ciuitatẽ diſputationis noſtræ expectatione ſuſpẽſam, & aduerſarios ſolicitos, trepidos, diſcurſantes, timorẽ ſuũ præferẽtes. Fuerũt ex ijs, qui cõfiterentur, hoſtes meos nõ fuiſſe auſos publice mecũ omni populo diſceptante cõtendere: ne ſe obruerẽ eloquentia. Itaq; cũ Rege egerũt, ne quid ſeditionis oriretur, ut me iuberet

Ferdinandus regis filius.

Simon Corellia.

disputatione supersedere. Venit ad me uesperi uir strenuus P. Sanctius præfectus Neapolitanus, aitq; Regē mihi suadere, ut disputationē differrem, dū ipse cōmodiore ualetudine esset. Ego regio cōsilio retentus, postridie, ut scirent qui cōuenturi erant, non futurū esse certamen, & timorē suum hostibus exprobrarem, affixi ualuis eiusdē tēpli Coronatæ hoc distichon, Rex pacis miserans sternendas marte phalanges, Victoris cupidum cōtinuit gladium. Hæc res, mirū dictu est, quantopere perstrinxerit animos aduersariorū, cum præsertim ego palàm pro uictore me gererem. Hoc illi nō ferentes, tum inimici mei, tum cupidi in mea damnatione plus sibi honorū cōparare, adhibito Laurentio Episcopo Puteolano, qui diu recuperare suum Episcopatum, quod aduersarū partiū fuisset, nō poterat, clàm aduersum me cōminisci incipiūt: dicentes nō esse tolerandū: homines credere, nō esse ab Apostolis conditū symbolū, quanquā aliud clandestinū coquebant consiliū, duce illo potentiore Episcopo, iurisconsultorū sua solius sentētia principe. Is enim fremere, cū alia quædā aduersum me proferens, tum locū quendā Decretorum, expostulareq; cū Episcopo Vrgellensi, qui meus esset protector, causamq; meam tutaretur. Quid enim ais, inquiens, cōtra hæc uerba Decretorum? Ipse enim Constantinus dedit facultatem Christianis, libere cōgregari, sub hoc itaq; sancti patres in cōcilio Niceno de omni orbe terrarū cōuenientes, iuxta fidem euangelicā & apostolicā, secundum post Apostolos symbolum cōdiderunt. Vrgellensis respondere, nō esse Decretorū libros per sese approbatos, quo minus refutare liceat. Ille nō Gratiani dicere uerba esse, sed Isidori. Ne Isidori quidē uerbis, iste respōdere, tali in re esse standū, nisi ei superiores doctores maioresq; cōsentiant. Cum esset aliquādiu altercatum, narrat mihi rem omnē pro sua in me benuolētia Vrgellensis, ostenditq; in Decretis locum. Eo lecto, Peream, inquam, nisi le-

P. Sanctius præfectus Neapolitanus.

Episcopus Puteolanus.

gendum

gendum est: secundo, hoc est, in concilio Niceno post Apostolos secundo, nõ symbolum secundũ. Nam concilium Apostolorum fuit illud Hierosolymitanum, cuius meminit Lucas, cum illuc Paulus & Barnabas quæstionẽ de circũcisione ex Antiochia attulissent, statimq; Antonellũ Cauianensem imprimis eruditum uirum adeò, quem sciebam habere uetustæ sanè literæ Isidorum. Comperio ita scriptũ, ut diuinaueram, exclamo præ gaudio: ò uulgus doctorum indoctorũ: affero codicem ad Episcopum Vrgellensem: admiratus ille celeritatẽ ingenij & mihi gratulatus, iubet me ostendere locũ Archiepiscopo Panhormitano, qui proxime Basilea redierat, principe ea tempestate omnium in iure pontificio doctorum. Ille opinor, quòd semper de secundo symbolo senserat, ut erat acutus & solers, dicere illud secundo esse aduerbium. hoc est, secunda uice. Ego respondere, cur potius aduerbium, quod raro reperitur, quàm nomen esset? cũ præsertim uideantur ij sancti patres bis condidisse symbolum, si secũdo foret aduerbium. Non dixi secundo symbolũ conditum à sanctis patribus post Apostolos, quasi prius illud Apostoli condidissent, sed secundo illos condidisse, quasi prius aliquod aliud cõdidissent. Præterea locũ istũ Isidori, qui foret controuersus & dubius, nullam in alterutrã partẽ facere fidẽ. Non enim de intellectu eius cõtrouersiam esse, sed de rei ueritate, utrum ab Apostolis, an à trecentis ac decem & octo sanctis patribus primum sit symbolũ cõditum, quorum duorum, prout hoc aut illud probatum fuerit, ita uerba Isidori, aut in hunc, aut in illũ sensum accipienda esse. Quid igitur ipse haberet à superioribus ecclesiæ doctoribus de hac re traditũ? Ille nihil recordari. Ego, ut iam inde, inquam, à Luca incipiamus, quomodo fieri posset, ut tantam rem ille Apostolorum Actibus non mandarit? qua nescio an ulla dignior quæ literis mandaretur: cuius nec locũ, nec tempus, nec modum, nec ordinem tra-

Antonellus Cauianensis.

dunt, qui ab apostolis factam esse affirmãt. Quòd si ab Apostolis symbolum factum esset, non dicam qua ratione Arrius erraſſet, ſed quid cõtrouersiæ, quid negotij fuiſſet? quid opus Niceno concilio ad eum condemnandum? imò quid opus alio symbolo? Si enim conſtabat de symbolo Apoſtolico, quid attinebat nouum condere? Si non conſtabat, quis audeat dicere, ſingulos eius articulos ſingulorum fuiſſe apoſtolorũ? Adde quòd Nicena ſynodus ſymbolum cõdidit ad illum uſq; locum: cuius regni non erit finis. Ergo illud Apoſtolicũ, in quo de ſpiritu quoq; ſancto cõmemorabatur, decurtauerunt. At poſtea adiecerũt in Conſtantinopolitana ſynodo, certe ideo adiecerunt, quia antea in nullo fuerat ſymbolo, quia in ſpiritu ſancto Macedonius delinquebat, qui profecto non erraſſet, ut reor, * ſi Apoſtoli perfectum ſymbolum reliquiſſent; auſim dicere, penè maioris quàm Euangelia autoritatis futurũ: quòd Euangelia ſingulorũ eſſent, ſymbolum uerò totius Apoſtolici ſenatus. Adeóne inter Latinos Græcosq; unquã de ſpiritu ſancto ſchiſma extitiſſet? nec ſymbolũ Nicenum tantopere, ſed apoſtolicum nominatum fuiſſet? Infinita alia dici poſſent, ſed à me, quæ dicta, apud Archiepiſcopũ fuere, repetuntur. Ille probabiles ſibi uideri rationes meas reſpõdit, ſed uelle ſe cõſiderare diligẽtius. Ego ab eo digreſſus, & pro cõperto habens: uerbũ apud Iſidorũ eſſe ſcribendum, ſecundo, nõ ſecundũ, idq; nõ aduerbiũ eſſe, ſed nomẽ, ſcripſi epiſtolã ad collegium Iuriſconſultorũ Neapolitanorum (Non potui fateor cõtinere impetũ, quin imperitiæ inimicorũ inſultarem) ut locũ illum Decretorũ emendarent, & hanc occuparent laudem emendandi mendoſam in Decretis ſcripturam, conſtituere enim me de ea re ad doctorum Italiæ collegia ſcribere, iuſſiq; reddi literas nobiliſſimo & nulli illic ſecũdo in ea facultate, mihiq; amiciſſimo Antonio Maramaldo. Eas pleriq; illorum cũ legiſſent probaſſentq;, Ioannes Antonius Carrafa, pari

Ioannes Antonius Carrafa.

Digitized by Google

pari nobilitate uir, & scientia proximus, & mihi sanè amicus, sed leuis, & ut uulgo uere dicitur, magis incõsultus, quàm Iurisconsultus, pertulit ad illum principem iurisperitorũ sibi amicum ac similẽ, quibus literis quasi quibusdã facibus accẽsus homo alioqui natura incensa ac uesana, inducit Vicarium Archiepiscopi (nam archiepiscopus aberat) in cuius episcopio ipse habitabat, familiarẽ, ut me postero die ad se citaret, ac cætera cõtra me instruit. Ita postero die citor, ut eadem hora Vicario Archiepiscopi præsto sim. Ego & si aliquid, non tamen tantum doli suspicatus, pergo ad hominem, sine aduocatis: credens aliquid altercationis fore. Non Episcopum Vrgellensem, nõ Iohannem Olzinam, nõ Arnoldum Fonolledã secretariorũ principem, nõ aliquẽ meorum amicorum certiorẽ facio. Inter eundũ à multis interrogor, quò eã: respõdeo, ad Vicariũ cũ aduersarijs disputatum. Ita multi disputationis audiendæ cupidi sequũtur. Vbi peruenio, offẽndo aliquot pontifices ac pharisæos, stũ timq; me insecutus est, qui acceßum meum expectarat Ioãnes episcopus Alesanus: nam ille Caiphas, ut postea accepi, à senestella quadam episcopi despectabat. Considerent illi, ego cum corona sto iam tunc suspicans non esse illam legitimam disputationem. Ibi frater quidam prædicatorũ, quẽ aiebant Inquisitorẽ, percõctatur, quid de symbolo sentirem, ab Apostolis ne cõditum, an nõ. Ego me sentire, non ab Apostolis, sed à synodo Nicena conditum, Nam quomodo secus ille? imò istud sentire hæreticum esse. Ego affirmare: me id multis rationibus esse probaturum. Ille non cum disputandi, sed abnegandi esse locum. Hæc dicẽs, profert epistolã meã, qua me impugnare Decreta aiebat si in ea perstarem sententia, se pro hæretico me damnaturos. Ibi ego, ut omni turba me extricarem, inquam: De his idem sentio, quod mater ecclesia. Reuoca, inquit ille, quod scripsisti de his, quodq; dixisti. Cur non potius, inquam, uos docetis esse

Digitized by Google

reuocandum? Etiam, inquit, in prima opinione perstas? An uos, inquam, mauultis oris mei, quàm animi emendationẽ? quo enim pacto ego emendor, nisi idem, quod ore fateor, animo sentiam? an hoc quæritis, ut iterum uel ira uel imprudentia ex meo sen= su loquar, & iterum relabar in errorem? Ibi Ioan. ille, eiusdẽ ordinis fraterculus, Alesanus episcopus: Istuc ipsum uolumus ut relabaris, notam enim habemus contumaciam tuam. Nõ fui= sti, inquam, ausus æquo campo mecũ decertare, ideo me ad has angustias redegisti, sed erit aliquando tempus meum. Tũc ille exurgens me per pectus arripuit: Tibiq; hic, inquit, superbia est deponenda. Id cum cæteri tacite improbarent, Quid, inquit Inquisitor, reuocas'ne quæ scripsisti atq; dixisti? De his omni= bus, inquam, idem sentio, quod mater ecclesia, quemadmodum dixi. Id satis responsum cæteris uisum est. Tum Anna, hoc est, idem Alesanus Episcopus, quid de decẽ prædicamẽtis? Etiam'ne decem prædicamenta, inquam, ad fidem pertinent, tanquam de= cem præcepta legis? Ad hoc cum cæteri murmurassent: inde= cens esse de Dialectices dogmatibus ueluti de articulis fidei quæri, Quid ni, inquit Anna, ad fidem ista pertineant? an igno ratis illo Dialecticorum dogmate, quod iste in suis disputandis quæstionibus proposuerat, de sensu diuiso & composito, ma= xima in theologia res explicari, ac resolui solere? Et cum ei quidam assentirentur, quidam aduersarentur, Age, inquam, etsi ista mater ecclesia ignorat, tamen idem de ipsis credo, quod ma ter ecclesia. Eum uolentem ad alias nugas pergere, reliqui pro hibuerunt. Iam enim quidam procerum aduenerant, qui se ab Rege, qui ista audisset, missos mihi futurum præsidio signifi= cabant. Ita iusserunt eundem Episcopum, ut absolutionem mo= re confessorum mihi faceret, conciliumq; dissolutum est. Ego uix egressus templum, præstolatus Episcopum, tanta sum in eum & in alium Episcopum Caipham absentem, qui me forte

audie

audiebat, acerbitate uerborum inuectus cum assensu populi, ut iam tunc eos facti sui pœniteret, rectaq; ad Regem profectus de iniuria quæstus sum, tametsi iam alij renuntiarant. Rex accito Episcopo, quamuis princeps mansuetissimus, tamen exprobrauit solitam temeritatem atq; uesaniam, parumq; abfuit, quin eum ab oculis suis abijceret: appellans eum planè Arogonensem, (est enim ille Arogonẽsis, quæ gens cerebrosa putatur & pertinax) Cui enim unquam præreptam sui defendendi facultatem? etiam deum, ut præberet nobis exemplum diligentis in alterum animaduersionis, dixisse: se uelle uisere, nunquid ea, quæ de Sodoma & Gomorra sibi referrentur, uera essent: & ad populum gentilem Niniuitam missiße prædicatum Ionam, ut conuerteretur. Hæc enim, ut memini, duo retulit exempla. Vos uerò nullo ordine, nulla legitima uia conati fuistis opprimere innocentem: se scire aiebat, quid illos ad hanc rem induxisset, dixitq; palàm de alio opere meo. Ita illud, quod antea pauci norant, diuulgatum est, ut ad aures etiam mulierum manarit, multiq;, ut transcriberetur, tanquam iußi ab Rege, operã dederint usq; adeò, quod extinctum uolebant tanquam incendium, sua stultitia, ut per uniuersam Italiam diffunderetur, effecerunt. At ille Caiphas tuus Podi tum metu Regis, tum pœnitentia facti, quod secus succeßerat, atq; opinatus fuerat, plus duobus mensibus domi se tenuit. Taceo quid postea Romæ contra me sub alio Pontifice conatus sit. Habes Podi rem Neapoli gestam. At tu sceleratus audes dicere uirgis cæsum quoq; me fuisse. Et quomodo rex hominem hæreticum & ignominia notatum, honoribus, beneficijs, familiaritate sua ita, ut eius præceptor essem, fuisset prosecutus? Plura dicerem, nisi nollem esse longior, qui in refellendo hæreseos crimine fui, ut erat necesse, longißimus, quo tu pariter & cæteri stulti atq; iniqui intelligeretis, illam aduersus me Neapolitanam conspirationem apud

Digitized by Google

deum & homines extitisse mihi glorioſam potius quàm igno-
miniosam. Supereſt unum, cui reſpondendum eſt, crimen, quod
ais, me corrupiſſe ancillam uiri ſororis meæ. Ea uerò tam inge-
nua eſt, quàm uxor tua, & tam bonis orta parẽtibus, ais enim.
POG. Ancillam eius ſeruam à te nequiſſime corruptam, grauis-
damq; factam non rapuiſti, ſed perfide prædo per ſummũ ſce-
lus ſurripuiſti. LAV. Verum paulo poſt: quaſi me purgans
ſubijcis, POG. Non ſum ita inhumanus, ut huius rei te admo-
dum culpem, homo es: nox, uinum, conſuetudo, & frequens
ſuaſit uiſus. LAV. Cur hoc quæſo bone Podi ſubdidiſti? ut me
purgares? nihil minus: ſed, ut teipſum, qui ſuperiore anno an-
cillam tuam, eãdemq; nutricem filij impleueras. Quod cũ uxor
tua reſciſſet, coëgit mulier religioſa & illam miſeram potioni-
bus abigere partum, & te prius uerberatum nuptui eam tra-
dere famulo tuo, qui, ut creditur, illam prægnantem fecerat, ſo-
cius herilium bonorum, ut uere domi tuæ agnoſcamus illud di-
ctum: amicorum cõmunia omnia. Namq; hæc cum eſſet ancilla
tua & concubina, erat famuli tui amica, nunc dum eſt illius
uxor, eſt etiam amica tua, omnia tua talia ſunt. Sed, ut pro me
reſpondeam, ſi ancilla eſt, cur à domino non repetitur? licet tu
barbarus aliud putes ancillam, aliud ſeruam, ſi quidem prò fa-
mula poſuiſti ancillam. Nunquam te pudebit ſenex mẽtecapte
aperte mentiri: fœminam ingenuam & honeſto loco natam ap
pellare ſeruam? Tua Sempronia potius appellanda eſt ancilla,
Sempronia inquam tua cenſenda eſt ſerua, atq; adeò bis ſerua.
Nihil dicam, niſi quod notum eſt: uno modo, quo philoſophi
appellãt homines ſeruos, qui ſe alteri addixerũt, mulier enim,
quæ libidini alicuius uiri ancillatur, iure ancilla habenda eſt.
Sempronia tua ante te Magno Pompeio ancillata eſt quàm P.
Clodio in manum uenit. Altero, quod non uſu, non farre, ſed
coemptione, quæ tria genera Vlpianus in Inſtitutiõibus ponit,

Seruus
Ancilla

tibi

Digitized by Google

tibi in manum conuenit, & tibi materfamiliâs facta est. Sed nõ ea coëmptione, quam ille refert, sed turpiore. Nam quòd ex ea susceperim prolem, factũ est, ne uxorem ducerem, ad quam ducendam omnes propinqui me hortabantur, inuitabant, adigebant, non tam speciosam (nam quæ tam speciosa, quàm tua est? qualem ne uellem quidem) sed ditiorem, nobiliorem, honestiorem. Cur autem nolui uxorem ducere? cum essem non maior natu, quàm tu, cum uxorem duxisti, non zelotypus, quippe qui non pulcherrimam, ut tu, sed optimam uellem: non alicuius mihi uitij aut morbi cõscius. Nulla enim sum hernia præditus, quam tibi in mensam dependere uicini ac noti affirmant, sed quòd clericus esse destinarem, testis est deus. Itaq; cum nonnulli meorũ propinquorum me uirginem, siue frigidioris naturæ, & ob id non idoneum coniugio arbitrarentur, quorũ unus erat uir sororis, quodammodo experiri cupiebant. Volui itaq; eis ostendere, id quod facerem, non uitium esse corporis, sed animi uirtutem, & simul, ut susceptâ aliqua prole non esset mihi soror molesta, quæ orba liberis est, ad familiam nostram, quæ iam extincta est, excitandam descendi ad uenerem, nec, ut tu, ad alienam uxorem, aut ad præcustoditam, aut ad pollutam fœminam adcessi, sed ad eam, quæ sui iuris esset, eandem uirginem, quam, cum ex ea intra duos annos suscepissem tres liberos, inhumanissimum est uisum tam ipsius, quàm liberorum causa, abijcere. Tamen aliquamdiu seorsum habitauit, nec diu spero, manebit innupta, si modo uiro collocari non recusabit. Hæc magna laus fœminæ est, etiam ei, qui non sit legitimus uir, seruare fidem. Quo maius flagitium est earum, quæ fidem uiris non seruant, qualis Lucia, quæ Placentinũ legitimum uirũ amore tui, imò pecuniæ (nam quomodo amari potest hernioſus?) deseruit. tametsi illa negat te secũ fuisse hernioſum, nisi enim nudiust ertius, qui eam de te perconctaretur (testor deũ me nihil prorsus

Lucia cõcubina Pogij

menti

mentiri) dicebat tamen te communes libros pro nihilo habere, non solum tres mares iam uiros, quos iniustitia tua ablegaßes, sed filiam, quæ Romæ esset, seq; ex qua filios quatuordecim sustulisses, duodecim mares, & duas fœminas. Referebat autem iniustitiam atq; impietatem tuam hoc modo, quòd filios tuos à summo Pontifice legitimandos cũ olim curauisses, & tuos hæredes nuncupasses, post alios ex uxore liberos rescidisti, quod rescindi non poterat. Simulasti enim apud miseram matrem, te uelle unum è tribus filijs clericũ esse, ideoq; indigere bulla papali, hæc recusare diu illam in manus tuas tradere. Ne multis agam, cum essent qui dicerẽt, nõ debere matrẽ filio, quo minus clericus foret, impedimento esse, ita misera bullã tradidit, quam tu bonus pater cõtinuo lacerasti. O dignũ patrẽ, quem sui tres filij strangulent, innocẽtes, innoxij, boni alioqui filij, non modo à patre sunt exhæredati, sed etiam repudiati. Doleo, si qua est fides, uicem miserorũ iuuenum, qui modo et patre & patrimonio prædiți, utroq; incolumi, tamen utroq; priuati sunt. Quem patrẽ appellabunt filij tui Podi? quò se cõferent? potes hoc pati? potes hoc sustinere? & quos pro tuis alueris, quos in ætatẽ adolescẽtiæ perduxeris, quos hæredes tuos scripseris, eos protinus sine causa abdicare, ejicere? pro nõ tuis & habere & dicere. Itaq; miseri adolescẽtes de summa spe ad summã desperationẽ adducti, unà abiere militatũ, de quibus nunq; postea mater utrum uiuant necne, nec literas, nec nuntiũ accepit. Itaq; flens dicebat magis esse tuos illos ex se, quàm istos ex tua uxore. Cuius rei, ut sileantur cætera, uel hoc signi esse, quòd istorum nullus est similis, nec alteri, nisi quatenus * matrissant, nec tibi: nec desperat, si uiuant filij, nõ quidẽ ex te, sed ex filijs uxoris tuæ eos pœnas reperturos, & sibi patrimoniũ uindicaturos. Nõ enim literas illas, si abs te lacerataæ, & forte è regiſtro papali deletæ sint, esse laceratas in cœlo, & apud deum deletas.

* Videnum scribendum sit, matrissant.

Non

Digitized by Google

Non ſum igitur in filios, ut tu Podi, impius, nõ ſum ſæuus, non ſum barbarus, Sed, ut eò redeam, unde digreſſus ſum, ad uxorẽ tuam, ut inquit Ouidius: Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis. En eget auxilio, qui nõ tulit. Et Seneca: Autorem ſuum repetit ſcelus. Malo in hac leui re gentilium, quàm fidelium repetere exempla. Non enim in te decet exemplũ Dauid, qui ob Berſabeam Vriæ præreptam ipſe uxores omnes amiſit, & quidem præreptore filio. Igitur tua Sempronia, ut ſpecie, ſic moribus Veneri cõparanda eſt. Illa enim, quod nulla alia dea fecit, dijs atq; hominibus uel ante uel poſt nuptias obſecuta eſt: genuitq; ex Ioue Cupidinẽ, ex Marte Hermionam, ex Mercurio Hermaphroditum, ex Bute Herycem, ex Anchiſa Aeneam, ex Vulcano marito claudo & fabro, neſcio an nullum. Tua uerò uenuſtiſſima Sempronia, uelut æui noſtri Venus, genuit totidem, aut plures, quàm illa filios, partim ex dijs, hoc eſt, ex magnis ſacerdotibus, partim ex hominibus, ex uiro neſcio an aliquem: quaſi altero Vulcano, uel quia hernioſi claudicant, uel quia fulmina ſuis ferramẽtis fabricatur, uel quia tam æquo animo Venerem tolerat. Ideoq; nemo filiorum ſuorũ ueriores cõpatres, quàm Podius habet. Sunt enim nonnulli eorum, quos cõpatres uocat, qui in patrandis filijs adiutores extiterũt, ergo omniũ compatrum uerißimi compatres. Quare mi P. Clodi, ſi eſſem tibi ſimilis, peterem, ſi uelles mecum redire in gratiam, ut tali me tibi ratione faceres compatrem, qua tibi ſunt alij quidam. Sed abſit à me, ut ego tibi uel in hac uel ulla in re ſim ſimilis, qui certe recuſare non potes, quin uidearis in omni impuritatis genere uolutatus, quia tam impure loqueris, cũ alibi, tum uerò in confabulationibus tuis, ut apud Græcos dicitur: ita quenq; dicere, ut uiuat. Et in Salluſtium Cicero: Neq; qui tam illoto ſermone utitur, uita honeſtior eſt. At tu non ſolum tam ſpurce loqueris, ſed etiam de tam ſpurco ſermone gloriaris: inquiens,

POG.

Digitized by Google

POG. Inuehit in meas confabulationes, ut spurcas, & bono uiro indignas, homo austerus & seuerus nimium, alterũ Zenonẽ Stoicum credas, aut Catonem tertium, non bestiarum quẽdam bubulcum, omni plenũ rusticitate. Sed quid mirũ facetias meas, ex quibus liber constat, non placere homini inhumano, uasto, stupido, agresti, dementi, barbaro, rusticano? at ab reliquis aliquanto, quàm tu, doctioribus probantur, leguntur, & in manibus & in ore habentur, & uelis, nolis, rumpantur licet tibi Codro ilia, diffusæ sunt per uniuersam Italiam, & ad Gallos usq; , Hispanos, Germanos, Britãnos, cæterasq; nationes transmigrarunt, quæ sciant loqui latine. Licet enim & mihi Valleã iactantiam præ oculis habens paululum gloriari. LAV. Non est proprium Stoicorum, è quorum fuit numero Cato, uerborum reprehendere licẽtiam, de quibus Cicero inquit, Nec uerò audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerant Stoici penè Cynici, qui reprehendunt & irrident, quòd ea, quæ turpia non sunt, uerbis flagitiosa dicamus. Itaq; & mihi de illorum Stoicorum aut Cynicorum numero uideris esse, ac super omnes Cynicos, nec audis Ciceronem in eodem libro dicentem: Ipsumq; genus iocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet, duplex omnino est iocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Sed qui sunt isti quæso reliqui me doctiores, qui te probarunt lectitantq; ? Nunquid Franciscus Barbarus, quem ausim affirmare ne legisse quidem. Num Guarinus? num alij docti? Ostende eorum testimonia, ut ego facio. Equidem neminem grauem uirum esse opinor, qui non te cum tuis facetijs detestetur, & facetias appellas? Nunquid si Cicero Quintilianusq; reuiuiscerent, eas inter sua ridicula ponerent? Illa est magna profecto facetia P. Clodij: libet mihi præ oculis habens Valleam iactantiam gloriari. Fateor, risum non modo

Libet mihi habens

modo alijs, sed etiam mihi mouisti isto: mihi habens: quod si proponas in schola puerorum, nimirum cachinnos omnium cõtinuo excitabis. Nã illud non risum mouet, sed derisum: transmigrarunt, cum transmigrare sit domicilio priore relicto in alterum se cõferre. Sed hæc linguæ uitia sunt, illa uerò cordis, quòd palàm, ut dixi in tam spurcis, tam nefandis, tam abominandis rebus gloriari audes, & homo id ætatis ad ista non modo dicenda, sed etiam facienda nos uideris adhortari, quæ nemo est, qui non intelligat, abs te, ut dicuntur, ita etiam fuisse facilitata. Vbi sunt qui ad populum frequenter de minimis flagitijs nugisq; uociferantur? Vbi tu es Antoni Bitontine, qui in meas de Dialectica opiniones ad populum peroraſti? si pro republica Christiana, si pro hominum salute, si ut deo inseruiatis, concionamini, & non aut gloriæ, aut auaritiæ, aut inimicitiæ gratia, cur Podianum opus non accusatis? cur non in illud peroratis? cur non autorem librumq; ad ignem uocatis? imitantes Bernardinum & Robertum, qui opus Antonij Panhormitæ in concione Mediolani Bononiæ, ac Ferrariæ concremarunt. Magis hoc moribus, quàm illud nocet, uel ob id, quòd hoc latius, ut ipse Podius ait, emanauit. Et Panhormitam forte pœnitebat pigebatq; operis sui. At iste etiam gloriatur ob suum, & reprehendẽtibus respondet: illos insanos esse, qui ipsius gloriam carpant. Hunc uos, si saluum uultis, præsertim cras aut perendie moriturum, non obiurgabitis? nõ increpabitis? non Hippocratis uinculis alligari iubebitis? non opus eius siue pœnitentis, siue non pœnitẽtis accenso in cõcione igni crematũ est? Ego clamo: ego uos prædicatores omnes, quanta possum uoce, conteſtor, ego cœlũ ac terram testes inuoco, me uos admonere, ut librum nefandissimum, & quem Saraceni, quẽ Scythæ, quem omnes gentiles damnarent, exterminandum, extinguendum, sepeliendum

Transmigrare

Antonius Bitontinus

ſepeliendum curetis. Nihil religioni, nihil pudori, nihil moribus eſt uirorum mulierumq; perniciosius. Spartiatæ, quòd minus uerecunde loquebatur, opus Archilochi, apud ipſos legi uetuerunt. Auguſtus Ouidium ob tres de arte amandi libros, etſi multa de laudibus ipſius compoſuerat, in ultimam tamen Scythiam relegauit: nec tot epiſtolarum libris illinc miſsis, potuit ad dandam tanto uiro ueniam exorari, ſaltem ut propius exularet. Vos iſtum hominem impurum, barbarum, elinguem, qui nihil penè niſi contra bonos inuectiuas compoſuit, impunitum ſinetis? de ſuis quoq; peccatis ac ſceleribus gloriãtem, & quaſi peſtiferam quandam luem contactu afflatuq; omnia polluentem? Cacus in uno Auentino Monte, Hydra, Meduſa, & alia cuiuſcunq; ſeculi monſtra in ſua quodq; terra graſſabatur. At hoc noſtri æui monſtrum, prodigium, oſtentum, portentum, hæc lues, tabes, peſtis, clades, mors, nex, infamia, & quicquid dirum tetrumq; dici poteſt, ut ipſe teſtatur atq; adeo gloriatur, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Britanniam, cæteras q; linguæ latinæ nationes inuaſit, inquinauit, infecit. O, ſi uerum eſt, quot animas perdidit ac perdet, niſi uos animarum cuſtodes, tutores, medici, & qui cõtra lupos officio canũ, pro ouiũ incolumitate fungimini, ſuccurritis latratu, curſu, dentibus. An expectatis, ut ipſe ueſtro fungar munere? En quoad poſſum fungor, latratus emitto, ut uos uocaliores, uelociores, robuſtiores canes excitem ad hũc infeſtiſsimũ lupũ, nõ modo abigendũ, uerum etiã diſcerpendũ laniandumq;, & poſt mortẽ, ut q̃buſdam in locis fit, in arbore ſuſpendẽdum: ut prætereũtes omnes eum lapidibus inceſſant. Scio expectare eos, qui facetias Podianas non nouerũt, quidnam monſtri tantum illæ ſceleriſq; cõtineant. Quid agam, ſi quas illarum in mediũ proferam? polluam os meum? polluam aures auditorum? polluam hunc librũ? Sunt enim quædam obſcœniora, quàm ut à uerecundo, etiam capitali

inimico

inimico obijci posſint. Quòd si pogius uerenda corporis ante oculos meos nudare uellet, ego uultum auerterem, ne polluerem oculos, an obscœna eius, quæ euomuit, uerba referendo, ipse os meum coinquinabo? Sin eas hoc prohibitus timore non proferã, non uidebor posse probare causam meam, non iustè in eum fuisse inuectus. At uerò causa mea melior, credo, futura est, meliusq; audiam apud eos præcipuè quibus castè instituendæ iuuentutis cura mandata est, in quorum manus hæc nostra fortasse uenient: si impudentis, si flagitiosi hominis, si deniq; bonorum morum corruptoris obscœnitatem taciturnitate uelauero. Obscœnitatem dico in fabellis illius, quam debeant optimi cuiusq; aures repudiare. Itaq; malim honoris mei iacturam facere, aut etiam calumniator, si necesse est, appellari: quàm per me tot lectorum polluantur animi, tanta tamq; execranda nequissimi hominis impuritate. Satis mihi impræsentiarum fuerit, quòd plurimos, eosq; optimos uiros huius rei testes habuerim: ad quos, prò dolor, iam Podiana opera peruenerunt. Quare finem scribendi faciam: si pauca admodum adiecero, quæ à Podianarum obscœnitatum lectione deterreant. Solebant olim in honorem deæ Floræ, quæ fuerat nobilissima meretrix, ea uidelicet, quæ populum Romanum scripsit hæredem, nudatæ meretrices ante ora populi impudicis gestibus ludere. Quò cum aliquando uenisset Cato, intermissi sunt præ pudore ludi, & præsentiam Catonis iuuentus erubuit, ac tacite, ut ille abscederet, precabantur. Quam obscœnitatem Cato cum emendare non posset, abscessu suo improbauit. Nunc quis non intelligit, qui in fœdam illam, tetramq; fabularum colluuiem inciderit, Podium ueluti Floralem aliquam meretricem, non modo in conspectu Romanæ iuuentutis, sed tot latinè loquentium nationum nudatam impudicissimis ludere gestibus? Omnes enim, qui ista legũt, sibi ipsi rem pingunt, & Podiana Floralia cernere uidentur. Non hoc facit meretrix, non

mulier, non iuuenis aliquis, aut uir plebeius, ſed Podius octogin-
ta amplius natus annos, homo literatus, & ſi ei credimus, eloquē
tiæ princeps, apoſtolicus ſecretarius, cui ueluti Catoni, oculos,
aut aures tantæ obſcœnitati præbere deforme eſſet, hos ludos no
bis agendos præbuit, hæc feſta Floralia nationes docuit, hanc mo
rum inſtitutionem, tanquā optimam hæreditatis partem, filijs re-
liquit, hoc opus multorum inſtar librorum ad trecentas fabellas
ſiue facetias in Græcam linguam quoſdam, ut transferant, hor-
tatur: quoſdam ut in Gallicam, quoſdam ut in Hiſpanicam, quoſ-
dam ut in Germanicam, quoſdam ut in Britannicam, & item in
cæteras linguas. Quod ſi fiat, quid aliud ſperandum eſt, quàm
ut ſiue ſecta, qualis fuit Epicurea, Stoica, Peripatetica: ſiue ne-
quitia, qualis illa Gnatonica: ſiue inſtitutio, qualis prædicato-
rum, minorum, monachorum, Podiana dicatur? O te For
tunatum, felicem, beatum, atque immortalem Podi,
qui tot uel diſcipulos uel ſectatores uel imitato-
res habiturus es, ut in cœlo cum dea Flo
ra tanquā coniuge colloceris, & unà
cū illa te Clerus omnis elata uo
ce cōprecetur: ſancte Podi
& ſancta Flora ora
te pro nobis.

Digitized by Google

EIVSDEM LAVRENTII VALLAE IN EVNDEM Pogium libellus primus in Dialogo conscriptus.

PRAEFATIO.

AVDIO Pogium alteram in me compositionem inuectiuam, longe priore acerbiorem, in qua nihil admodū *de iure causæ suæ disputat: quasi planè uictus, superatusq; , sed totus in maledictis, conuitijsq; uersatur. Eam nondum habere potui. Interea peragā triumphū meum, aut potius iterum triumphabo, ritu eorum imperatorū, quibus unus dies ad triumphandū non fuit satis: atq; eo audacius id facere possum, quòd iam, ipsius quoq; hostis confessione, victoriam sum adeptus. Qui enim aduersus argumēta, rationes, probationesq;, non argumentis, sed opprobrijs, non rationibus, sed conuitijs, nō probationibus, sed spurcitijs agit, is certe declarat se imparē, ac uictum esse: & , uelut canem à fortiori laceratū, plagas suas ululatu latratuq; solari, & hoc saltem uindictæ genere inimicū suum ulcisci. Et quia iusto è prælio nō potuit discedere superior, sperat se superiorē iniusto. Nā quis, quæso, non dico strenuus, fortis, & in bello iam uictor , sed probus atq; moderatus, uelit cōtendere cū auaro de auaritia: cū ebrioso de ebrietate: cū proditore de proditione: cum libidinoso de libidine? certe nemo. Ita nec cū maledico de maledicētia. De uirtutibus est cum egregijs uirijs, nō de uitijs cum inhonestis, aut cū facinorosis certamen, & æmulatio. Loquatur itaq; Pogius, quantū uelit, obscœne & spurce, facit qd' suū est: sui semp est similis, pugnator pessimus, calūniator insignis: cuius dicacitatē contēnere ac damnare

*al's, de uitæ causa disputat, uide utrum melius.

Digitized by Google

me, non imitari decet: licet non ita de ipso sim meritus, ut in me carpendo pergere debuerit. Siquidem cum promisissem me omnes eius libros recogniturum, & eorum uitia in triumpho tanquam captiuos exhibiturum, id tamen non feci, mollitia quadam animi retentus: quasi satis haberem, uitia Epistolarum ostendisse, Sed quoniam hostis me cogit, (si modo hostis appellandus est, qui uictus atque captus est) peragamus ultionem, ac ueluti secundo die triumphemus, &, quia debellatũ est, aliquanto hilarius: repræsentantes quodam modo illum priscum Romanorum morem triumphandi. Nam ita accepimus, inter mensas, quas ciues per uias esculentis, poculentisq; referserant, exercitum victorem comessabundum potabundumq; transisse. Sic nos quasi edentes atque potantes, aut certe ridentes triumphemus, postea alio modo de inuectiua triumphaturi. Decet enim de uinoso ebrioso q; hoste superato, talem nos agere triumphũ: incipientes ab Epistolis ad Nicolaum Nicoli missis, sed, quo res sit iucundior legentibus, sub apologo tanquam Guarinus cum schola sua atque domo adsit. Erit autem uel apologus, uel scenicus quidam actus.

LAVRENTIVS.

SAluus sis Guarine. GV. Salue Laurenti, & tu Pogi, licet taceas, sed cur taces? POG. Vtinam tam bene loquerer, quàm bene taceo. LAV. At cur nõ sæpius taces, quàm loqueris? POG. Quia, qui male loquuntur, rarius tacent. LAV. Atqui nũc bene loqueris, quod multo est satius, quàm tacere. Cur ergo Guarinum nõ salutasti? POG. Nõ dico me male loqui, quòd loq neſciam, sed quòd de alijs male loquar, ideoq; ad salutandũ sum tardus. GV. Ego me abs te Pogi salutatum puto, quid uultis? LAV. Guarine, quæso te pro tua singulari & humanitate & eruditione, te huic facto iudicẽ præbeas, tui enim artificij est, de lingua Latina agimus, in qua tradenda tu principatum obtines.

GV.

Digitized by Google

G V. Ego uerò libens, si modo Pogius forũ nõ declinet. P O G. Quid ego forũ declinem, quod semper amaui, & colui? quippe, in quo tot res ad delectandã gulam pertinentes, emere solemus, non dico lactucas, caules, allia: sed perdices, fasianos, anseres, anates, gallinas, columbos, turdos, ficedulas, itemq; oratas, murenas, congros, mulos, præterea pastillos, copullos, salsamenta, & ante omnia duodetriginta genera uini egregij, quæ enumerabo, si uultis. G V. Ista fora tibi relinquimus colenda Pogi, ego de illo fòrò loquor, unde dicuntur causæ forenses. P O G. Relinquis mihi hæc fora? & relinquas uolo, malo enim ficedulas colere, quàm lites, cauponas, quàm causas. Itaq; forum causarũ per me uos colatis licet, id uobis colendũ relinquo. G V. Geramus Pogio morem, non te in forum ad Iudicem, Pogi, sed in scholã uocari ad Magistrum existima. P O G. Ego ne puer quidem, aut adolescens scholam adij, quomodo nunc adibo decrepitus? G V. Non dico, ut discas, sed ut cũ Laurentio disputes. P O G. Quis me ad disputandum adiget? G V. Honestas, ratio, pudor. P O G. Si de saporibus disputandũ sit, non recuso. G V. Quid de sonis? an pluris gustus est, quàm auditus? P O G. Quid ni? cum sine so no uiui possit, sine sapore nõ possit. G V. Istud Laurentij interest, nõ mea, ego pro Iudice uocatus sum, nõ pro litigatore, itaq; uerbum non addo, tu modo Pogi uideto, ne, dum ista dicis, tergiuersari ac fugere uideare. P O G. Ego ne subter fugere ac tergiuersari uelim? qui nunquã fugi, nec terga uerti, qui uictus, prostratusq; nunquã me fãteor uictum, contraq; mihi incumbentem unguibus dentibusq; pugno, ideo non est causa, cur nos audias altercantes. L A V. Tu uerò Pogi, dum modo prosternaris, pugna, quantumuis dentibus unguibusq;. Non enim pardus es, aut leo, ut ungues tui sint ac dentes formidandi, præsertim habenti durissimam pellem, si tamen fãteri uis, mei sunt in te pardini leoninique dentes, & ungues. Cæterũ, nolo tecum pugnare,

Digitized by Google

Guarinus modo sit examinator epistolarum tuarum ad Nicolaum: me nihil uerborum facturo, nisi hoc unum, ne culpā in librariū reijcias, est ne hic codex tuus? POG. Quid si negē meū esse? LAV. Si negaueris tuum, ego dicā esse meū. POG. Guarine, hic furti se alligat. LAV. Nemo est fur rei domino carentis. POG. Ego istius codicis dominus sum, & tu eius fur. LA. Non dixi: me hunc librū esse meū dicere, sed dicturū, si tuum negasses. Quod si faceres, iam huius libri fur nō ero, sed dominus: tu uerò non dominus libri, sed mei caluniator. POG. Imò ipse sum dominus libri, nō tu, quē tu forte furatus es illi, cui cōmodasti trāscribendum, nisi ab eo tu cōmodato accepisti, licet hoc illi uetuerim. LAV. Iam culpā in librariū refundere nō potes, tanquā liber incmendate sit scriptus, quē tradis etiā non amicis trāscribendū, uerū quid, ita uetuisti homini, ne mihi cōmodaret? an, ne te reprehenderē? POG. Tu me reprehenderes, homo maxime reprehēdendus? LAV. Experiamur, an isthuc poßim, Guarino disceptatore, & iudice: in plurimis enim, ut opinor, errasti. POG. Mentiris. LAV. An mētiar, cognoscas licet, en locos annotaui. POG. Vbi sunt? cedo codicē. LAV. Istud non faciā, ne hinc te proripias cum codice, tu potius Guarine inspice: & quoniā ipse hunc insectari nō possum, tu pro peccatorū qualitate reprehende. POG. Quid poteris reprehēdere? LAV. Si te nō poterit, me poterit, qui locos in tuo libro, ut reprehēdendos, annotaui, uter peccauerit, eum censoria austeritate insectetur, placet ne hoc tibi? POG. Cur nō placeat mihi, te reprehēdi? GV. Vultis ne me castigare cēsorie, uel te Laurēti calumniantē, uel te Pogi male loquentē? POG. Accipio conditionē, dū Laurentiū more Pogiano, scis quid dicā, insecteris. LAV. Ita uolo, sed ut tu uicißim Guarine sustineas partes meas, omißis tuis, ut sicubi reperies Pogiū barbare loquentē, non iudicē agas, sed accusatorem. GV. Ita fiet, igitur legam locos abs te Laurenti notatos.

LIB.

LIB. POG. Illud autẽ diligenter annotaui, nullo modo licere ſacerdoti capere quicquã ex altari, præter uictum & ueſtitum: quòd ſi plura, furem dicunt & latronẽ. G V. Vnde pendet Podi illud, quòd ſi plura? uerũ hæc donemus: nemo eſt, qui in huiuſmodi non aliquando erret incuria quadã: Hoc mihi præ cæteris moleſtiæ plus affert, quid ſibi uult præ, & plus: Cicero nunquã ſic dixit. LIB. POG. Poſt quindenam ab his partibus diſcedam. G V. Coquũ ſtabulariũq; meos ſæpe ſic audio loquẽtes: uolo ire ad partes, uenerũt multi ex partibus meis, quos ita loquẽtes, etſi nõ Italicos, tamen ridere ſoleo: quindenã autẽ in ore illorũ nunquã audiui. Hoc ſi licet, nõ uideo, cur non etiã liceat dicere decenã, quarãtenã. & quædã alia more idiotarũ? LIB. PO. Cõſtitue te in locũ meum. G V. Trãſfer te in locũ meum, aut confer, aut perge, dicimus: mane, ſede, pone te in loco meo, nõ dicimus, ita nec cõſtitue. LIB. POG. Cum de proximo inſtet coronatio Regis. G V. De proximo, coqui mei iſte ac ſtabularij ſermo eſt. Vbi bis peccatũ eſt, quòd neq; de proximo dicimus, & ſatis erat dicere, inſtabat dies coronationis, hoc eſt, aduẽtabat, & proxima erat dies, ut Cæſar cõmentario primo: Diẽ ex die ducere Hedui. Cæſar ubi ſe diutius duci intellexit, & diẽ inſtare, quo die frumẽtum militibus metiri oportebat. Et Lucanus: Inſtabatq; dies qui dat noua nomina faſtis. Et mox: Dũ tamẽ emeriti remanet pars ultima iuris. LIB. PO. Vtile igitur cõſiliũ eſſet, incipe quãtotius fieri poſſet, mihi crede. Libri ſacri, quos legi, & quotidie lego, refrixerũt priſtinum ſtudium humanitatis. G. Coquus meus Parmeno, & ſtabularius Dromo, ſic mecũ loquũtur, nec dedocere eos poſſum, quin auribus meis inculcẽt quãtotius: exiſtimãtes ſic ſe loqui perelegãter, at refrixit cũ accuſatiuo nũquã dixerũt. Adeſdũ Dionyſi adoleſcẽs: ignis caleſcit manus meas, dicitur ne latine? D I. Minime, mi magiſter. G. Cur ita? D I. Quia inchoatiua hunc caſum reſpuunt. G V. Voca quæſo Pogi filios tuos, qui

Partes. Quindena. Transfer. Conſtitue te in locum. De proximo. Inſtat dies. Quantotius. Refrixit actiue. Inchoatiua uerba.

Digitized by Google

etsi pueri, nisi hoc sciant, uerberãdi sunt? nõ posse dici, lectio refrigescit studiũ. Quod ergo in puero uerberibus dignũ est, id in te Pogi castigandũ nõ erit? LIB. POG. Quid fiet sub diuo.

Sub dio.

GV. Si Græca nosses, ut nosse uideris, sub dio diceres: id est: sub Ioue, non sub diuo. LIB. POG. Rerũ quas miseram Pisas per unam nauẽ, quæ, ut certum est, iamdudum appulit in portũ. GV.

Vnus homo.

Vna pro quædam, ut, inueni hodie unum hominẽ amicum, sæpe ex Parmenone meo audiui ac Dromone, & iamdudum pro iampridem, appulit in portum, pro appulsa est, nunquam audiui, homo potius uel uentus appellit, quàm nauis. LIB. POG. Nam signum esset aliqualem memoriam remansisse. GV. Plura ego à Parmenone barbara, quàm ille à me latina, didici: aliqualis, aliqualiter, quæ nollem didicisse, nequãdo ijs uterer, ut tu facis, quæ nunquid à tuo coquo didicisti? cum quo genere hominum maior tibi, quàm mihi est consuetudo. LIB. POG. Rogo ut me certifices. GV. Et hoc culinarium uocabulum est. LIB. POG. Ne deuenirent in manibus fratris. GV. Parmeno ades huc, dicitur'ne hoc grammatice: deuenerunt in manibus fratris? PA. Mi domine, quis hoc dixit? GV. Nempe hic Pogius. PA. Iste Pogius peius me loquitur, qui coquinariam factito, quæso mi domine, pro me coquum Pogium facito, nanq; ad hanc rem uidetur mihi sanè idoneus, ut uultus promittit, aut certe cellarium, nam nescio quid uinaticum præ se fert. GV. Abi hinc improbe Parmeno in culinam tuam. LIB. POG. Nescis reperire modum, quo tria frustecula panis exportentur? GV. Redi Parmeno, redi, redi: frustecula panis, inquit Pogius, tu quomodo diceres? PA. Ego semper frustula carnis dico, & frustula panis, hui subcoque Pogi, ueni in culinam meam, non frustulis panis & carnis, sed fustibus pro pane carnem tuam satiabo. GV. Taceiam Parmeno. LIB. POG. Scripsi ad te, me abiturum ad uos hoc mense Maij, aut amplius ad festum Maij.

Aliqua nauis.

Nauis appulsa.

Appellit homo.

Aliqualis.

Certifico.

Deuenire in manus.

Frustula panis.

Amplis ad festum Maij.

GV.

Digitized by Google

G V. Amplius, in istũ sensum ubi reperisti? Cicero, cuius te cultorem ais, ad summum solet dicere. LIB. POG. Discutiemus diligenter hoc fasciculum cogitationum mearum. G V. Hoc fasciculum, dixisti Pogi? P A. Mi patrone, ego, quem tu per cõtemptum appellas Parmenonem, non sic dixissem, semper fasciculos phaseolorum, fœniculi, herbarũ dico tibi me attulisse de foro, nõ fascicula, forte hic de paruis fascijs loquitur, quibus cogitationes suas inuoluit, uerum tunc diceret fasciculã. iam scio mi patrone, recte locutus est pol homo iste, fasciculũ hoc à fas deriuatur, cuius genitiuus est, ut iste uult, fascis. G V. Iam odiosus es Parmeno. LIB. POG. Ego uestræ huic cœnæ cõdimentum, quod est meæ artis, adijciã. Ideo te rogo, ut illos libros ad me quãprimũ mittas, si illos habes: sin autẽ, sumas mutuo à Nicolao. G V. Sin autẽ, pro si non, ubi apud Ciceronem legisti? P A. Quid illud mi domine: sume librum mutuo? ego nõnunquam oleum, salem, acetum, panem, uinum mutuor à uicinis: non sartaginem, ollã, cultrum, securim, pistillum, mortarium, sed commodato accipio. G V. Tu iã pro me factus es iudex Parmeno. P A. Assessor tuus ero, si lubet, aut certe testis meæ doctrinæ, quam me hercule non cõmutauerim cum Pogiana, fac quæso periculum, uter doctior. G V. Apagesis, uino cales. P A. At hic uinũ olet, dij te perdant Pogi, ut uehementer crapulam exhalasti, eructastiq;. G V. Non hinc abis? P A. Si me irritas, etiam Dromonem uocabo. G V. Pœnitet me hunc uocasse foras, nam coquum, cuius in manu tua uita est, caue lædas. LIB. POG. Quæ cũ omnibus grauia sint, tum mihi præsertim cõsueuerunt esse grauissima. G V. Quid ita Pogi aggessisti, tũ, & præsertim, & grauissima? mallẽ dixisses: quæ cũ omnibus, tum uerò mihi grauia esse consueuerunt, eoq; magis, quòd SINT subiunctiui modi est: &, consueuerunt, indicatiui. LIB. PO. Vestes illas attritas, quæ penes te sunt, cupio ut uendantur. P A. Licet'ne domine? G. Minime, tace, si sapis. P A. Ego

Ad summum. Fasciculus.

Sin autem.

Mutuor.

Commodato accipio.

Cum omnibus tum mihi præsertim.

Digitized by Google

sapio, sed hic sermo mihi non sapit, fatuus enim est, & insulsus. G V. Abi hinc, abi inquã. P A. Nõ abeo. Dromo, herus te uocat. D R. Quid uis here? G V. Hic tuus est herus, is iubeat qd uelit, qui mihi nihil obtemperat. P A. Sublimem intro hunc rape, quãtum potes, in stabulum tuum. D R. Quem? P A. Pogium hunc. D R. Quamobrem? P A. Vt in stabulo tibi seruiat, & mihi quãdoq; in culina. D R. Quid fecit? P A. Latinitatẽ Grãmaticamq; tanquam ollas frangit, quem nisi prohibeamus, actum est de lingua latina. Et postea Italici nos transalpinos barbaros uocant, cum nemo Italicorum, præter hunc nostrum herum, grammaticus sit. D R. Quid iste dixit? P A R. Cupio, ut illas uestes attritas uẽdantur. D R. Magis ipse attritũ caput habet, quàm illæ uestes fuerint, sed quid iubes here, huccine attritorem, cõfractoremq; latinarũ ollarum in stabulũ rapio, ut cũ caballo & asino uitam degat? G V. Huic tu asino credis caballe? apagete ambo.

Vestes attritas ut uendantur.

L I B. P O G. Tum quia uidi paulum commotum propter literas ad te meas, quia difficiliter tolluntur. G V. Paulo commotum dicimus, non paulum: & difficile, difficulterq;, non difficiliter. P A. Istæ sunt subtilitates Italicorum uanæ, in quibus nullum peccatum est, tunc uere peccatur, cum grammatica, tanquam bonum pulmentum secordia coqui, corrumpitur. G V. Tu ergo illa iudicato, hæc ego, quanquam iniussu meo, ac partibus repugnantibus, factus es iudex. P A. Nunquid hic alter recusat me iudicem? L A V. Ego uerò te nec iudicem, nec assessorem, nec testem, nec aduocatum recusauerim, ita mihi uideris coquorum omnium (quos uidi) doctissimus: sed uide, ne hic sint, quibus magis placeant manus tuæ, quàm lingua. P A. Quid tu putas bonum coquum esse posse sine lingua & palato? mihi crede, boni coqui magis lingua, palatumq; agit, quàm manus. Non uides, ut magister coquorum quem herus meus uocat archimagirum, non manibus utitur, sed lingua, atque palato?

Paulo cõmotus.

Difficile.

lato? quare si sapis, sine me, tanquam archimagirum, uti lingua in hunc subcoquum meum, qui barbaram linguam habet, utinam possem & manibus uti, scis ne, quando archimagirus utitur manibus? quando peccantes subcoquos uerberat. G V. Iam me enecas lingua tua Parmeno, reserua ista ad tua pulmenta, uereor, ne hic eam sic defatiges, ut postea nihil intelligat. P A. Mi here, cum lingua, ueluti pinsendo, defessa est, tunc calefacta præcipue sapores intelligit, uini præsertim. Si non credis, uel Pogium interrogato, qui singularis mihi uidetur iudex, ac censor uinariorum. G V. Iam desine. LIB. POG. Nec nunc quoque illum mitto, sed infra paucos dies certum quid scimus. G V. Hoc tu uitium non uides Parmeno? P A. Pro, ne nunc quidem, dictum est, nec nunc quoque: &, infra paucos dies, pro, intra paucos dies. LIB. POG. Melius est peccare in hanc partem, quàm omnino esse incredulus. G V. Quid nunc dicis Parmeno? P A. Nescio, quid uitij uidere uideor, dic tu. DR. Quid non uides bestia illud: incredulus? P A. Per Iouem, istud ipsum animaduertebam, sed subdubitabam, uere bestia, nam quid subdubitare oportuit, an dicendum esset incredulus, an incredulum? sic enim construitur: esse omnino incredulum hominem est peius, quàm eum peccare in hanc partem. Nam ita construendum esse, magister meus Rodolphus Chercheph nos docebat. LIB. POG. Aristoteles dixit democratiam omnibus peiorem. G V. Quid hic Parmeno & Dromo? Iam iudicũ numerus creuit, & testium. DR. Certe omniũ peßimam dixissem, non peiorẽ: sicut, hic homo est omnium peßimus, non omnibus peior, ne seipso peior esse dicatur & superlatiuum ad ea, quæ sunt eiusdem generis, cõparetur, comparatiuum uerò ad ea quæ diuersi. G V. Dignus es Dromo, qui tam recte loquaris, ut de stabulo in aliud honestius te transferã ministerium. DR. Sed quis caballum, aut asinũ tuũ curabit? G V. Quasi desint, qui illos cu

Ne nunc quidem.

Intra paucos dies.

Melius est & esse incredulus.

Omnium peßimus.

Digitized by Google

los curent. PA. En Pogium tibi dignum me hercule, qui asinum agitet. G. Mitte contumelias. LIB. POG. Summa cum animi iocunditate. G. Non sic loquimur, Pogi, cum uoluptate dicimus animi, non cum iocunditate: dicimus enim iocunditatem uocis, orationis, aspectus, quasi amœnitatem, hoc est, illud, unde nascitur uoluptas. LIB. POG. Non cupio diuitem fieri, hoc est, ualde opulentum. GV. Neq; hoc tacebit Parmeno. PA. Modo dicebat incredulus pro incredulum, nunc autem diuitem pro diues, an te putas factum superius emendasse posteriore? medius fidius nõ alio modo, quàm fecit nuper socius meus Gotschalcus, qui, quoniam à me reprehensus est (fuit enim adiutor meus in coquendis epulis nuptialibus) quòd in prandio carnes quasdam parum elixasset, uesperi, cum assaret gallinas, penè combussit, itemrum à me reprehensus, respondit, nimis & minus si cõmisceantur, efficere temperatum, ut, si nimis temperatum aqua uinum cũ meraciore commisceas, fit tale uinum, quali uti solemus. Quo responso perturbatus ego, fateor, non lingua sum usus, sed manibus, totq; pugnis hominem contudi, ut omne, quod sorbillauerat, uinum coëgerim euomere, quod idem, si liceret, in Pogium facerem, qui cum semicrudis semiusta permiscet, quæ conuiuis suis apponat: credens se uitium uitio emendare. LIB. POG. Peractis ex more solẽnijs pluuiali ueste indutus est, inde cum Pontifex tum imperator equos conscendentes, unà uersus pontem Adriani proficiscuntur. GV. Eodem modo locutus es, quo quidam, qui librum suum inscripsit: de insignijs & armis: cum dicere deberet: de insignibus, eadem ratione dicuntur insignia, & solennia, unde sicut insignibus, ita de solennibus dicendum est, uersus quoque pontem, negant Grammatici dici posse, sed pontem uersus, illud quoque conscendentes, ego maluissem dicere: equis conscensis. LIB. POG. Supra pontem autem cum trãsiret, descendens ex equo, quàm plures strenuos milites, uiros atq; adolescen-

Iocunditas. Voluptas.

Non cupio fieri diuitem.

Solẽnibus.

Versus pontẽ.

Digitized by Google

adoleſcentes, militaribus inſignijs donauit. G V. En tu quoque Pogi dixiſti inſignijs pro inſignibus, ſicut ſolẽnijs pro ſolẽnibus, etiam quãplures dixiſti pro cõplures, ubi enim legiſti quãplures? P A. Iſtud ego frequenter audiui. G V. Vbi legerit quæro, nõ ubi audierit, nec de recẽtibus ſcriptis loquor, ſed de uetuſtis. Etiam, ſupra pontem tranſire, magis auium eſt, quàm hominum, homines enim ſupra flumen tranſeũt, ſed per pontẽ. LIB. P O G. Et niſi eſſet mendoſitas exemplariorũ, non eſſem moleſtus Leonardo. Bellũ Lucanũ ſumma ſtultitia cœptũ, neſcio quẽ finẽ habebit. Tyrannus ille Lucanus, qui tam diu urbẽ illam oppreßit. G V. Exemplariorũ, ſimile eſt in inſignijs & ſolẽnijs, an putas hæc ſimilia illis, quæ Macrobius colligit: quale eſt ſaturnaliũ, & ſaturnaliorũ? Bellũ quoq; Lucanũ pro Lucẽſe poſuiſti, perinde ac ſi poneres Rheginum pro Rhegienſe. Alij enim ſunt Lucani à prouincia ſupra Neapolim poſita, alij Lucẽſes à Luca, quæ eſt ſupra Piſas. L I B. P O G. Propter inopiã exemplariorum, ut præſto poßim diſcedere. G V. En iterum exemplariorũ pro exemplariũ. Præſto quoq; pro cito poſuiſti, cum ſignificet præſens, ſemperq; poſitum reperiatur cum uerbo ſubſtantiuo, ut præſto ſum. L I B. P O G. Ego dixi ſibi, ipſe autẽ ſemper cogit me ire ad eũ. G V. Abite Parmeno & Dromo hinc pauliſper, ne contra me teſtimonium perhibeatis. P A. Quid ita here? G V. Quia contra uos dicã ſemper ita loquentes. P A. Doce nos obſecro. G V. Docebo, qui aliũ coquũ uerberas, aut minus aut nimis coquentem cibos, te multo magis eſſe uerberandũ, cum te dico, & Dromonẽ, & Pogiũ dico, qui cibos non coquendos coquitis, & coquendos non coquitis. P A. Iſtud ego nunquam feci. G V. An hoc non facitis, cũ pro ei dicatis ſibi, & pro ſe dicatis eĩ? dicendũ enim erat: ego dixi ei, ipſe autẽ cogit me ſemper ire ad ſe. P A. Here, miror cur non moriamur omnes. G. Quid ita? P A. Quia nemo, te excepto, eſt, qui non edat cucurbitas crudas, & pepo

Inſignibus. Quãplures.

Supra & per pontẽ tranſire.

Exẽplariorũ.

Lucani. Lucenſes.

Præſto.

Sibi pro ei. Eum pro ſe.

& pepones coctos. G V. Quid iſtud eſt? P A. Nõ intelligis illud ipſum, quod dicis, de cibis coquendis, ac non coquendis: Nam cũ dicimus, ſi tibi fides habenda eſt: ego dixi ſibi: pepones coquimus, cũ rurſus, cogit me ſemper ire ad eũ: crudas cucurbitas eamus. G V. Sile iam, atq; audi. LIB. POG. Nec miror accolas cir-

Circunuicini. cũuicinos. G. Demus, quod circũuicini reperiantur, qui ſunt alij

Accolæ. accolæ, quàm circũuicini? penè nanq; idẽ ſunt accolæ & finitimi,

Finitimi. incolas opinor dicere uolebas. D R. Iſtud mi here ignorabã: tribus ferè ſtadijs ex eo loco Rheni cadẽtis rumor exauditur. D R. At iſtud nõ ignoro mi here, in quo, ut nunc Pogius, ita pleriq;

Rumor, Rumigerulus. Italici errant, cũ apud nos nemo erret. Nos enim dicimus rumorem, unde rumigerulus, pro uulgi ſermone de re aliqua noua, uos quoq; pro ſtrepitu, & fragore, qualis eſt Rheni, qui nõ longe à patria mea de montibus cadit. ſed iſte porcus, quonam uocatur nomine? P A R. Pogius. D R. Iſte, inquam, ſiue Pogius, ſiue porcus non ruminat, cum rumorem in iſtum ſenſum accipiat. LIB. POG. Feneſtrellæ perplures demiſſæ. G V. An

Feneſtellæ. ignoras mi Pogi, ſcriptorem illum uocatum eſſe Feneſtellam à fe-

Complures. neſtra? Cur tu r interpoſuiſti? perplures quoq; non dici, ſed complures, iamiam admonui, etiam feneſtræ non demittuntur, ſed caniſtella, & funes per feneſtras, tu autem ſignificare uolebas (ut opinor) illas fuiſſe ſolo propinquas. LIB. POG. Compoſita

Deſuper aquã. menſa, deſuper aquam natãte. G V. Deſuper tu dixiſſes Dromo? D R. Quid? ni mentior, aduerbium eſt deſuper, non præpoſitio, ideo caſui nõ ſeruit. G V. Dionyſi, dic aliquod è Vergilio exemplũ huius dictionis deſuper. D I. Deſuper Alcides telis premit. LIB. POG. Deſuper aquã fluitante. G V. En iterum deſuper aquam. Dionyſi, dic tu aliud ſimile exemplum. D I. Tum ſyluis ſcena coruſcis Deſuper, horrẽtiq; atrum nemus imminet umbra. LIB. POG. Qui eam pilam capit, potior habetur, isq; iterum proijcit eam ad perſonam ſibi acceptiorem, cum illam multi petunt.

tent. G V. Personam pro corpore hominis, quale est, mittere pi- Persona pro corpore homi-
lam ad personã, ubi legisti? tu Dionysi, utrũ hæc dixisses, potior, nis.
& acceptior, an potißimus, & acceptißimus? D I. Nempe per Superlatiuus.
superlatiuum, quia de compluribus sermo est, ijsq; eiusdem gene-
ris. D R. Mi here, hic adolescens tuus senex est, ille uerò senex
adolescẽs, & puer, sed qui iam discipulus esse, id est, discere am-
plius nõ posßit. P A. Minus dediscere. Nam nihil admodum didi-
cit. D R. An didicerit, nescio: si didicit, profecto iam dedidicit.
G V. Sinite respondere adolescentem. LIB. P O G. Mihi crede
abiet in sudorem. G V. Est ne hic quippiã uitij? D I. Abiet pro Abiet in sudo-
abibit, E O enim futurum facit ibit, non iet. LIB. P O G. Vole rem.
bam Lucretium pro quindecim diebus. G V. Quomodo tu hoc
dixisses? D I. Ad quindecim dies. G V. Cur ita? D I. Quia sic di
ceretur pro quindecim diebus, ut, pro amicis meis, quippe ea re Pro quindecim diebus.
indigentibus: at dies non indigent libro. LIB. P O G. Nihil Ad quindecim dies.
enim unquam de te uoui, quãuis sæpius inuestigaui. G V. Quid Vestigo.
differunt Dionysi uestigo, & inuestigo? D I. Vestigo quasi per Inuestigo.
uestigia quæro, & inuestigo uestigando inuenio. LIB. P O G. Penes sanctum
Ipse habitat penes sanctum Petrum, ego propè Cincium. G V. Petrum.
Tu ne Dionysi ita dixisses? D I. Quid ita dixissem, penes pro
propè? cum præsertim abs te audierim, penes, esse aliquid in ar-
bitrio, & quasi in manu esse. LIB. P O G. Neque tantum dam
na æstimanda sunt, quantum dedecus, & ignominia. G V. Et hoc Tantum pro tanti.
ita dixisses Dionysi? D I. Minime, sed tanti & quanti, ut sem-
per audio loquentem. D R. Nunc taceo, cum audio à puero se-
nem doceri. P A. Caballe, & asine, negabas modo hunc posse
discere, nunc contrà doceri ais. D I. Docetur quidem Pogius,
sed non discit, an putas omnia, quæ magister docet, audientes
discere? P A. Me uincis. LIB. P O G. Itaque intelligo me Me non te uer-
non dormire, aut te uerbis pascere, & inani pollicitatione, ut cæ bis pascere, aut cæteri.
teri. P A. Hic ego pro Dionysio respondebo, hoc tale uitium
est, quale

Digitized by Google

est, quale superius, nominatiuus pro accusatiuo. Itaque hunc nominatiuum accusabo, ohe Pogi, ohe, cur sic barbare loqueris? barbam tibi propè uellam. G V. *Caue uellas uerbero.* LIB. POG. Fons irriguus. *Habet ortum egregium, in quo est fons irriguus.* G V. *Ha Pogi, fontem irriguum dicis: quid appellares hortum? tu Dionysi, quid* Hortus irriguus. *diceres? Ego hortum dicerem irriguum, quòd irrigaretur à fonte, uerum apud Vergilium legimus: irriguum fontem, in quarto* Locus Vergilij. *Georgicorum: Irriguumq; bibant uiolaria fontē.* G V. *Hoc est, quod parum cautos fallit, quòd putant idem sibi licere, quod poètis. Dicit enim idem Vergilius: Sedere carinæ Omnes innocuæ, hoc est, quòd fractæ non sunt. Itaq; sicut hic posuit actiuum pro* Innocuus. *passiuo (nam innocuus est, qui non nocet: quod nūc positum est, quòd nauibus à terra nocitum non est) ita hic passiuum pro actiuo.* Irriguum. *Est enim irriguum, quod irrigatur, non quod irrigat.* LIB. POG. *Sed quia in culpanda auaritia sacerdotū ij potissime apti uidentur, quos illi dignificant. Certifices me item, si qui libri Petrarchæ sunt uenales inter istos Colutij.* G V. *Tu'ne diceres dignificant Dionysi?* Dignifico. Potissime. Certifico. Præsto. D I. *Ego ne potissime quidem dicerē, sed potissimū: & dignos faciunt, siue pro dignis habent, & certiorem me facias.* LIB. POG. *Sed hic præsto scribit, & ego ad uos præsto ueniam.* G. *Quid hoc? sic tu diceres Dionysi?* D I. *Imò, sed is celeriter scribit, & ego ad uos propere ueniā.* Celeriter scribere. Propere. LIB. POG. *Nā, quo ad animum, ita excesit è uita, ut qui sponte abeunt, non qui eijciuntur.* G V. *Istud, quo ad animum, tu quomodo?* D I. Quoad pro quantum. *Quantum ad animum pertinet, nam quoad, pro quantum, non audiui.* Meme ualere. LIB. POG. *Credo meme propediem ualere, & rem confecturus, ut spero.* G V. *Hiccine animaduertis aliquid Dionysi?* D I. *Quòd frustra geminatur me.* G V. *Nunqd aliud?* D I. *Quòd superuacuū duorū uerborum alterū est: credo, & spero.* G. *Nunquid etiā aliud?* D I. *Quòd ualiturū est dicendum, ut confecturū.* G. *Recte sentis.* LIB. POG. *Aestimo libros Antonij, nisi*

misi quid ille secus statuit, uenum iri debere. G. Quid hic animaduertis Dionysi? DI. Nempe, quod uenũ iri non dicitur. Venum ire
G. Cur ita? DI. Quia nec uapulatum iri dicimus, sed ire. G. Quamobrem? DI. Quia in cæteris, quæ ambigua sunt, quòd actiue, & passiue accipi possunt, ad distinguendũ sensum accõmodamus infinitiuum, hoc, uel actiuum uel passiuum, ut, uideo Supina
te amatum, lectum, doctum, auditum, ire uel iri. Talia enim supina ambiguæ siue ancipitis significationis sunt. At uenum, uapulatum, & si qua sunt talia, nõ sunt ancipitis, sed semper passiuæ significationis. Ideo non potest addi utrunq;, sed alterius infinitum, hoc est, ire, non iri, ne duo passiua copulentur. G. Nunquid aliud animaduertis? DI. Superuacaneum etiam illud: debere: sic enim isti loqui solent Dromo & Parmeno, dominus Debeo
iubet, quòd debeam ire ad forum. LIB. POG. Saculũ accepi, in quo membranæ erant unà cum finiculo, quem iam maiori ex parte amicis dedi. PA. Tu nos reprehendis Dionysi, qui magistri, aut certe reprehensores huius uiri sumus, mi here hoc contrarium illi uitium est, quod Pogius superius admisit. Nam ut ibi dixit, hoc fascículum, pro hic fascículus: ita hic econtrario, hic finículus, pro hoc finículum, hoc profecto est uitiũ uerberibus, plagisq; dignum, non illud, quod in nobis iste reprehendit. G. Nunquid hic aliud uides? PA. Ego non aliud.
G. Quid tu Dionysi? DI. Opinor dicendum fœniculum, pro Fœniculum
finículum. G. Recte sentis. LIB. POG. Nicola noster, cũ est longus natura, tum rebus suis uacandum fuit. G. Quid hic uos uitij uidetis? DI. Dic tu Parmeno, qui uendicas tibi facultatem Pogium reprehendendi. PA. Dic tu Dromo. DR. Audiamus Cum & tum
Dionysium, forte, quod dicet, nihil erit. DI. Vbi sunt hæc, cum & tum, ibi est semper idem suppositum, nunc non potest illud Nicola suppositum esse illius uacandum fuit, cum dicẽdum sit, Nicolæ uacandum fuit. DR. Istud quod ais Dionysi, nec ego

r curo

Digitized by Google

curo, nec aliquid est, nisi secus herus sentit. G. Ego cum Dionysio sentio, & ea ipsum interrogaui, uerũ in hoc malo te interrogare Dromo, quod sequitur. LIB. POG. Sis contentus libruncula castratelli. G. Qualis hic sermo esse tibi uidetur? DR. De castratello loqueris? G. Et de isto, & de alio. DR. Mallem te interrogare Parmenonem, qui carnem castratenam & emere solet, & coquere, (sic enim sueterum uos appellatis Italici) an hoc est, quod me interrogas, quod castratellũ dixit Pogius, pro ueruece? Vere est hic ueruex, qui pro uerucculo dixit castratellum. G. Nunquid est aliud? DR. Libruncula non placet mihi, & nescio quare, nam potius ego dicerem castruncula, quàm libruncula, sicut enim nõ dicimus librunculus, ita nec libruncula dici debet. G. Quomodo ergo pro librunculo dicis librum paruulum? DI. Certe libellum. G. Sic nunc de parua libra dicas, quam male librunculam dici sentis? DR. Ah ah intelligo libella dicendum, sicut de labrum labellũ. Dij tibi Pogi de istis tuis ueruecinis, siue castratinis libellis, ac libris, non unam libellam, sed duas libras carnis auferãt, ut linguam ostendas, quæ tam barbare loquitur. LIB. POG. Te autem non potui conuiuari, quia domus erat incœpta. G. Quid hic est Dionysi uitij? DR. Quia conuiuari deponens est, non inuitare alium in conuiuium, sed in conuiuio esse. LIB. POG. Emas mihi lecticam uel nouam uel ueterem, nam in domo sum quasi forensis. G. Quid hic est uitij? DR. Lectica, qui est paruulus lectus, pro fulcris accipit, quæ sunt tabulæ compactæ, super quas lectus ponitur. Item, forensem pro extraneo, & peregrino, sed ita semper Parmeno loquitur & Dromo. Ideo uitium hoc non uiderunt. LIB. POG. Verum ij motus paran tur, ut unumquenq; tædeat conditio fortunæ suæ. G. At hoc uitium fortasse isti uidebunt. PA. Ego uideo, peccauit, quia. DR. Et ego uideo, mitte me potius Parmeno dicere. PA. Imò

Castratellum. Sueterum.

Veruculus Libruncula pro libella

Libellus

Conuiuari.

Lectica. Fulcra. Forensis. Extraneus.

Tædet eum cõ ditio fortunæ suæ.

me

me tu potius, qui prior cœpi. DR. Non debuisti incipere, expectare alterum fuerat modestius. PA. Cur ergo tu me non expectas? DR. Quia tu nõ prior me expectaras. G. Quid tẽpus teritis? quod alter dixerit, id utrunq; dixisse existimabo, tu Dromo concede coquo, pernicioſa res est coquum habere inimicum, saluberrimum uerò, atq; dulcissimum, habere amicum. DR. Recte admones here: Dic mi Parmeno. PA. Quis nisi ueruex, atq; castratus diceret isto modo? quid uult mi Dromo ante se uerbum, tædet? DR. Accusatiuum. PA. Nunc quid habet? DR. Nominatiuum. PA. Quid post se? D. Genitiuum. PA. Nunc quid habet? DR. Accusatiuum. PA. Ergo ambo hominem accusemus. DR. Imò uerberemus. Hem dormit. PA. Pol dormit, & (ut opinor) usq; dormiuit. G. Excitate hominem. PA. Euigila Pogi. DR. Dormit apertis oculis, surge Pogi, surge. PO. Quid me percutitis? quid me excitatis? DR. Quia apertis oculis dormis, ut lepus. PO. Semper sic dormio. DR. Ita ne cum dormis, oculos habes apertos: cum quis tecum loquitur, aures habes clausas? POG. Quis mecum loquitur? DR. Guarinus. PO. Vbi is est? DR. En tibi Pogi. G. Imò tu hinc abieras Pogi. POG. Aedepol nihil, si quid dixisti, audiui. G. At Vnum audi, quod restat. LIB. POG. Si uolumen decadarum tibi placeret. G. Vbi reperisti decadarum? POG. An non decadarum dicitur sicut cicadarum? G. Non decada, sicut cicada, sed decas. PO. Istud tuum Græcum est, hoc meum Latinum, sed fac istos abire, si uis, ut de cæteris respondeam. G. Iam nihil est, quod amplius notarit Laurentius. PO. Notet, si uolet, sumat alios quoscunq; è meis libros. G. Placet. LAV. Fiat. Decadarum.

LAVRENTII VALLAE
IN EVNDEM POGIVM
Libellus Secundus.

LAVRENTIVS.

CONCEDAMVS *in hanc sane amœnam porticum nobilis adolescentis & inter primos docti ac facundi Marcelli capitis ferrei, ut posimus animos molestia disceptandi affectos, loci amœnitate relaxare.* G. *Illuis ne honesta ac liberali facie adolescentis, qui nos modo, cum equo veheretur, salutauit ex hac domo egressus?* LAV. *Illius uerò.* G. *Eò magis in eius porticum cõcedamus, si modo idem Pogio placet.* PO. *Præstolamini isthic mihi, dum ad meam sanè propinquam domũ recurro, ut id afferam, de quo iudicandum est.* G. *Nempe opinor libros.* PO. *Nam quid aliud?* G. *Sed quin potius mittis famulũ?* PO. *Famulum inquis? Tu uerò, si sapis, nunquam famulo aut libros, aut pecuniã, aut uinũ credideris, si hæc pretiosa sint, cætera, si bonus ille est, credere potes.* LA. *Quid uestes?* PO. *Quasi nõ appellatione pecuniæ cõtineãtur & uestes.* LA. *Quasi nõ & libri, et uina eadẽ appellatione cõtineãtur?* GONDISLAVVS. *Here, qd ergo libros & uinũ famulo nõ credes, uxorẽ credes?* P. *Quasi uerò uxorẽ posit eripere, ut libros, uinũ, pecuniam.* GO. *Atqui tractatio uxoris magis, quàm librorum, pecuniæ, uini, periculosa est, etiam magis, quàm uitri.* G. *Abi hinc sceleste cum istac loquendi licentia.* PO. *Noli castigare famulum meũ Guarine: habent hanc famuli mei apud me non modo loquendi, sed etiam faciendi licentiam, præterquam in libris, ut dixi, uinoq;, ac pecunia.* LAV. *Quid tempus terimus, cur non is? iam reditum oportuit.* PO. *Ne festines, nam te magnopere festinasse pœnitebit.* LAV. *Omnes*

afferto

Digitized by Google

afferto libros tuos. POG. *Eorum tibi uel unus satis superq; fuerit, nec te putes omnes posse reprehendere.* LAV. *Quot possim, experire.* PO. *Scio quid agam.* LAV. *Etiam restitas? uereor ne cito nõ redeas.* PO. *Ego citius, quàm uoles, redibo.* LAV. *Si expectas, dum uolem, nunquam redibis.* PO. *Faciam, ut cum rediero, euolare istinc cupias.* LAV. *Cum gladijs uenies, an cum libris?* PO. *Libri mei dum iraſcuntur, gladij sunt.* LAV. *Etiam'ne tui libri, ut, tu, iraſci solent?* PO. *A' quibus irreuerenter tractantur, eos ueluti gladij punctim cæsimq; feriunt.* LAV. *Sed quid ego tibi in mora sum?* POG. *Propere adero Guarine.* G. *Facito commodo tuo.* LAV. *Obambulemus'ne Guarine an cõsideamus?* G. *Vt tibi lubet, nam ego dubito, quippe qui mallem obambulare, quàm sedere: sed timeo, ne apud Stoicos Peripateticũ agam.* LAV. *Quid ita?* G. *Quia Stoici à porticu, quæ Græce, ut scis, dicitur στόα, & Peripatetici ex ambulando sunt dicti, quo fit, ut absurdum duntaxat Stoicis uideatur esse, in porticu deambulare.* LAV. *Si isthuc, ne Stoicis displiceat, times, quid ni timeas quoq;, ne Peripateticos offendas, si uideant te in porticu quasi quondam Stoicorum theatro cõsidere?* G. *Recte admones, ideoq; ne alterutros offendamus, obambulemus, sed intra porticum.* LAV. *Si uolumus Epicureis quoq; morem gerere, eccos amœnos etiam hortos, qualibus Epicurei delectabantur: genus hominũ, etsi uulgo male audit, frugi admodum & temperatũ. Sed en tibi Pogius festinabundus regreditur.* G. *Strenuus fuisti Pogi & opinione nostra celerior.* POG. *Verebar ne quid tibi iste me absente persuaderet.* LAV. *De hoc tu uiro optimo non optime sentis.* PO. *Heus tu, suspiciosa res est controuersia, nec prudentis, sinere aduersariũ & iudicem colloqui solos.* LAV. *Quia noluisti credere fámulo libros, necesse habuisti credere aduersario iudicem.* POG. *Et idcirco propere redi.* G. *Non fuit*

Stoici Peripatetici

Digitized by Google

causa Pogi, cur redire properares: nec postulo, nisi inter fidem mihi habentes, ferre sententiam. Sed ubi sunt codices? PO. Profer Gondislaue librũ. GO. En tibi liber uxore charior. PO. Neq; isthuc tibi dolet. GO. Imò placet, & perplacet. LAV. Quid tu unũ attulisti librũ? PO. Satis tibi superq; futurum, ut prædixi. LAV. Cur ita satis superq; mihi erit? PO. Quia is est, quem nouissime composui. Annota in eo, si quid potes, quem ausim dicere ipsam mihi Mineruam dictauisse. LAV. Tu paulo ante, quem mallem de tuis libris sumere, offerebas electionem, nunc ipse pro me eligis. PO. An tu malles, ut contra te, quàm pro te eligerem? LAV. Secus mea uerba interpretaris, atq; à me dicuntur, pro me, hoc est loco meo dico, me nolle, ut tu eligas. Nam istud eligere pro me, planè est eligere contra me. PO. An nõ semper eligenda sunt optima? hoc autẽ ex operibus meis optimũ est. LAV. Non cupio aduersarium partes meas præsumere. PO. Melius ego mea, quàm tu nosti. Mihi crede nullũ possem è meis libris meliorẽ eligere, Neq; te debeo permittere eligere pessimum. Vide quàm tecũ agã amice. Si de gallinis, anatibus, anseribus, columbis, turturibus meis, uelles eligere pessimã, id te nõ sinerẽ facere, sed pro te eligerẽ optimã. LAV. Dij te diuitem faciant gallinarum, anatum, anserum, columbarum, turturũ copia, qui tam munificus etiã in aduersarios es. Verum timeo Danaos & dona ferẽtes. Itaq; sine quæso me meo arbitratu gallinam, siue anatem, anserem, columbam, turturem eligere. POG. Nunquid tu aliam quàm optimam uis? LAV. Non aliam, sed quam tu sentis esse optimam. PO. Nẽpè pinguissimam. LAV. Atqui talis non est liber tuus. PO. Quid ita? LAV. Quia non pingui Minerua & crassa compositus est, sed ab ipsa Minerua dictatur, qualem librum quis audeat reprehendere? POG. Fateor in eo nihil pinguis esse & craßæ Mineruæ, & ideo esse optimum. LAV. Cur igitur eum pinguissime

Pro me eligis.

guissimæ gallinæ, anati, anseri, columbæ, turturi, comparabas? qui si foret pingui Minerua compositus, permitterem tibi pro me electionem. Haberē enim, quod notare in eo possem. Nunc cum elegisti, qui tibi optimus, mihi pessimus est ad nostram cōtentionem. PO. Si tibi ipsi confidis, hunc sumito, cuius uel parua reprehensio pluris faciēda est, quàm alterius magna. G. Gere morem Pogio Laurenti, non absurda admodum loquitur. LAV. Age fiat. Dij gallinarij et anatarij, & anserarij, columbarijq; & turturarij uortāt bene. Timeo enim, ne nihil esculē tum in ista Pogiana gallina uel anate inueniam. G. Quid times Laurenti? Nunquid si nihil reprehensione dignum compereris, uictus discedis? Neq; enim aliter superaberis, quàm siquid falsō obieceris. Quod item in te Pogi fit, si quid quærere in libris Laurentij uoles, uinci nō potes, si quid forte non inueneris, sed si falsō dixeris te inuenisse, quod reprehendendum non esset. POG. Probe inquis Guarine. Sed non uelim Laurentium sectari atq; insectari uerba, sed res atq; sententias. LAV. Etiam'ne hoc postulas Pogi, idq; eo in opere, quod ais à Minerua dictatum? PO. Mineruæ non de uerbis cura est, sed de sententijs. LAV. Ita'ne parum momenti in uerbis est? in quibus si non insunt sententiæ, tamen insunt sensus, quos negligendos esse ne Minerua quidem dixerit, nec Apollo, nec Iuppiter. Verum prius facito certiorem me, quis iste sit liber. PO. Ille celeberrimus, tertio ab hinc anno compositus, de tribus cōuiualibus quæstionibus. En accipe. LAV. Ideo Guarine tantopere confidit huic operi Pogius, in cuius proœmio, si memini, sibi promittit immortalitatem, legamus. LIB. POG. Nōnulla hactenus conscripsi, quæ iam inter multos diffusa longiorem mihi paulo post obitum uitam allatura uideantur. LAV. Et quantulum est in isto opere sententiarū, quod ausim, ut abs te dictū, reprehendere? Cum in persona tua loqueris, ferè totus in recitandis

Digitized by Google

autorum teſtimonijs es occupatus, ut uix quippiam tuum poſ-
ſim notare. Cum in aliorum, ſi quid notaro, excuſabis conſue-
tudinem Dialogorum, in quibus non poſſum dici uere omnia
ab ijs, qui utrinq; diſputant: quale eſt, quod Nicolaum facis ul-
timo loco reſpondentem, cui quia nemo contradixit, ſignificas
eam tuam ipſius eſſe ſententiam. Hanc quoq; legamus. LIB.
POG. Omnia præclara & memoratu digna ab iniuria atque
iniuſtitia contemptis ſunt legibus profecta. Vt uero deſcenda-
mus ad noſtra, quid hac ætate, non ne Lombardiæ duces, Ve-
neti, Florentini, multiq; præterea aliena appetendo rapiẽdoq;
creuere? quibus nulla lex imperat, neq; eius reguntur imperio.
Credo cum Florentinus populus aut Veneti alicui bellum infe-
runt, aduocant Iuriſperitos, ex eorum conſilio indicunt bella:
an potius utilitate & augmento ſuæ reipublicæ ducuntur? Ab-
ige hinc ergo leges & iura tua, quæ ſunt imperijs propagan-
dis, quærendis regnis, & rerum publicarum amplitudini im-
pedimento. LAV. Et alia in hanc ſententiam permulta, quo-
rum uerborum ſcriptor fuſtuarium meretur, atq; in furcam
ſuſpendi, & illic non modo ab ijs, qui nominati ſunt, ducibus
Venetis, Florentinis, ſed ab omni humano genere lapidari.
Hoc non Phalaris, non Dionyſius, non Verres, non alius quiſ-
piam aut tyrannus aut latro dixit, auſus ius diuinum huma-
numq; damnare, cum omnes in quocunq; literarum genere li-
bri de iure gentium, de iure bellorum, ſocietatum, ciuiũ, hoſpi-
tumq; uno ore conſentiant. In hanc tam perditam nõ hominis,
ſed leonis, aut lupi ſententiam, non unius uiri oratione, ſed to-
tius humani generis acclamatione eſſet obuiam eũdum. Quam
tamen hic ab alio, nõ à ſe dictam excuſabit: quaſi ipſe nõ illam
pro ſua ſcripſerit. Talia plurima equidem notare poſſem, niſi
hic ſub umbra ſe alienæ perſonæ occultaret. POG. Bona uer-
ba quæſo, iſta (ut inquis Laurenti) alius dixit, non ego, neq; te

Perdita uox Pogij de legibus.

bonita

bonitatem sententiarum excutere iubeo, sed an aliquid, quod ad bene cõponendum pertineat, peccauerim. LAV. Cur nõ me iubes cœlum pugno ferire? uis me hunc potißimum librũ sumere ad notandum, quem accuratißime cõdidißi? uis me de uerbis nostris nullum uerbum facere, sed de sententijs? uis postremo ipsarum sententiarum non bonitatem excutere, sed nescio quã bene componendi rationem? G. Quid Laurenti stomacharis? quasi nullus tibi sit alius liber ad excutiendum, & nõ ab isto, quem accepisti inuitus, quamprimum queas discedere. LAV. Bene admones, cedo alios libros Pogi, hunc mißum faciamus. PO. Non, nisi te à me uictum esse fateare. LAV. Istæ iudicis sunt partes, alterum uictorem, alterum uictum pronuntiare. PO. Si tu causa cedas, imò cadas, iam non est amplius opus iudicis partibus. LAV. Ita'ne loqueris? Faciam profecto, ut te uictum, non tu quidem confiteare, non enim est hoc abs te postulandum, sed ut iudex pronuntiet. Animaduerte hic quæso Guarine, cuius partes hic me præripere iubet. Agedum Pogi, non ex arte oratoria iubemur magis ueriſimilia dicere, quàm uera, seruareq; ubiq; in personis ac rebus decorem? Hoc quàm abs te præstetur, inspiciamus, legamus librũ. LIB. POG. Cũ me ad terram Nouam natalem patriam cum familia cõtulissem, uenit eò postmodum rogatus à me, qui Florentiam ob negotia publica adibat, paulum de uia concedens Carolus Aretinus, uir omni laude ac doctrina præstantißimus. Is enim plures q; alij, in quibus erant uiri doctißimi Benedictus Aretinus Iureconsultus, ac Nicolaus Fulginas insignis philosophia atq; arte medicus, Aretinum petierant pestis uitandæ gratia. Contigit autem ut eodem die & Nicolaus ex Aretio ad curandũ ægrum quẽdam accersitus, & Benedictus in patriam iturus simul me conuenirent. Magna me animi uoluptas cœpit, cum uiderem tres ornatißimos uiros mihiq; singulari beneuolentia coniunctos

forte in idem loci diuertisse. Qui omnes cum hortatu meo in hortulo mecum cœnassent, post uarios in ea sermones habitos remota mensa, cum tempus abeundi uideretur, Age, ut moris est, Carole, Benedictus inquit, huic hospiti nostro gratias, quia ita hilare atq; humaniter nos excepit. Scis enim cõsueuisse homines agere post cibum gratias ijs, qui ad cœnã uocarint. Si cui uerò agendæ sunt, hic est profecto, cuius opera nõ solum epulis, sed etiam uario suauiq; sermone cœna iocunda fuit.

LAV. Quomodo istuc Pogi aut uerisimiliter narras, aut cum decore? Et ut prius de eo, quod prius proposui, dicam, qui fieri potest ut post cœnam, quæ uarijs sermonibus traducta est, tantum temporis fuerit, ut de tribus quæstionibus disputaretur, quas tu in librum retulisti ad quatuor amplius milia uersuum? quantum uerborum nescio an in ullo Dialogorum Ciceronis libro contineatur: factum intra medium diem, cum præsertim in calce libri scribas.

LIB. POG. Sed iam satis colloquuti sumus, aliquid dandum est temporis deambulationi. Hæc cum dixisset, surreximus, portamq; oppidi egressi ad fluuium diuertimus aëris animiq; gratia.

LAV. O solem Pogi illo die stabilem, nec se mouentem, credo subauscultabat sententiarum suauitatem, aut conuiuio intererat, ut non nisi iussu uestro discederet ad occasum, quemadmodum fecit olim iussus à Iosue præliante. At quanto minora colloquia apud Vergilium Sibylla inquit? Nox ruit Aenea, nos fando ducimus horas. Apud te Pogi nulla fuit interuenientis noctis cogitatio. Putabas te fortassis esse, ubi aliquando fuisti, in extrema Germania aut Hybernia, ubi noctes breuissimæ sunt æstate, & speciem diei habentes.

POG. Imò uerò cœnam pro prandio posui, ut multi fecerunt.

LAV. Qui sunt isti multi? profecto si qui sunt, non nisi poëtæ fuerunt. Quanquam non uides te tecum non constare? Si tempus erat anni frigidũ, non ad fluuium extra portam aëris gratia

tia isſetis. Sin calidum, ut magis credibile eſt (quia in hortulo comedistis) poſt prandium, hoc eſt, in meridie non ſuaſiſſet ille medicus, ut ſecum uos ad ſolem & æſtiuum & meridianũ è conuiuio & longis altercationibus deambulatum extra oppidum prodiretis. G. Caue iſtuc dicas Pogi: non modo quia nunquam pro prandio dixiſti cœnam, uerumetiam, quæ tua liberalitas eſt, nequaquam feciſſes, ut tales uiros, & tam tibi familiares in tua patria ad prandium modo, & nõ etiam ad cœnam inuitares. Ego nunquam amicum meum quempiam prandio accipio, niſi eodem die mecum etiam cœnaturum. LAV. Atqui ego Guarine opinor neq; prandium illud, neq; cœnam fuiſſe, ſed à Pogio fictum, ideoq; in fingendo hallucinatum, ut alijs in multis ſolet: immemor illius præcepti, quod Quintilianus tradit: Prima ſit curarũ, ut id, quod fingemus, fieri poſſit: deinde, ut & perſonæ, & loco, & tempori congruat. Et mox iterum: Curandum præcipue, quod fingentibus frequenter accidit, ne qua inter ſe pugnent. PO. Ita diſputas non fuiſſe conuiuium illud uerum: quaſi nõ ſoleam amicos & ad prandium & ad cœnam inuitare. LAV. Soles tu quidẽ iſtud facere, ſed non poſt prandiũ æſtiuum cõuiuas ad ſolem meridianũ educere, aut poſt Hybernũ ad flumen & aërem. PO. At illa, fateor, cœna, nõ prandiũ, fuit. LAV. Si fuit uera cœna, profecto nõ fuit ſecundum eã tamdiu diſputatũ, & ſi tamdiu diſputatum, quod tamen incredibile eſt, nõ ab oppido exiũ, & ad flumen itũ, niſi forte, ut per noctem piſcaremini. Hæc ſunt quæ probant, tuam narrationem nõ eſſe ueriſimilem. Illa autem, non ſeruatum eſſe in rebus ac perſonis decorem, quòd ſecũdum cœnam uarijs, ut dixi, ſermonibus traductam, cum iam remota menſa conuiuæ ſibi abeundum putarent, atq; abitum pararent, introducis eos diſputãtes, & quaſi in cauſis iudicialibus, utrinq; orãtes, & in ſecunda cauſa ita rixantes cõuitiantesq;, ut uterq; mihi Pogius

Pogium non fecuare in rebus ac perſonis decorem.

eſſe

esse uideatur, quod eosdē adeò otiosos facis, uel ad loquendū, uel ad spaciandum: quasi nō unus ad curam ægrotorum accersitus esset, alter in patriam properaret, tertius ob publica negotia sibi iniuncta iter faceret, quod præterea post duas sanè prolixas disputationes te conuiuatorem, postquā conuiuæ tibi gratias egerant, facis apud eos iam abire uolentes esse loquaciß imum, quæ tua fabulatio ad mille amplius uersus in tuo libro extēditur. Neq; te excusat quod scribis. LIB. POG. Et certe is mihi animus semper fuit, ut aliquid contra suam sententiā scriberē, sed uariæ occupationes fuerunt hactenus impedimēto. Nūc quoniā & otium est nobis, & Benedictus postulat, Carolus uerò in me hanc prouinciā reijcit, parebo uoluntati uestræ: afferens primum ea, quibus arbitror causam meā facile omnibus probaturum, deinde ad Leonardi epistolam respondebo. LAV. An te Benedictus & Carolus ad hoc sint adhortati, ueritas uiderit, certe tu cōiuiator post tot sermones, & eā horā, & apud proficiscī uolentes breuissimus, non uerbosissimus esse debuisti, quod postremo, & id nescio an sit omniū maxime indecorum, quos feceras in principio libri uoluisse abire abs te, eosdem in calce libri facis non abijsse, sed tecū portam egressos ad fluuium diuertisse deambulatum: oblitos domum reuerti, opinor, ut postquam ad flumen deambulassetis, iterū disputaretis, quoniam satis diei ad confabulandum supererat. Vtrū horum quæso Guarine maius sentis esse peccatum, quòd fidē Pogius, an quòd decorem non est sectatus? G. Diuersa sunt ista peccata, ideoq; nō facile dixerim, utrum utri præstet. LAV. At id, quod subijciam, longe grauius utroq; iudicabis. PO. Aliquid friuolum, ut hactenus fecisti, obijcies. LAV. Guarini stabo sententia, imò etiam tua ipsius. POG. Stabis mea sentētia. LAV. Stabo equidem, sed cordis dico, quæ uera est sententia, nō oris. PO. Et quomodo scies, an quod sentio, pronūtiem? LAV. Si

pro

pro me pronũtiaueris. PO. *Iam nolo ſtes mea ſentẽtia.* LAV. *Tua iam culpa ſit, ſi tuo iudicio nõ ſtabo.* PO. *Omitte loqui friuola, & ad rem redi.* LAV. *Nońne in tuo libro, etſi abs te poſtmodum ſcripto, te ipſum inducis loquentem, ut uerba quæ modo recitaui, teſtantur?* PO. *Induco me loquentem, aut potius locutus ſum uere, quæ ſcripſi.* LAV. *Loqueris tu in uno libro, ut unus quilibet aliorũ collocutorum?* PO. *Loquor, quid iſtuc?* LAV. *Quia poſtea facis te ſcribentem.* PO. *An non ea, ut modo dicebam, ſcripſi uerba, cum retuli in libellum?* LAV. *Non iſtud ego dico, ſed inter conuiuas ſcribentẽ.* PO. *Ego inter cõuiuas ſcripſi inquis? deliras, ut uideo: quippe qui nunc fatebare, librum à me poſtea ſcriptũ.* LAV. *Iſtud ipſum miror, quòd cum librum poſtea ſcripſeris, hoc eſt, inter conuiuas locutus ſis, nõ ſcripſeris, tamẽ te inter eos ſcribere magis, quàm loqui ſignifices.* PO. *Neſcio quid dicas, niſi deliramẽta.* LAV. *Scies, ſi auſcultabis, nońne in his uerbis, quæ paulo ante recitaui, dicis inter cõuiuas?* LIB. POG. *Is mihi animus ſem per fuit, ut aliquid cõtra ſuã ſententiã ſcriberẽ.* LA. *Et mox.* LIB. POG. *Nunc quoniã & otiũ eſt nobis.* LAV. *Nempè otium reſcribẽdi.* PO. *Nońne dicebã probe, te nihil dicere, ſed delirare? Dixi tunc eſſe otium, nõ mihi ſoli, ſed omnibus, ergo otium illud erat loquẽdi, nõ ſcribendi, ut tu prauiſſime interpretaris.* LAV. *Qua ratione tu iſtuc dicis? Nońne illud, quod ſequitur, te de te ipſo ſentire cõuincit?* LIB. POG. *Sed uariæ occupationes fuere hactenus impedimẽto.* LAV. *Cuius iſtæ fuere occupationes? certæ tuæ, & cui fuere impedimento? certe tibi, & cuius rei impedimẽto? certe ſcribẽdi, nõ loquẽdi: ergo iſtud otiũ eſt interpretandum, nõ loquendi, ſed ſcribendi.* PO. *Nũc magis deliras, qui cõtendas: melius te intelligere ſenſa orationis meæ, quàm ipſe, qui loquor, intelligã.* LAV. *Accipe in quo tergiuerſaris, è quo elabi nõ poteris. Scribis nõ multo ante*

Digitized by Google

to ante finem tuæ disputationis per orationem hoc idem apertius, legamus tuum librum. LIB. POG. Quanquam cui hæc quæ à me relata sunt, non sufficiant, nescio quid satis esse aliud queat, ita multis testibus probatũ est priscos Romanos omnes latine fuisse locutos, & latinum sermonem maternũ fuisse, quibus licet Leonardi epistolæ satis responsum sit, tamen paucis ad quasdam eius sententias rescribã, quæ, pace sua dixerim, nimium à uero aberrare uidentur. LAV. Deinde cõfutare niteris Leonardi rationes certe loquendo, nõ scribendo. Cur ergo te scripturum atq; ei rescripturum dixisti, etsi nõ ad te ille, sed ad Flauium Forliuiensem scripserat? PO. Respõdebo, me credidi scribere, sed lapsa est manus, ut solet. LAV. Quid in illo, quod est apertius, uitio, num manũ excusabis? In fine enim disputationis audi, quæ scripsisti. LIB. POG. Multis insuper uerbis suam sententiã nititur tueri, quæ facillime dilui possent. Sed nos superius adeò multis autoribus exẽplisq; hanc causam tutati sumus, ut nullum quantumuis proteruum, qui ea legerit, non extimem tantorum uirorũ autoritati sententiæq; cessurũ. Quæ cum à me dicta essent, Ego, inquit Carolus, tecum sensi semper: & qui secus opinãtur, nõ recte, meo iudicio, existimãt. LAV. Cum loqueris Pogi, ais: qui ista legent, ergo scribere te significas, non loqui. Esto uerum fuerit illud conuiuium Pogi, sint inter uos habitæ illæ disputationes, sis tu hac oratione usus, finge tibi aliquem illorum admirabundum dicere, Quid ais Pogi? quæ sunt ista, quæ legenda dicis? si scripsisti, cur ais te scripturum? quin illa profers? Si non scripsisti, cur ais: Qui ista legent? Nemo enim dicit, qui ista legent, nisi de rebus scriptis, quasi non scripsisses. Cur igitur ista inter se diuersa dixisti? nempè quòd, ut fert mea opinio, de hac ipsa materia prius sine ulla fictione Dialogi, cõposueras, in qua uerba ista inerãt, scriberem, rescribam, legent, quæ cum per Dialogum disputare

Qui ista legent, de sermone.

iucun

iucundius existimasti, immutare oblitus es, siue quia personam tuam ad loquendum cum cæteris introduxeras, neq; id colloquium unquam extiterat, excidit tibi: te sub persona collocutoris ista disputare, & iã habita abs te uerba scribere, sed tũc primum promere, quod sentires, in persona autoris scribentẽ opinatus es: maiore uitio quàm illa, quæ superius annotaui, nisi aliter Guarine sentias. G. Equidem aliter non sentio. Cui simile quiddam admisit uir eximius, & in iure pontificio interpretando, ut aiunt: nulli secundus Franciscus Zabarella in libris de summo bono, in quibus cum quosdam loquentes inducat, quorum unus est ipse autor, tamen facit se aliquando dicentem collocutori: quemadmodum in primo aut in secundo libro pro bani: quasi eis colloquentibus libri per sese scriberentur, ut lebetes Vulcani, qui sua sponte in certamen prodierunt, aut fistulæ illæ deorum, quæ per se ipsæ canebant, ut poëtæ narrant. Id docti non faciunt, sed, aut quemadmodum heri probauimus, aut quemadmodum hodie à Crasso dicebatur, aut aliquid huiuscemodi, etsi magnus quidam ecclesiasticus in hoc incidit, cuius nomen satius est subticere. LAV. Istud, quod tu ais Guarine, nescio maius, an Pogianum hoc uitium sit, simile illi, de quo Cicero ait in Bruto de Curione: Magna hæc immemoris ingenij signa, sed nihil turpius, quàm quòd etiam in scriptis obliuiscebatur, quod paulo ante posuisset, ut in eo libro, ubi se exeuntem è senatu, & cum Pansa nostro & cum Curione filio colloquentem facit, cũ senatum Cæsar consul habuisset, omnisq; ille sermo ductus è percontatione filij, quid in senatu esset actum. In quo cũ multis uerbis inueheretur in Cæsarẽ Curio, disputatioq; esset inter eos, ut est cõsuetudo dialogorũ, cũ sermo esset institutus: senatu misso, quẽ senatum Cæsar Cõsul habuisset, reprehẽdit eas res, quas idẽ Cæsar anno post, & deinceps reliqs annis administrauisset in Gallia. Tũ Brutus admirãs, Tãtam ne

fuisse

fuisse oblitionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem unquam senserit, quantum flagitij commisisset? Quid autē inquam Brute stultius, quàm si ea uituperare uolebat, quæ uitu perauit, non eo tempore instituere sermonem, cum illarum rerum tempora iam præterijssent? Sed ita totus errat, ut in eodē sermone dicat in senatum se Cæsare consule non accedere, sed id dicat ipso consule exiens è senatu, ista de te Pogi puta Ciceronem dicere, qui non minus illo Curionis flagitium admisisti. PO. Dummodo me parem Curioni facias, id nō laboro, de quo in eodem idem Cicero loco ita inquit: Orator autem proximus optimis numerabatur, propter uerborum bonitatem, & expeditam & profluentem quodammodo celeritatē. Itaq; eius orationes aspiciendas censeo. Fuerint itaq; optimi oratores Leonardus & Guarinus, ego autem eis proximus, hoc est, tertius orator. LAV. Quid ego? PO. Non nisi tres primi nominantur. Vnde Vergilius: Tres præmia primi Accipient. LAV. Ex tuis uerbis redeo in memoriam facti Hannibalis, qui à Scipione interrogatus, quem maximum imperatorem iudicaret? respondit, Alexandrum: quē secundū? respōdit, Pyrrhum: quē tertiū? respondit, se. Itaq; facile patior te in tertio loco teipsum ponere, me in nullo, quoniam isto facto te Hannibalē, me Scipionē esse significas. POG. Ego istuc non cogitabam, sed cur nō potius, quàm de his nugis, aliqua disputas contra rationes meas de lingua latina? fuerit ne eadem literatorū & illiteratorum? quibus si nihil habes, quod opponas, quid ita superius calumniabaris, nihil esse, quod in eo libro, ut meum, posses reprehēdere? LAV. Noli tantopere tibi placere ob illam disputationem, tanquam hominibus persuaseris: nullam fuisse inter literatos illiteratosq; uerborum differentiam. De quo quid mihi dubium faciat, promam, ubi duo quædā tua errata paucis, sed non parua notauero. Primum est, ubi Aristotelem male uideris accipere

pere, ita enim scribis. LIB. POG. Anglici etiam post decimũ diem, quoties in eum, qui se pauit, inciderint, gratias pro suscepto prandio agunt, ne immemores honoris impensi uideantur. Id quoq; mecum sentire arbitror, sententiam uidelicet Aristotelis tibi notam, qui honorem inquit esse honorantis. Apud illũ igitur, penes quem honor remanet, necesse est & gratiam resi dere. Ergo & conuiuij magistro gratia mihi uidetur habẽda. LAV. Aristoteles non sentit honorem aut esse honorãtis, aut non esse honorati: cuius hæc uerba sunt: Δοκεῖ γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ, τ' ἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι, καὶ δυσαφαίρετον εἶναι μαντευόμεθα. Quod sic potest interpretari: Videtur honor in honorãtibus potius esse, quàm in eo, qui honoratur: hoc est, uidetur esse in potestate dantis, non autem accipientis, ideoq; non esse illud excellẽs bonum, & quod ipse appellat δυσαφαίρετον, id est, quod difficulter eripi possit, quale bonum est uirtus, quæ in nostra ipsorum, non in alterius, est manu. POG. Atqui ita uulgo accipiunt, honorem non esse honorati, sed honorantis. LAV. At uulgus non sanè probatus est bene sentiendi magister. POG. Ita omnes fermè accipiunt hac tempestate philosophantes. LAV. At non peritiores, sed quid oportet te Latinos sequi in autore Græco, homo, si tibi credimus, interpres Græcorum librorum optimus? Verum ubi est acumen tuum? ubi tam diutur næ ætatis experientia? ubi notitia illa, quam tibi uendicas, antiquitatis? Nunquid cum statuas, triumphos, cæteraq; ueterum monumenta cernis, ea magis honorifica esse illis existimas, qui hunc honorem habuerunt, quàm ijs quibus hic honor habitus est, nedum nullum honorati, omnem autem esse honorantis? Equidem non uideo, cur honoratum queamus illum appellare, ad quem honor ipse non peruenit. An illi qui à regibus, principibus, ducibus aliqua accipiunt insignia, aut utcunq; honestantur

Locus Aristotelis de honore.

ſtantur, non honore afficiuntur, ſed ipſos duces, principes, reges honore afficiunt? Hoc pacto non honorati forent appellandi, ſed honorantes. Quod ſi dedecus, ignominia, contumelia, iniuria, eius eſt, cui fit, cur non etiam honor, hoc eſt, decus, gloria, laus? G. Quid multis Laurenti diſputas, quaſi de iſto ſit tibi controuerſia, & non de Ariſtotelis ſententia? eam certum eſt tecum facere, perge ad alias, ſi quas habes. LAV. Vnum ſupereſt, quod hic ita ſcribit. LIB. PO. Mercurius inter medicinæ artis repertores perhibetur, qui ob eam rem relati ſunt inter deos. Mercurius uerò etiam inter planetas annumeratus. Aeſculapius eius filius honorem immortalium medendi exercitio adeptus eſt: tanta inter priſcos gloria ac nominis fama, ut coram Ioue à dijs ſit inferis accuſatus, quòd eorum imperium diminueret. LAV. Sine quæſo Guarine pauliſper interrogare Pogium, præter rem, cuius gratia recitaui hæc uerba. Quæro abs te Pogi, nunquid honor, quo homines Aeſculapium proſecuti ſunt, hominum ſit ipſorum, an Aeſculapij? POG. Perge quo inſtituerας. LAV. Certe Aeſculapij, non hominum, nec alia ratio eſt diuinorum honorum, quàm humanorum. Quare poſthac caue dixeris honorem non eſſe honorati, ſed honorantis, nec iniuriam etiam dicas eſſe inferentis, nõ patientis. Verũ, ut ad rem redeam, à quo nam accepiſti Pogi Mercurium fuiſſe medicinæ repertorem, eundemq; Aeſculapij patrem? PO. Quis id negat? LAV. Nemo negat, quia nemo id dixerat, poëtæ enim ſcriptoresq; teſtantur omnes Apollinem fuiſſe Aeſculapij patrem, ac medicinæ repertorem. PO. Deum pro deo poſui. Apollinem cum deberem, ſcripſi Mercurium. LAV. At quomodo inter planetas Apollo numerabitur. PO. Iſta culpa eſt Nicolai medici, cui ſermonẽ attribui. Non enim præſtare ſcriptor debet omnes, quæ à collocutoribus afferuntur, rationes. LAV. Tu ſi iſtam non probaſſes ſententiam, per aduerſarium

Iniuria.

Mercurius nec medicinæ repertor, neque pater Aeſculapij.

Aeſculapius.

medici

medici Iurisconsultum improbasses. Et tamen stolidissimum est, disputantes introducere uiros graues ac doctos, qui leuiter & imperite loquantur. PO. Ista dicta sunt à me in aliena persona. Inspice quæ dicta sunt in mea ipsius. LAV. Tu prohibebas dudum me excutere bonitatem sententiarum, nunc econtrario facere iubes. POG. Vetabam dudum te facere id, quod facis: excutere bonitatem sententiarum sub aliena persona dictarum. Nunc meas ipsius excutias uelim: non magis id facturus, quàm si ex Adamante coneris stilo imaginem sculpere. LAV. Equidem an istuc efficere possim, haud scio, id certe scio: tecum ipso te discrepare. POG. Quid ita? LAV. Quoniam quæ inter se discrepant scribis. En legamus. LIB. POG. Sentio enim de hac re uiros doctissimos dissentire. Leonardus Aretinus epistola, quam scripsit ad Flauium Forliuiensem probare nititur: non fuisse eam linguam omnibus communem, sed aliam popularem, aliam eruditorum uirorum extitisse locutionem. Qua in sententia fuit uir clarissimus Antonius Luscus, qui aiebat se adduci non posse, ut crederet cerdones, sutores, coquos, ac reliquam uulgi fecem latino sermone usam. Pugnantia inter se scribere Podium.

LAVR. Legamus alia quoq; deinceps loca. LIB. POG. Hic ego, inquam, fateor Carole me cum antea cum Leonardo Antonioq; sæpius disceptasse, tum post illam Leonardi epistolam plura ex uarijs collegisse scriptoribus, quibus facile probatur: illos non recta sensisse. Leonardum quippe memini dixisse mihi: eam se conscripsisse epistolam, quo me alliceret ad respondendum, etsi certe mihi semper animus fuit, ut aliquid contra suam sententiam scriberem. LAVR. Atque iterum hic. LIB. POG. Sed non tam ad ostendendam suam opinionem, quàm ad meam cognoscendam, ut ab eo accepi, arbitror ab eo epistolã illã fuisse conscriptam. Nam leuibus admodum argumentis ostendere nititur: alium uulgarẽ, alium

literatum, ut suis utar uerbis, sermonẽ extitisse. LAV. Et ad extremum. LIB. POG. Multis insuper uerbis suam sententiam nititur tueri, quæ facillime dilui possent. LAV. In his, quæ scripsisti Pogi, quæro, quomodo tecum constes. Cũ enim dicas ter, Leonardum probare sententiam suã esse nixũ, eundemq; tecum sæpius disceptasse, qui fieri potest, ut idem tibi dixerit se illam epistolam conscripsisse tui alliciendi ad respondendum gratia, nec ad ostendendum opinionẽ suam, sed ad cognoscendam tuam? In quo mecũ agnosce quot insint cõtraria. Vnum, quòd, qui non solum frequenti disputatione cum dissentientibus, quorum tu unus fuisti, egit, sed etiã scriptis, idq; multis uerbis multisq; argumentis probare nititur sententiã suã, is profecto non aduersarij elicere uult opinionem, sed suã ostẽdere. At sunt leuia illa argumẽta. Esto tamen pro grauibus ille, non pro leuibus scripsit. Neq; quisquã adeò stultus esset, ut leuiora promeret argumẽta aduersus hostes, nec grauibus unquã uteretur. Alterum, quòd nemo scribit epistolã, quãtumuis etiã leuibus argumentis nixam, ad cognoscendam eius opinionem, quo cũ sæpius disputasset (inter disputandũ enim cognoscit eius opinionẽ) præsertim cũ nõ ad hunc, sed ad alium scribat, à quo esset literis prouocatus. Tertiũ, quòd si ille dixit, ut meministi, &, quemadmodum iterum ais, ab eo accepisti: ab ipso epistolam ad Flauium fuisse conscriptam, ob eam, quam dixisti, causam, certe non diceres, te arbitrari. Ea enim, quæ uidemus, audimus, aliquo sensu percipimus, non opinamur siue arbitramur, sed scimus. Quòd si illum fuisse Leonardi suspicaris animum, profecto tibi nunquam hæc ab eo sunt dicta, sed ad tuam utilitatem tuo more præsertim de mortuo ista finxisti. PO. Imò tu fictor es, qui poëtari soles. Ego de Leonardo uera scripsi. LAV. Ergo de te non uera, quòd ab illo arbitratus es ob id illam epistolam fuisse conscriptam. PO. Non arbitratus sum, sed scio

Arbitrari. Opinari. Scire.

Digitized by Google

ſed ſcio, quia ab ipſo audiui. G. Verum loquitur Pogius, perge Laurenti. PO. Dic quid ſentias de opinione mea, quòd priſci Romani latine loquebãtur omnes. LAV. Quis iſtuc negabat? POG. Leonardus ipſe, non'ne legiſti? LAV. Non animaduerti. PO. Hui tardus es, atq; hebes, & nihil, niſi ad carpendum acutus. LAV. Ne ad carpendum quidem ſatis acutus ſum: nam multa, opinor, quæ carpi poſſent, non animaduerti. Sed legamus iterum. LIB. PO. Probare nititur nõ fuiſſe eam linguam omnibus communem: ſed aliam popularem, aliam eruditorum fuiſſe locutionem. LAV. Et iterũ. LIB. POG. Nã leuibus argumentis oſtendere alium uulgarem, alium literatũ, ut ſuis utar uerbis, ſermonem extitiſſe. LAV. En, non negat, latinum ſermonem fuiſſe uulgarem atq; populare. PO. O tardiſſimo ingenio uirum, cum negat linguam eruditorum fuiſſe eandem popularem, non'ne negat uulgus latine locuium fuiſſe, cum eruditi latine loquerentur? LAV. Nondum iſtuc uideo. PO. En tibi mea ocularia. LAV. His, qui bene uident, nõ eſt iſtis opus. Quod autem hæc non uideo, non mea eſt culpa, ſed tua, qui rem non promis. PO. Non eſt opus promi, quæ prompta ſunt. LAV. Imò in promptuario condita. POG. Quid ais? Non'ne eſt alius nunc uulgaris ſermo, alius latinus? LAV. Nunquid Leonardus ſentit: ita uulgus olim Romæ locutum, ut nunc loquitur? POG. Non ita quidem, ſed multo melius, ueruntamen aliter, quàm literati & eruditi. LAV. Nunquid igitur non latine? POG. Sanè uerò, cum enim confiteatur alium eſſe ſermonem literatum, alium uulgarem, neceſſe eſt confiteatur, ut nunc Romani non loquuntur latine, ita olim uulgo non fuiſſe latine locutos. LAV. Quid? ergo Hebraice nunc Romani loquuntur? PO. Rides me, non iſtud dico, ſed uulgariter. LAV. An non etiam olim fuit ſermo uulgaris, ut Leonardus ait? POG. Iſtud eſt, in quo ipſe aduerſor Leo-

An quondã idẽ fuerit ſermo doctorũ & uulgi.

Digitized by Google

nardo. LAV. Imò & tibi. POG. Quam ob rem? LAV. Quia ista tu affers Quintiliani uerba legamus. LIB.PO. In duodecimo uerò cum scribit de genere dicendi, ait: Nam aliam mihi quandam uidetur habere naturam sermo uulgaris, aliam uiri eloquentis oratio, cui si res modo indicare satis esset, nihil ultra uerborum proprietatem elaboraret. His uerbis constat eundem fuisse sermonem hominis uulgaris, & eloquentis, quo ad uerborum proprietatem, elocutione differre atque ornatu. LAV. Et quod Leonardus aiebat alium uulgarem, alium erudítum esse sermonem, quod pernegabas. PO. Aliter isthic accipitur uulgaris, atq; Leonardus intelligit. LA. Istud nescio. Tu tamen uideris loqui contraria, dum negas aisq; : quendam uulgarem fuisse sermonẽ. Leonardus sentit de sermone uulgari priscorum, qualis nunc Romæ est uulgo loquentium, etsi non adeò, ut nunc, deprauato, qui certe sermo latinus non est, sed uulgaris, tu uulgarem alicuius gentis appellas sermonem. Affer am tua iterum contra te scripta. LIB.PO. Nempè opinor illam, qua latini populi utebantur, & ab eis ortam, illaq; eos fuisse usos, qui dicebãtur Latini, à quibus & nomen sortita est, quam & Romanis, cum Latini essent, & in Latio siti, in usu fuisse communi necesse est. Nam sicut linguam dicimus Gallicam, Hispanam, Germanam, Italam, qua Galli, Hispani, Germani, Itali loquuntur, itemq; de Græca & reliquis, eodem modo, & latinam linguam eam fuisse oportet, quæ in communi erat usu apud Latinos. LAV. Si Romani Latini sunt, & à gẽte nominatur lingua, non ergo lingua Romanorum alia nunc est, quàm latina, sicut & olim fuit, quemadmodũ ab omnibus alijs nationibus appellatur. Siquidem Italica lingua, quæ olim diuersa, ac multiplex fuit, & mox propter Romanas colonias ac Romanorum consuetudinem in linguam Romanam conceßit, id est, latinam, ab exteris gentibus nõ nisi latina nominatur. Itaq;

non

Digitized by Google

nõ modo quondã loquebãtur, uerumetiã nunc uulgo latine Romani loquuntur. Vides ut tibi conceditur, quod tu tantopere probare contendis: olim Romanos fuisse locutos latine? PO. Non isto modo, ut ex meis uerbis licet cognoscere, accipiebã latine, sed grammatice, ac ne Leonardus quidẽ. Lege mea uerba. L.P. Quæro à uobis, quam linguam appelletis latinam, eam, quam grammaticam uocamus, & à quibus ortũ habuisse putetis? Nempè opinor illam, qua Latini utebantur, & ab eis ortam. LAV. Et iterum. L.P. Diutina me dubitatio tenuit, utrum priscis Romanis latina lingua, quam grammaticã uocamus, fuerit omnium cõmunis, an alia quædã esset doctorum uirorum, alia plebis & uulgi oratio, id est, ut apertius loquar, utrum docti pariter & indocti ab ipsa usq; infantia latino ueluti materno domesticoq; sermone loquerentur, an esset alius quispiam doctorum hominũ, prout nobis contingit, ab usu uulgari diuersus. Sẽtio enim hac de re uiros doctissimos dissentire. PO. Ecce, quem uoco latinũ, hoc est, grammaticum, nihil enim interesse uolo, grammaticũ dixerim, an latinũ. LAV. Te mirror Pogi, qui pasim tibi ipse repugnas. PO. Quid ita? LAV. Legamus tua, quæ non longe sequuntur, uerba, ubi Quintilianum affers testem. LIB. POG. Idem in primo sui operis libro, cum de grammatica disputat: Quid, inquit, de alijs dicam? cum senatus senatui, an senatus senati senato faciat incertum sit? Quare mihi non uenuste dici uidetur: aliud esse latine, aliud grammatice loqui. Quibus constat uerbis omnes latine, sed non omnes grammatice loqui solitos, cum latinam linguã omnibus tribuat: grammaticam, hoc est, loquendi doctrinam, literarum peritis. Latine igitur omnes, sed emendatius docti loquebantur, à quibus senatum quartæ declinationis dici affirmat, ab indoctis secundæ. Docti enim ratione iudicabant, quod alij usu assequebantur: nulla suorum uerborũ ratione habita.

Latine. Grammatice loqui.

LAV. Ais linguam latinam eandem quam grammaticam esse, dehinc affers Quintilianum dicentē: aliud latine esse, aliud grā matice loqui. Quid aliud uult Leonardus, quàm omnes Roma nos fuisse latine locutos, sed nō grammatice? Vides ut tu cau sam aduersarij agis, & tuam euertis? Sed ego te Pogi subleua re uolo, atq; ostendere, nihil ad hanc rem uerba Quintiliani agere. Nam ea tu nō recte accipis, qui ais, eū uelle emendatius dici grammatice & doctius, quàm latine. Hoc ille nō sentit, sed melius esse, latine, quàm grammatice loqui, hoc est, ex consuetu dine peritorum, quàm ex artis analogia: cū tota sit illa Quin tiliani disputatio de laude consuetudinis loquendi aduersus ana logiam, de quarū utraq; ita ait: Consuetudo uerò certissima lo quendi magistra, utendumq; planè sermone, ut nummo, cui pu blica forma est. Deinde: Sed meminerimus non per omnia duci analogiæ posse rationē, cū sibi ipsa plurimis in locis repugnet. Et paulo post: Non enim, cū primum fingerētur homines, ana logia demissa cœlo formā loquendi dedit, sed inuenta est, post quam loquebantur, & notatū in sermone, quid quoquo modo caderet. Itaq; non ratione nititur, sed exemplo: nec lex est lo quendi, sed obseruatio: ut ipsam analogiā nulla res alia fecerit, quàm consuetudo. Inhærent tamen quidam molestissima diligē tiæ peruersitate, ut audaciter potius dicant, quàm audacter: li cet omnes oratores aliud sequantur: & emicauit, non emicuit, & conire, non coire. Et cū multa in hanc sententiā disputasset, ad extremum intulit: Quare mihi non inuenuste dici uidetur: aliud esse latine, aliud grammatice loqui. Vides, ut latine loqui est oratorū & eruditorū, et plus etiā, quàm grāmatice? Ideoq; latine loqui, inter uirtutes Rhetoricæ ponitur, ut grammatica sit locutionis, latinitas elocutionis. Hæc est inter grammatice ac latine loqui differētia, non quam tu constituis, & quantūuis falsa ratione conaris probare, inquiens: Senatum quartæ dici à doctis

doctis, secundæ ab indoctis. Nam neq; istud, ut tu ais, Quintilianus affirmat, sed planè negat, neq; ullo exemplo confirmari potest. An Cicero indoctus est, qui cum alibi, tum uerò in Philippicis ait: Non semper habebitis eundem senatum, nec senatí ducem: qualia exempla sunt plurima, ut ista uera sint tu propositum meum tueris: non alium fuisse latinum, alium grãmaticũ sermonem: de quo à me disputatio fuit instituta, nam qui latine, ijdem grammatice loquebantur. Quomodo tu isthuc dicis: ut sermo latinus, qui grammatico præstat, esse omnium cõmunis, nec plebis modo, & uulgi mulierumq;, uerũ etiam puerorum atq; infantum? O rem miram Pogi, infantes eam habuisse facultatem, quam Cicero sæpenumero in quibusdam oratoribus desiderat, in nonnullis prædicat. Si omnes latinum sermonẽ à matribus nutricibus ue discebant, ergo omnes norant, quemadmodum nũc in omnibus ciuitatibus fieri uidemus de sermone uernaculo, quæ res nulli hominũ inter conciues unquam laudi data est. Sin uero laudanda quia labore, studio, industria comparatur, ergo non à parentibus aut nutricibus tradebatur. PO. An non ego dixi omnes Romanos latine locutos, sed emẽdatius doctos? LAV. Cur dicas emendatius, non uideo. Alius alio ornatius, sublimius, eloquentius, fateor, sed nõ latinius, si omniũ Romanorũ sic erat cõmunis lingua latina, ut nunc est ciuitatũ sua cuiusq; uernacula, ut Florẽtinorũ Florẽtina, ut Neapolitanorũ Neapolitana, ut Venetorũ Veneta. Quoniã nunq; animaduerti Romanum Romane, aut Florẽtinũ Florẽtine, aut Neapolitanũ Neapolitane, aut Venetum Venete alium alio magis loquentẽ. Vnus est modus, atq; unũ genus, & una ueluti in suo cuiusq; ciuitatis numismate, figura dicẽdi. Qd' si nõ loquebãtur prisci Romani alius alio latinius, ergo nihil est, quod dicis, emendatius locutos doctos. Quanquam non uides, cum dicis doctos: fateri te doctrinam fuisse: quæ superuacua fuisset, si linguam lati-

nam infantes sine doctore didicissent. POG. Quasi nõ fuerim confessus à Quintiliano tribui literarũ peritis, loquẽdi doctrinam, hoc est, grãmaticam. LAV. Istud Quintilianus nec dicit nec sentit. PO. Ergo si grammatica nõ magis peritorũ doctorumq; est quàm imperitorum & indoctorũ: sequitur id quòd à principio proposuerã: grãmaticã fuisse etiã uulgi infantiumq; sermonem. LAV. Non id dixi equidem: sed Quintilianum nõ id sentire, ut doctorum sit grãmatice loqui magis quàm latine. POG. Igitur quod uolebã, doctorum sit pariter & indoctorũ apud priscos latine ac grammatice loqui. LAV. Idem Pogi, modo ais, modo negas: nunc grammaticam esse doctorum & peritorum tantummodo: nunc etiam imperitorum atq; infantium. Sed qui fieri putas potuisse, ut infantes grãmatice loquẽrentur? Nempe quòd illam à matribus, ut inquis, nutricibusq; discebant, idq; duabus te rationibus probasse confidis. Vna, quòd scribis. LIB. POG. Cum ab ipsa infantia barbarorum filij cum materno lacte uernaculam linguam discant, quamuis hiulcam, rudem, asperam, barbaram, absonam prolatu, quæ nobis uiris esset admodum scitu difficilis. LAV. O te præter cæteros homines ridiculum Pogi. Cui non aliena lingua difficilis, absona, atq; adeò barbara? Nunquid putas minus absurdam uideri Germanis Italicam, quàm nobis uideatur illorum? aut non ita laborant Teuthones in percipiẽda nostra, ut nos in ipsorũ? Equidem nescio an aliquem Germanum audierim recte loquentem Italice, quamuis in Italia totam penè egisset ætatẽ: quod facerent, si nostra, quàm illorũ esset scitu facilior. Quotusquisq; est, aut Græcus, qui latina, aut Latinus, qui Græca recte pronũtiet? Audiui adolescens à quibusdam, qui se audisse dicerent, cũ iter ad Alpes facerent: quendam sociorum suorum admiratum, quòd pueri illi Teuthonice loquerentur, dura, rigida, & minime apta pueris lingua, quasi deberent omnes infantes statim

Italice

Digitized by Google

Italice loqui, lingua, si tibi credimus, suaui, dulci, & accommodata infantibus ueluti lacte. Cur ita? nempe quia Itali sic loquebãtur. Non alium opinor fuisse, quàm te Pogi, qui miraris, tanquam rem arduam, & discendæ grammaticæ similem: pueros discere barbaram aliquam linguã. Altera quòd scribis, multos te nouisse in Curia Romana, qui solo usu grãmatice loquendi, grammatici euasissent. Ego certe & natus & alitus Romæ, atq; in Romana (ut uocant) Curia, qui congrue loqueretur, cognoui neminẽ, nec hoc cõtingere posse existimo. An tu ignoras illam sacerdotis fabulam, qui famulum iubebat secum loqui grammatice: identidem cum reprehendens, quòd nesciret dicere: da mihi clauem, ubi est clauis? iuberet q; nunc clauis dicere, nunc clauem. Quo facto ille desperãs uicissim cœpit herum indignabundus reprehẽdere: his uerbis, quæ in iocum uulgi emanauerunt: modo clauis, modo clauem, nunquam uidi homo talẽ? & tu hæc facillima etiam pueris esse existimas? Quæ quantopere facilia sint, uel tu (nam quid alia documenta quærimus?) testimonio es, qui ista ætate, isto studio, ista perpetua grammatice loquendi atq; scribendi consuetudine, nondum tamen grammatice aut loqueris, aut scribis. Quo minus tibi obsequar postulanti, ne quid de erroribus uerborum tuis in hoc opere loquar. Quod cum à me poscas satis significas: te nondum satis grammaticum esse: hoc est, difficile admodum, grammatice loqui. De quibus tuis erroribus ad extremum agam. At tu grammaticam adeò facilem facis, ut eam artem esse negare uidearis, idq; Quintiliani testimonio. Nam ita scribis, LIB. PO. Quod consilium superuacaneum esset, si lingua latina tunc in scholis à præceptoribus tradita extitisset. LAV. Cur quæso Pogi semper à teipso dissentis? quæ est tua incõstantia? aut quæ tanta ingenij hebetudo? præceptores fuisse concedis, scholas non cõcedis. Quid est enim aliud schola, nisi ubi præceptor docet plures duntaxat

Grammatica

Schola

duntaxat? An non scholas non dico fuisse, sed etiam debere esse confirmat, ad quas pueri etiam infantes q; mittantur, cuius sec̃undus titulus est, Vtilius domi, an in scholis erudiãtur? Quid ais Pogi, grammatice statim pueri loquebantur? nullæ scholæ erãt? frustra igitur compositi erant tam scrupulosi libri de arte grãmatica, frustra uocabantur præceptores, frustra ei doctrinæ dabatur opera, si usu percipi poterat, frustra de ipsa Quintilianus idem inquit: Quæ nisi oratoris futuri fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iucũda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ uel sola in omni studiorum genere plus habet operis, quàm oblectationis. POG. Quasi uerò ego nõ dixerim doctos ratione iudicasse: quod alij usu assequebantur: nulla suorum uerborum ratione habita. LAV. O ineptissimum hominem: quasi oporteat de ea re rationem reddere, quæ non ratione constabat, sed usu. Quo mihi rationem istam, si satis est usus? Quis de lingua Gallica, Hispanica, Germanica, Florentina, Neapolitana, Veneta, & item de reliquis rationem exigit, & non ipso usu contentus est? An Quintiliani ex eodem libro uerborum oblitus es, quæ paulo ante retuli? Itaq; nõ ratione nititur, sed exemplo: nec lex est loquendi, sed obseruatio, ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit, quàm consuetudo, Cũ dico analogiam, quicquid penè rationis est in grammatica, complector. Nam ita ait idem in eodem loco autor: Sermo constat ratione, uetustate, autoritate, consuetudine. Rationem præstat præcipue analogia, nonnũquam etymologia. Vides ut uix reddi ratio possit grãmaticæ, quam tu uis totam constare ratione. POG. Tu uerò pro mea causa loqueris, qui nõ artificium olim fuisse grammaticam, ut nunc est, sed usum & consuetudinem uolo, eoq; pueris quoq;, & infantibus scitu facilẽ. LAV. Istud Pogi tua fit culpa, nõ mea. POG. Cur ita? LAV. Quia cum inter se cõtraria loquaris, idq; persæpe,

non

non possum facere, quin etiam pro te dicam, ut mirũ quiddam, & prima fronte ridiculum uideatur esse: altercantes inter se alterum pro altero dicere. Verũ hoc inter me atq; te interest, quòd ego etsi pro te, non tamen contra me dico, tu non magis contra me, quàm contra te ipsum dicis. Verũ Pogi nec aduersum me, nec pro causa tua loquor. Nam hæc est, ut ad ipsum caput ueniam, quæstio tua: utrum priscis Romanis latina lingua, quam grãmaticam uocamus, fuerit omniũ cõmunis etiam infantium, hoccine tu sentis Pogi? POG. Quid ni sentiam? LAV. Ergo grammatice fuisse locutos confiteris infantes. PO. Sentio, & confiteor. LAV. Cur igitur ad præceptorem grammatices mittebantur, ut discerent linguæ, quam norant, rationes, & causas? POG. Eodem reuolueris, utinam ego recte grãmatice loquerer, * ne aliquid causarũ ac rationum grãmaticæ nosserm. Quanquam in hac tu re longe antecellis, qui nunquam de huius artis præceptis magnopere curasti. Quid ais? aut ars grãmatica est, & ab eruditis, nõ aũt à nutricibus tradebatur: aut ars nõ est, quam omnes fatentur esse artẽ, ut tu unus plus omnibus sapere uideare, & cæteros tanquã tardissimo ingenio damnare, qui artem fecerint id, quod usu & sua sponte percipi poterat. G. Noli reniti ulterius Pogi, ac cõtendere: grãmatice omnes priscos Romanos cuiuscunq; conditionis, sexus, ætatis, locutos fuisse. PO. Si istuc cõcedendum est, illud certe cõcedat Laurentius oportet, omnes fuisse locutos latine. LAV. Ego uerò etiam hodie Romanos loqui latine fateor. PO. At multũ differẽter à priscis. LAV. Et istud quoq; fateor, sed abs te discere uelim, quàm differenter olim uulgus ab oratorũ sermone loquebatur. PO. Quantum ad uerba pertinet, nihil omnino. LAV. Iam in idẽ redimus. PO. Quamobrẽ? LAV. Quia sermo oratorũ ad grãmaticã cõpositus erat, ut omnes scriptores huius artis præceptoresq; testantur, & tu præter ullam artem

esse

esse uulgi sermonem modo concedebas. PO. Dicam igitur non grammaticum uulgi fuisse infantium q; sermonem, sed tanquam grammaticum. LAV. Ad risum me adigis. PO. Quare? LA. Quia uideris itidem loqui, atq; illi, qui aiunt: deos non habere sanguinem, sed tanquam sanguinem. Nam quis intelligat, quid illud sit: tanquam sanguis, nõ tamẽ sanguis? Ita te quis audiat dicentem: illos non grãmatice, sed tanquam grammatice locutos? PO. Dum ita loquor, id intelligo: sermonem uulgi atq; infantiũ parum abfuisse à sermone oratorum, duntaxat in uerborum proprietate. LAV. Hoc ipsum, quãtum distantiæ erat, quæritur, & in controuersia est. Si multum, recte sensit Leonardus, sin parum, & propè nihil, tu uiceris. Neq; uerò tua exempla palàm ostendunt: nihil interfuisse inter eorum orationẽ, quorũ scripta legimus, & eam, qua pueri à nutricibus matribusq; imbuebantur. Nam illa, quæ ex Quintiliano repetisti, magis contra te facere probaui, cuius & illud testimonium uide, an tecum faciat, ex eodem libro: Id uel hoc argumento patet, quòd intra biennium, postquam recte formare uerba potuerunt, quamuis nullo instante omnia ferè loquuntur. Non dico nunc, si fuisset eadem lingua indoctorum, & doctorum, quid oportuisset pueros iam grammatice loquentes ad grãmaticum mittere: sed qui fieri potest, ut quod nos tanto studio ac labore, instantibus præceptoribus, pædagogis, patribus, in assidua scholarum ac condiscipulorum consuetudine, intra tot annos nequimus assequi. (Loquor de grãmatice fando) id illi infantes inter lusum, nullo instante, intra biẽnium, ex quo cœperãt posse uerba proloqui, assequerentur, ita, ut oratores ac poëtas intelligerẽt, quos uix nos exacta pueritia intelligere possumus? Neq; nos tardiori, quàm illi fuerunt, ingenio facias, (quoniã quibusdam in artibus nequaquam illis cedimus) quales, si nõ sumus, * sed ueteribus pares, unde fit, ut uulgus (Romanũ atq; adeò Italicũ illiterato-

Tanquam sanguis

rum

torum dico) non posſit ullo pacto conſeruare, imò cõſequi & imitari ſonum litcratarũ uocum etiã mulier audiarũ, & quotidie inculcatarũ, cuiuſmodi ſunt eæ quæ à ſacerdotibus ſubinde repetuntur? Et, ut de Romanis, de quibus controuerſia eſt, potiſſimum dicam, frequentiſſime audiunt legentes in uia Appia: domine quò uadis? at uulgus ait: domina couata? de ara cœli: dicit, arocielo, de arcu Neruæ, arcanoe, ſancti Petri ad uincula, ſancto Petro mencolo, et alia infinita, adeò nullum literati ſoni uerbũ in ore uulgi eſt. Neq; aliter in cætera Italia Hiſpaniaq; & Gallia, quæ quandam habent cum noſtra lingua cognationem. Neq; illud fuit abs te faciendum, ut exempla linguæ Hiſpanæ in teſtimonium afferres: quaſi aut Italici pauciora uocabula habeant grammaticis ſimilia, aut non illi cuncta nomina numero plurali: s litera finiant: Quo nullum maius indicium eſt, gentem illam olim grãmatice locutam. Quæ natio, ſi quondam more literatorum loquebatur, cur nec ipſa inflexionem illam caſuum, de qua Leonardus quærebat: nec participia quædam, atq; gerundia, ſupinaq; , nec deriuandi, niſi in paucis, uſum, nec alia plurima, quæ grammatica præcipit, cuſtodiuit? unde articulos, quos lingua latina non habet, adſciuit, quemadmodum & Roma, & Gallia, & Italia? Sed hæc hactenus. Nolo enim in præſentiarũ meam promere ſententiam, cum nõ ſit id mei propoſiti, ſed, ut tuæ aduerſer, ne tantopere tibi de iſto opere placeas, ex quo tibi te immortalem fore promittis. Nunc quo uideatur id, quod diſputaui, ueriſimilius, non fuiſſe facile factu, ſed difficile ſanè: loqui uulgus, ut oratores, ſolitum eſſe, tua in lingua latina annotabo uitia, quæ in hoc opere admiſiſti, ſi idem iudici noſtro arbitroq; uideatur. G. Ego uero, & quòd ita feciſti probo, & ſicuti ais, reor eſſe faciendũ. LAV. Et eo magis, quòd ſi qua ſunt, alia (puto autem eſſe multa) quæ ad hanc rem pertineant, cõmodius abs te explicabuntur, ſi ea

Pogio

Pogio libebit audire. G. Sunt, ut inquis Laurenti, alia in quibus ista quæstio finiri potest, nec mihi ignota: quæ si Pogio, sicut ais, libebit audire, explicabo. PO. Libebit nimirũ mihi audire, si cõtra me nõ sis locuturus. G. Cõtra te uelim ego loqui? sum iudex: istæ Laurentij, qui aduersarius est, sunt partes, meæ sunt, nõ cõtra quempiam, imò nec pro quopiam loqui, nisi pro ueritate, contraq; mendacium. PO. Iam mihi libet audire. LAV. Mihi quoq;, sed ubi paucula in te nõ latine posita uerba notauero: Latine dico, ut docti loquebantur, non ut indocti, aut quomodo nunc seculũ nostrum latine loquitur, quod potius dicendum est loqui semilatine, ac semibarbare: scripsisti enim primum. LIB. POG. Natalẽ patriã. LAV. Pro natale solũ. Idẽ enim pollet unũ nomẽ: patria, quod duo: natale solũ. Ex quo superuacuum est natalẽ, item. LIB. POG. Conuiuij magister potius gratias cõuiuis debeat, q uenerint, quàm illi ei, qui ad epulum uocarit. Et iterũ, Horũ quẽuis nõ magis gratias debere arbitror cõuiuij autori, quàm tibicines, aut cythariſtas, uel cãtores ad epulum adhibitos uoluptatis causa, qui nedũ gratias pro cibis impensis agunt, sed præmiũ insuper suæ artis exposcunt. Atq; iterum, Sicut ergo turpe ducimus nõ adhiberi ad epulum aliorum, sic honestum uidetur accersiri. LAV. Cur dixisti modo cõuiuij magister, modo autor? nempe quia ignoras cõuiuatorẽ reperiri, quod reperias licet cũ alibi, tum apud Liuiũ lib. VI. de bello Macedonico. Præterea epulum pro epulis ponis, quã differẽtiã aperirem, exemplisq; cõprobarẽ, nisi doctissimus uir adesset iudex noster, nedũ quoq; nõ secundo loco posuisti, ut debebas, sed primo, quod sæpe aliàs reprehendi, sed illud non semilatinum, sed barbarũ fuit: accersiri, ut dicimus audiri: quasi dicatur accersior, & non accersor. Posuisti item multoties pro frequenter, quælibet pro unaquæq;, umbeculam pro umbellã, sua pro eius, & eius pro sua, sibi pro ei, eũ pro se abhorreo

Natale solum. Patria.

Conuiuator Autor conuiuij

Epulum

Nedum

Accersor Multoties Vmbella Frequenter

Digitized by Google

horreo rem, pro abhorreo ab re, aliàs pro aliter, siue alioqui, subtus lectum pro subter lectum, impartiti sunt studium suum in illis, pro impertierunt studium illis, quantum pro quanto, quoad pro quantum, applaudisse pro applausisse, etiam necessarius neutro genere, tanquam comparatiuum. Quod si forte non credis, en legito. LIB. POG. Nil utilius, nil necessarius nobis ad tuendam uitam corporisq; tutelā quàm domus. LAV. Hic quoque aliud se prodit uitium: quasi dicatur ad tuēdam corporis tutelam, aut certe, si uis ad corporis tutelam intelligi, quid interest inter, ad tuendam uitam, & ad tutelam corporis? Neque tu locum quendam apud Ciceronis Officia dixeris huic esse similem. Nam & dissimilis ille est, & tu hoc uitium frequenter admittis, ut in ultimis uerbis. LIB. POG. Aëris & animi gratia. LAV. Quod uix ullus poëta dixisset, cum præsertim differāt aër, propter quem hauriendum, & animus, propter quem relaxandum prodibatis, huiusmodi causæ inter se ita dissimiles non solent coniungi sub illo uocabulo gratia siue causa, quod genus loquēdi frequenter captas, quale est. LIB. POG. Et qui secus opinantur, non recte meo iudicio existimant. LAV. Ne diceres iterū opinantur, quod etiam erat melius, dixisti existimant. Tersius sic dixisses: & qui secus, ij, meo iudicio, non recte opinantur. Eiusdē uel affectationis uel negligentiæ est, quod ais. LIB. POG. Sententiam Aristotelis tecum sentire. LAV. Quasi sententia sentiat, quod nemo unquam dixit. Ego uerò ne sensa quidem uerborum dixerim, ut tu facis, qui scripsisti. LIB. POG. Vt etiam rudes indoctiq; percipiant, uerborū sensa. LAV. Ac nec illud dixissem: nulla suorum uerborum ratione habita. Habere etiam rationem est, habere respectum, non autem ignorare rationem, ut tu illic accipis, neq; cum ais. LIB. POG. Qui si quod uerbum inter stultos, qui undique redundant, protulerint. LAV. Maluissem dicere: quibus omnia redundant, ut Cicero dixit, qui

Subtus. Impertior. Quantum. Quoad. Necessarius. Tuenda uita. Tutela corpo- Opinor. Sententia sentit. Sensa uerborū Habere rationem uerborū. Stultis omnia redundant.

t nusquam

Digitized by Google

nusquam sic locutus reperitur, ut tu: inquiens, LIB. POG. Quibus ex rebus planè intelligis à medicinæ sciẽtia, in multo fa
In multo anteiri. cultatem legum anteiri. LAV. De illo loquor: in multo. Et ad extremum uelim mihi distinguas significata cerdonis ac sutoris,
Cerdo. Sutor. nam pro diuersis ponis, cum inquis. LIB. POG. Cerdones, sutores, coquos. POG. Cerdones faciũt calceos, sutores uestimenta. LAV. Si uestimenta è corio intelligis, aut calceos uenire ap=
Sarcinator. pellatione uestitus, non negauerim sutorem etiam circa uestes uersari. Verum non ita accipitur à doctis: sed is, qui calceos fa=cit, sutor: qui uestes, sarcinator nominatur. Hæc si pogi igno=ras, alter censorius Cato, non dico, quia mordax, sed quia do=ctus, ut ille, & senex es, quo tandem modo pueri sciebant, atque infantes? POG. Expectemus, quid de hac re sentiat Guari=nus. Multa enim legit, multa audiuit, multa composuit, profecto aut hic scit, quid uerum sit, aut nemo.

LAV. Nunquid eum proteruum, si secus, ac tu, sentit, appellabis? etsi isto uocabu=
Proteruus. lo proteruus, non recte es usus.

POG. Vt eum uidero sentien=tem, sic appellabo. Sed cur eum iam loqui pa=ratum impe=dimus?

LAVRENTII VALLENSIS IN ERRORES ANtonij Raudensis adnotationes, ad Ioannē Lucinam Alfonsi regis Secretarium.

INTELLEXI Ioannes, cum aliàs nonnunquam, tum uerò in præsentiarum accidere solere, ut quædam agamus inopinati, ut quæ uoluimus, nolimus, quæq; rata habuimus (ut inquit Terentius) irrita, ut quæ facta sunt, infecta cupiamus. Quem enim casum existimassem ita ferre posse, ut in amicum, in familiarem, in eum quem libris ornassem, scribere aut congerer, aut deberem, aut uellem? Etenim (ut alia necessitudinis signa præteream) inter me, & Antonium Raudensem, quid magis ostendi potuit, quàm quòd in libris de uero bono partes ei (ut sic dicam) censorias tribui, defensionemq; religionis? ut nō plus in libris de Republica tribuerit aut Scipioni Cicero, aut Socrati Plato. Eum nunc quibusdam in locis operis sui cogor refellere, & carpere, quem laudaui. Postea dicam, cur debeam, uelimq;. Testor mi Ioannes, mutuam nostri charitatem, & ipsius amicitiæ sanctissimum numen, me tibi rem gestam enarrare, candidam, atque simpliciter, nullo admixto mendacio: quod cum per se obscœnum est, tum uerò quoties non sui defendendi, sed alterius accusandi, calumniandiq; gratia adhibetur. Cum essemus nuper Baroli, Raudensianus codex Mediolano missus, regi dono datus est, quem Ioannes Alzina, quasi alter hoc seculo Mecœnas, cum transcribendum curaret, mecū egit (eram enim tunc eius contubernalis) ut si qua in parte dissentirem ab illo opere, subnotarem. Cui ego si quid dissentirem, id me in opere de elegantia tradidisse respōdi, præterea nolle com-

Digitized by Google

mittere, ut dum amico morem geram, amicum alterum lædam, Tum ille, Non uacat mihi (inquit) nec per tot occupationes licet multa euoluere, & tuum cum isto opere conferre. Ad hoc, multa hic sunt, quæ in illis libris fortasse, ut minuta tu quidem, sed tamen multis utilia omisisti, præsertim Ioanni meo filio unico, cui hanc rem nõ minus, quàm mihi prospicio adolescenti (ut ex epistolis suis iudicare potuisti) studioso, acuto, dignoq;, qui in imitandis libris minime fallatur. Nam quod de amicitia lædenda uideris uereri, neq; has annotationes alius præter filium leget, & siquando forte quis leget, has tuas esse profecto non diuinabit, utpote nullius nomine scriptas. Hæc ille cum diceret, magis hominis mouebat autoritas, quàm ratio, magisq; iuberi uidebar, quàm rogari. Transcurri itaque opus pauculis admodum diebus, annotans penè inuitus, siquid forte reperiebam. Cum autem ad uocabulum omnis peruenissem, meq; illic, etsi non nominatim, tamen aperte reprehendi animaducrtissem, non exiguam sanè bilem, uel criminis, uel accusatoris indignitate contraxi, intellexiq; famæ meæ, quæ à falsis amicis in discrimen adduceretur, esse succurrendum. Neque id ob hunc tantummodo locum, sed ob uniuersum de latinitate, & elegantia opus, quod ab isto damnatum, & ideò illius post nostrum fuisse compositum, aliqui non admodum prudentes fortasis opinarentur. Quo factum est, ut non tantum necessario, sed etiam iuste ad hanc rem libenter descenderem, nollemq; eare illum à me unquam fuisse laudatum. Huc accesserunt tertio loco literæ tuæ, quæ non modo, ut opus uni conderem, sed ut omnibus etiam ederem, induxerunt quodam profecto miraculo. Siquidem scribenti mihi Raudensianas annotationes, illæ sunt redditæ cum degustatione quadam operis ipsius, cumq; hoc tuo (ut sic dicam) elogio. Videntur nanque copia multa abundare, sed non radicem attingere. Confert tempora quibus tuæ literæ ad me datæ, quibusq;

quibusq; rex Baroli, seu Foggiæ erat, id est quando codex ille regi donatus est, & unà reperies atq; eadem fuisse, ne dubitare deberem id aggredi, quod tot causis aggrediendum esse diuina uoluntas (ut interpretor) demonstraret. Nam prima quidè causa uehemens, ac necessaria erat, sequens uerò honestissima, tertia autem perpēsissima & quasi cœlesti nutu cōmendata. Etenim cum tuo amori nihil denegare possim, tum literarum ipsarum, quas tam longinquo terrarum tractu misisti (ut dixi) miraculum, ita obstupefecit pectus meum atque penetrauit, ut non modo facerem quod postulabas, uerumetiam ipsum tibi potissimum opus inscriberem. Facio tamen fortassis imprudenter, qui antea librum inscribo, quàm sciam, an editione, & (quod pluris facio) an te tam docto, & exculto uiro sit dignus. Sed ueritus sum ne quod elegantijs accidit, id huic libro accideret. Cum enim illas ad nullum scribo, sed ad te atque ad Ioannem Auriſpam cognoscēdas mitto, te absente Auriſpa publicauit, ut iam post infinita exempla, uix ausim eas ad aliquem scribere, sed quia tu & suades, & hortaris, faciam, propeq; diem quia inemendatæ sunt, ut ais, ad te emendatissimas mittam, qui non fines (ut alter fecit) ab indoctis librarijs corrumpi, quod Quintilianus intelligens, misso ad Tryphonem opere, inquit, Multum autem in tua quoque fide, ac diligentia positum est, ut in manus hominum quàm emendatissimi ueniant. Hoc cur tam sapiens autor dixisset, quod tantum in aliena fide, ac diligentia reponeret, non antea quàm meo doctus experimento, didici. Tu tamen non minus in me & fidelis, & diligens eris, quàm Trypho in illum fuit, & interim uolui hoc opus anteuertere, ut literis tuis non tam responderem, quàm parêrem. Hoc tamen testificatū à me uolens, quo uiris bonis satisfaciam, qui amicitiam sancte inuiolateq; usque ad extremum seruandā putant, inter me, ac Raudensem paruā sanè familiaritatem intercessisse, paucisq; diebus consuetudinem fuisse, nec

Digitized by Google

eam unquam epistolis nos mutuis confirmasse, ut ipse ex iniuria mei magis ingratus, quàm uiolator amicitiæ esse uideatur. Et ego me defendens, magis beneficij mei perdidisse rationẽ, quàm amico lacessenti non pepercisse. Et laudem quam illi tunc tribui liberalius, ut fieri solet, benigniusq; concessisse, quàm nunc in eo notando inconstantiæ crimen incurrisse.

QVantopere sit elegans Raudensis noster, & quàm decuerit eum de eloquentia scribere, uel procœmium ipsum testimonio est, cuius tres tantum ex principio uersus cõsideremus, sic enim incipit. RAVDENSIS. Puto erit operæpretium his, qui eloquentiæ, humanitatisq; studijs uidentur aspirare, & librorum copiã quasi nullam habẽt, quos lectitare possint, unum hunc pro omnibus, quẽ sæpe legant, scrutẽturq;. LAV. Sæpe te legemus Raudensis, omissis alijs, si eloquentes cuadere uolumus. Nonne ingrato animo in ueteres, atq; impio es, qui uel clàm, uel palàm nos adhortaris ad negligendos omnes aliorum autorũ libros? At non loqueris de ijs, qui librorum copiam habent, ergo tu talibus nihil scribis: & quibus nulla ad assequẽdam perfectam eloquentiã adiumenta desunt, ijs tuum opus nõ prodest, sed pauperibus tantũ, ut in te Ouidianum illud de arte amandi aptissime cadat, Pauperibus uates ego sum, quia pauper amaui. At quantum prodest pauperibus opus tuum, unde per illud in summum facundiæ fastigium perueniant? Si ita est, etiam diuites istam uiam tam expeditam ingredi mallent, quàm se per multiplicem lectionem fatigare: sin in fastigium hoc modo peruenire nequeunt, nõ uideo quid prosis, uel diuitibus, quibus obstas, si te contenti sunt, ne in summum, quò cupiunt, euadãt: uel pauperibus, qui quò per te euasuri sunt, nesciunt, quibusq; & ipsis spem, atque adeò animum eripis, aliquando ulterius euadendi: cum præsertim nemo sit ita pauper, ut se quandoque diuitem, aut certe meliori fortuna

tuna fore desperet. Quid ais, unus iste pro omnibus libris satis est? cur ergo multis in locis legendos alios esse uis, legiq; iubes, ac precaris? I nunc, & iacta tantopere librum tuũ. Et unum librum appellas, ut nos nomine ipso circumuenias, qui uerbosior est, quàm duo & quadraginta Varronis, rerum humanarum, ac diuinarum libri: & eum de imitatione inscribis, de qua quæso imitatione? Vniuscuiusq; enim artis est imitatio. Hoc tibi quidem addere in mentem non uenit. Sed tamen intellegis de imitatione eloquentiæ. Quid igitur de hac ipsa re tibi credimus, posterius glorianti? tu primus scribis, & non antè Quintilianus? tum de omni imitatione in uniuersum, tum de ea, quæ ad eloquentiam pertinet? Post quem aliquid de arte Rhetorica (nam imitatio ipsa, ut idem ait, pars artis est) scribere, hominis est artem oratoriam nescientis: quanquã nihil minus, quàm de imitatione loquitur, opus hoc de imitatione titulum habens, quod autor ipse sæpe legere, sæpe scrutari nos iubet, uidelicet mysteria quædam in eo latent, quæ nisi scrutemur, inuenire nequeamus. Verum quoniam hoc postulat Raudensis, agedum, scrutemur, an recte dicat, an secus. Et antequam de cæteris ordinem, id aganus, horum trium uersuum uerba, sicut de sensibus scimus, an imitatione sint digna, uideamus. Ait, qui studijs eloquentiæ uidentur aspirare. De latinitate & elegantia uidetur uelle loqui Raudensis, At hoc nec elegans, nec latinum est. Siquidem dicimus aspirare rei, pro auxilium aliquod præbere deos. Vergilius, Aspirat primo fortuna labori. Aspirare ad rem, est proprie hominum, nec ferè nisi cum negatione aut interrogatione, quæ in negationem resoluitur, significatq; ne spiratu quidem ac flatu proximum esse posse, nedum ore contingere quod cupit. ut Cicero sæpe, Ad hanc laudem aspirare non possunt. Et in uerrem actione prima, In eiusmodi re quisquam tam impudens reperiretur, qui ad alienam causam inuitis ijs, quorum negotium est, accedere, aut

Imitatio.

Aspiro.

Quasi. Cap. 36. lib. 1.

aspirare audeat? Quid quòd ait, uidentur aspirare, non autem aspirant, quasi uideantur, non sint aspirates? Ait præterea quasi, pro eo quod est ferè, de quo latius in elegantijs diximus. His etiã pro ijs posuit, cum alterum sit ab hic hæc hoc, alterum ab is ea id. Reliqua pergamus. R A. A, ab, abs, præpositiones sunt: à quidem, consonantibus omnibus rectè præponitur, sed ab, rectissime liquidis. L A V. Estne hæc de imitando disciplina? Hæcne de eloquentia præceptio? an potius grãmaticæ, aut si uis elegantiæ, quod tradere non oratoriæ est? Nam (ut ait Quintilianus) docere uim cuiusq; uerbi si quod minus usitatum incidat, multũ infra rhetoris officium existimandum est. At si oratoriæ artis esset, non & alij hoc præceperunt, quod se unũ Raudensis præcipere ait? Nunc uideamus, an rectè præcipiat, quod certe non facit. Nam ab, non solum duabus liquidis rectè præponitur, r & l, sed etiam i cõsonanti. Vt Vergilius, Ab Ioue principium musæ. Nullã uerò aliarum consonantium amat. Abs autem non solũ t, præponitur, ut abs te: sed etiã q, & forte etiam c, ut in libris de elegantia diximus. R A. Cicero uerò persæpe ponit ex pro à uel ab. uerbi causa, si illum imitari uolueris, dices, aliquid ex Pompeio sciam, id est à Pompeio. L A V. Omisit Raudẽsis, quia etiã dicimus è Pompeio, quanquam hoc simile illi est, & præterea de Pompeio, ut Cicero, Audiebam adolescens de patre meo, id est à patre meo. R A. Ablatiuo utitur sæpius Cic. terminato in e, quàm in i. L A V. Quid ais? Nonne dicitur & à Cic. & ab omnibus, In illa infelici pugna, potius quàm infelice, ab illo infelici bello, in hoc felici certamine à potenti rege donatus sum. Itẽ ab antecedenti, à consequenti, à repugnanti, hoc mallem dixisses quando ablatiuus regitur absolute, tunc frequentius usurpari, e, ut Cicero, Afflante fortuna, flante austro, non flanti. Vergilius, Pluuia impendẽte recedunt. R A. Inuenies tamen hoc unum obseruatum ab ipso, ut semper ablatiuos comparationis terminet

A, ab, abs.

Cap. 29. lib. 2. E, de, ex. Vide cap. 66. lib. 3.

Ablatiui in e & i usus.

in c,

in e, non in i, uerbi gratia, diceret longiore uia, nõ uia longiori, prosperiore fortuna, non prosperiori, ut grammaticuli nostri dicunt. LAV. An non dicimus è contrario, sic semper, à maiori, à pari est hoc argumentum? Melius igitur dixisses comparatiua cum iunguntur generi fœmineo sæpius postulare, e. in alijs generibus sæpius i, ut nunc uiuimus meliore fortuna, commodiore ualetudine sum. Nam quòd ais Ciceronem dicere igni, non igne, Quid mirum? cum ablatiuum habeat hoc nomen in i potius quàm in e, sicut febris, & similia. Item pro uetere amicitia, dicendum esse pro ueteri amicitia, non probas quod ponis. Nam recte dicam, in ueteri templo, in ueteri domo, de ueteri urbe. Vnde illa urbs dicta est, à qua qui proficiscuntur, de urbe ueteri proficiscuntur, non de urbe uetere, & de ciuitate ueteri, non de ciuitate uetere mare intramus. RA. Accusare. LAV. Perduellis & perduellio non idem sunt, ut ait Raudensis: cum perduellis uocetur hostis, perduellio autem crimen aut læsæ reipublicæ aut læsæ maiestatis, siue is qui ita læsit. RA. Aduena. Deinde, Inquilini non permanent, sed aduenæ sic. Et iterum, Conuena idem, quod aduena. LAV. Inquilini non sunt, qui nõ permanent, sed qui in aliena & domo, & urbe habitant, aut saltem domo. Conuenæ qui ex diuersis populis, gentibusq; in una mœnia conuenere, simulq; coalescunt. Multa omitto, quæ à me in elegantijs tractata sunt. RA. Aduocatus. Deinde, Et aliqui in meum patrocinium inciderunt, id est aduocati fuerunt. LAV. Non hoc dicit Quintilianus, sed quòd ipse causarũ illarum fuit aduocatus, scribendumq; est aliquæ non aliqui. Hoc est aliquæ causæ, non aliqui aduocati. RA. Adulter. Deinde, Pellex id est adultera. LAV. Pellex est fœmina, quæ corpus miscet cum uiro alterius, non autem meretrix, ut in elegantijs dixi, improprie autem, ac præter naturam de puero dicitur concubino, illius qui uxorem habet, ut Cicero in Sal. Omnium cubiculorum pellex, &

Comparatiua in e & i.

Veteri.

Perduellis.

Perduellio.

Conuenæ.

Inquilini. Vide lib. 4. ca. 50.

Pellex. Vide cap. 49 lib. 6.

idem postea adulter. Id est puer lædebas alienas uxores, præripiens eis maritos, ut postea læsisti maritos, præripiēs eis uxores. RA. Affinis. LAV. Necessarij non affines tantum sunt, sed etiā amici, & quibus uti familiariter solemus, ut Cicero ait sibi cum equitibus Romanis necessitudinem esse. Tribulis autem non est (ut Raudensi placet) affinis, sed ex eadē tribu. ut Romæ erant quinq;, & triginta tribus, apud Hebræos autem duodecim, tredecim uiæ, & in ciuitate Aquileia nouem & uiginti. RA. Alacer. LAV. Non debet lettū scribi gemina t, ut Raudensis ait, sed lætum. nā diphthongo distinguetur à letum, quod mortē significat. RA. Alapa. LAV. Non recte hæc duo nomina distinguit, alapam & colaphum. Cum illud latinū, hoc Græcū sit. Ideoq; per ph scribendum, nam sola Græca, & quædam hebræa sic scribuntur. RA. Ala & pinna, quasi idem sunt. LAV. Aut penna scribendū est, aut errat noster autor. Pinna enim acutum significat, ut ait Quintilianus, unde pinnaculū templi, & pinnæ murorū. RA. Alicubi. LAV. Male exponit quoquam pro alicubi, cum quoquā sit aliquò, id est ad aliquam partem, locum uel. Alicubi uerò, in aliquo loco. Itē male aliquo pro alicubi eadē ratione. Item male alicūde pro alicubi, & necunde pro ne alicubi, cum illud sit ex aliquo loco, hoc autem, ne ex aliquo loco. Item male necubi pro nullibi, cum exponi debeat pro ne alicubi, id est ut non in aliquo loco. Quo in aduerbio ut hic præcipiendo labitur, ita quidam in utendo, quorum nomina à me hoc loco proferri malignum forte uideatur. Studiosi tamen inuenient, quod dico ratione. Nullibi autem an recte dicatur, Raudensis uiderit. RA. Aliqualiter. LAV. Non diserte exponit autor, nonnihil pro aliqualiter, cum deberet exponere pro aliquantulum. Aliud enim est quantum, aliud quale, sed nec latine dicitur aliqualiter, uel aliqualis, sed rustice, & barbare. RA. Aliquod. LAV. Miror interdū huius autoris ingenium, qui nesciat differentiam

Necessarij.
Tribulis.
Lætum. Letum.
Alapa. Colaphus.
Pinna.
Pinnaculum.
Quoquam.
Alicubi. Aliquo. Necunde. Alicunde. Necubi.
Nullibi.
Nonnihil.
Aliqualiter.
Aliqualis.

inter

inter aliquid, & aliquod, itemq; inter hoc uocabulum, & quidam, ac quoddam, nam aliquid substantiuum est, ut aliquid mirabile, aliquod boni. Rursus aliquod templū, aliquod ædificium, non aliquid templum, aliquid ædificiū, quippe adiectiuum est. 1tē quiddam pulchrum, quiddam boni, non quoddā, rursus quoddā templum, quoddam uolumen, non quiddā, cū illic sit substantiuū, hic adiectiuum. Præterea hæc duo siue pronomina, ut Donatus uult: siue nomina, ut Priscianus: sic differūt, ut illud superius significet rē incertum, posterius rem certā, ut aliquis uidit me fugientem, id est unus, quisquis ille sit, etiam si non unus, sed multi fuerunt. At quidā uidit me fugientem, uidelicet unus, quem ego scio, & quem ipse cognoui. Illud cum negatione fit uniuersale ferè, ut non uidit me aliquis fugientem, id est nullus me uidit, hoc non fit, ut, nō uidit me quidam fugientem, perinde est, ac si dicerem, Scipio nō uidit me fugientem, sed hæc latius in dialecticis nostris. Vllus idem est, quod aliquis, ut in eodem opere præcepimus, sed hac differentia, quòd nunquam usurpatur, nisi aut cum negatione aut interrogando, aut dubitando, aut nesciendo, ut non est ullus beatus in uita, est ne ullus beatus? dubito, nescioq;, an sit ullus beatus in uita. R A. Aliquando. L A V. Aliquoties etsi raro apud Ciceronem, tamen reperitur, ut pro Quintio, M. Iunius, qui hanc causam aliquoties apud te egit. Multoties, nescio an usquam repererim, sicut nec pluries, nec nullatenus, duntaxat usitate. R A. Amicitia inter bonos, fautio inter malos, à fautor, unde fautiosus fautiosa fautiosum, Sallustius inquit, Amicitia inter bonos, fautio inter malos. L A V. Factio dixit, non fautio. unde & factiosi dicuntur, ut sunt in Hispania principes Bandorum, & Genuæ capellatij dicuntur. Hoc uocabulum Augustinus de ciuitate dei exponit. R A. Animal. Deinde, Pullus est animal quodlibet nouellæ ætatis. L A V. Imò pullus est fœtus uel auium, ouaq; parien

Aliquid. Aliquod. Quiddam. Quoddam. Aliquis. Quidam. Vllus. Aliquoties. Multoties. Pluries. Nullatenus. Factio. Factiosi. Pullus. Vide 71. lib. 4

Catulus. Hinnulus. Camelus.

parientium, uel animalium non ferocium. Neque enim pullus dicitur leunculus, sed catulus leonis, ursi ue. Ceruorum uero, caprarumq;, ac capreolorum, similiūq; dicitur hinnulus. Camelus falsum est per geminum l scribi, interroga Græcos, unde uocabulum hoc fluxit. R A. Antiquus. Deinde, Situs est antiquitas.

Situs. Vide li. 6. ca. 25

L A V. Imò sordidus quidā humor in locis opacis & incultis, adhærēs parietibus, uel solo, ut in elegātijs dixi. R A. Appodiare. L A V. Hoc uerbum nusquā inueni. R A. Apotheca. L A V. Ergasterium, & ergastulum, nec idē sunt, & neutrum uere exponitur. Ergasteriū nescio an apud doctos inuenerim, nisi apud Gregorium, ideoq; de eo non dicam. Ergastulum autē, est quasi priuatus carcer, ubi seruos dominus, uel uinctos, uel solutos noctu includit, quosdam etiam interdiu, unde ad operas mane emittat. Apotheca est proprie uini, ut horreū proprie frumenti. Hinc Cicero in Philip. Apothecas uini obiecit Antonio. de taberna, & officina dixi in elegantijs. Tonstrina autem, nec taberna recte, nec officina dici potest, licet Raudensis officinam uocet. R A. Appropriare. L A V. Improprium uerbum est. R A. Aptus. L. Vt plurimū (quo aduerbio & Raudensis, & uulgo multi utuntur) existimamus esse apud ueteres non usitatum. R A. Aqua. Paulopost, Liuius ait, equos aquatum ibant, & aquatu ueniebāt. L A V. Vbi istud Liuius dixit bone Raudensis? Sæpe ex te fingis testimonia, quæ alteri tribuis, aquatu ueniebant, barbare dicitur, ut in elegantijs disputaui, aquatum ire, est ad capiendam aquam ire. R A. Hydraula (ut in legibus inueni) est aquam in aulam ferens. L A. Non occurrit mihi ad uerbum locus, quem Raudensis affert. Vitruuius uerò pro machina quadam simili tympano, seu molendino accipit, simulq; pro instrumento musico, quod organa uocant: licet proprie organa ex chordis constent. Nisi scriberemus potius hebraula, hoc est, à sesione tibiarum, quæ sol libus inflantur. R A. Acquirere, Paulopost, Vt pleniore obsequio demereret

Ergastulum.

Apotheca. Horreum. Cap. 44. lib. 4. Tonstrina.

Appropriare.

Vt plurimum.

Supina in u.

Aquatum ire. Hydraula.

Organa.

Digitized by Google

demererer amantißimos mei, id est acquirerem, uel lucrarer.
LAV. Si amantißimi mei sint, qui possum eos acquirere, ac lu-
crari? Et demereri est merito aliquo sibi alios constringere, & Demereri.
hoc intelligit Quintilianus, cuius ea uerba sunt. De hoc uerbo di Cap. 99. lib. 5.
xi in elegantijs. RA. Arbor sine fructu est, arbos cum fructu. Arbos.
LAV. Quasi nesciamus arbos quod ueteres dicebant, in arbor
esse mutatum, ut in alijs quibusdam, quod testatur Quintilianus
inquiens, Nam ut Valesij, & Fusij, in Valerios, Furiosq; uene-
runt, ita arbos, odos, uapos, etiam & clamos, id ætatis fuerunt.
RA. Arbusta etiam sunt poma sylueſtria. LAV. Imò sunt arbo Arbusta.
res multæ ad fructum consitæ, ut oliuetum, auellanetũ, amygda-
letum, uel uites arboribus applicitæ. RA. Arbutũ. LAV. Ex- Arbutus.
ponam ego apertius. Arbutus est arbor illa, quæ poma instar ce- Arbutum.
rasorum, seu fragorum fert, arbutum uerò, ipsum pomum. Ar-
bor pyrus, non pyri, & idem in cæteris. RA. Subter arborem
salicem, & non salicis, & subter arborem ficum, nec dixit fici.
LAV. Quid miraris Raudensis A. Gellium sic dixisse? quasi
cæteri aliter dixerint, aut aliter dicere possimus. Ramum enim
aut surculum, aut truncum, aut radicem arboris dicimus, quia Arbor laurus.
pars arboris est: arborem lauri non dicimus, sed arborem lau-
rum, quia laurus ipsa arbor tota est, non pars arboris, & ita in
similibus. Montem Caucasum, non Caucasi, collem Ianiculum, nõ
Ianiculi: nisi foret nomen hominis, ut montem Auentinum, &
montem Auentini: Auentinum quidem, quia hoc nomen montis: Mons Auẽtini.
Auentini uerò, quia rex ibi Auentinus sepultus est, & quasi nũc
locum illum possidet. Item urbem Mediolanum, urbem Placen-
tiam, urbem Romam, Non autem urbem Mediolani, Placentiæ, Vrbs Roma.
Romæ, nisi forte apud poẽtas, ut urbem Pataui apud Vergiliũ.
Cicero in Verrem actione quarta, Vt ex oppido Thermis nul-
lum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil ex pu-
blico attingens. Sallustius, Vrbem Romã sicuti ego accepi, &c.

Ideoq;

Ex urbe Florentia.

Ideoq; rectius dicimus, accepi literas ex urbe Messana, uenì ex urbe Florentia, quàm ex Messana, & ex Florentia. Nescioq; an probe dicamus ex Messana urbe, ex Florentia urbe. Item prouinciam Macedoniam, non Macedoniæ, continentem Galliam, non Galliæ. Insulam Siciliam, non Siciliæ, ut in oratione quã apud Alfonsum habui, latius disputaui. Item primum diem Decembris, calendas Ianuarij, nonas Februarij, idus Martij, Non autem mensem Decembris, Ianuarij, Februarij, Martij. sed mensem Decembrem, Ianuarium, Februarium, Martium. Dicimus etiam calendas, nonas, idus Ianuarias, Februarias, Martias, & ita in cæteris. Quia adiectiua sunt hæc nomina, non modo quæ sunt secundæ declinationis, sed etiam, quæ sunt tertiæ, ut calendas Septembres, nonarum Octobrium, idibus Nouembribus. Non mutant autem uocem hæc adiectiua à suis primitiuis, qualia nonnulla alia sunt, ut Domitianus exercitus id est Domitiani exercitus. R A. Ilice sub nigra, id est sub quercu. L A V. Ilex multum differt à quercu. R A. Armiger. Paulopost, Argyroaspidas, id est, aurata argentata arma ferentes. L A V. Imò qui argentata scuta. R A. Ars artis, sed ut imiteris nota, quod Cicero, & qui imitantur illum, non utuntur hoc uocabulo ars, sed illud subintellegunt. Vnde Suetonius dixit, funariam exercebat, nec dixit artem chordarum. L A V. Hoc ego aliter sentio. Nam si substantiua sunt, quid ais subintellegi artem? cum enim dico musicam, geometriam, medicinam, non subintellegi necesse est artem. Sin uerò adiectiua hæc, sine substantiuis esse non possunt, Quare magis sunt dicenda substantiua esse, & ideò non subintellegi artem, præsertim ea quæ artes dici non possunt, ut apud eundem in uita Cæsaris, Ne ue ij, qui pecuariam facerent. quod siquando artem experiamur adiunctam, dicamus tunc esse adiectiua. Sciamus tamen quædam non admittere substantiuum, quia semper ipsa substantiua sunt, ut sutrina, fullonica, aurificina,

Mensem Decembrem, non Decembris.

Ilex. Argyroaspidas.

Ars.

Pecuaria.

Digitized by Google

cina, architectonica, figulina, argentaria, si tamen argentaria ars est. Quædam sine substantiuis non solere esse. An non dicimus artem ludicram, quæ est histrionum? Artem armorum, quæ est gladiatorum, artem statuariam, artem tectoriam, artem amatoriam, artem gemmariam, uitrearíam, purpurariam, & mille huiusmodi? Illud uero bis barbare dictum est, artem chordarum, cum chorda sit musicis apta instrumentis, nec ad funarios pertineat. Præterea dicendum erat, artem chordarum faciendarum, non artem chordarum, sicut artem scalpendi marmoris, non autem artem marmoris. Quòd autem attulit exemplum Quintiliani, dicentis rhetoricen in latinum transferentes, cum oratoriam, tum oratricem nominauerunt, miror quippe cum reprehendat Quintilianus eos, qui ijs uocabulis utebantur. Præterea transferebant illi unum græcum uocabulum in unum latinum, quòd si subintellegi posset ars, non male dixissent oratoriam, aut artem oratricem. RA. Aliptes. LAV. Non est medicus plagarum, sed qui augendis uiribus, atque exercendis corporibus, ungendisq; præcipue athletarum præsunt, arteficio quodam præditi. RA. Asper. LAV. Non idem est scaber, & asper, ut ait Raudensis. Loricam enim contextam hamis, auroq; trilicem, asperam appellamus, non scabram. Rursus scabram, si fuerit rubiginosa, & ungues scabros, ac dentes uocamus, qui sordidi sunt, etiam si nõ asperi tactu. RA. Astutus. LAV. Hoc nomen deductum ab ἄστυ Græco nomine, quod oppidum, urbemq; significat, nõ à Græco oppido, ut ait Raudẽsis. RA. Scisti uti foro, id est astutus fuisti. LAV. Non planè uim huius prouerbij Raudensis exposuit, licet ego non legerim Donatum super Phormionem Terentij, ubi hæc uerba sunt. Nondũ enim in manus meas autor ille totus peruenire potuit. Ita à quibusdam tanquam sacer thesaurus, aut religiosum Palladium custoditur. Sed ita interpretor; Scire uti foro, cum forum significet locum

Artium substãtiua.

Chorda.

Aliptes.

Asper.

Scaber.

Astutus.

Scire uti foro.

Forum.

Digitized by Google

locum illum amplum, ubi & causæ publicæ aguntur, unde dicuntur causæ forenses, & res multæ, uariæq; uenduntur, unde fori boarium, forum holitorium, Itemq; fori Cornelij, forum Liuij, forum Iulij, Erit huius prouerbij significatio, scire uel accõmodare se ad mores iudicum, cæterorumq; hominum, nec opinioni illorum, studijsq; aduersari, uel in rebus contrahendis cauere, ne fallatur, ne uẽdat, emat ue, quod in alio foro melius, quàm in hoc uenderetur, emeretur ue. R A. Astrologia. Paulopost, Sed si uis seminare farrũ. L A V. Farrũ pro far dixit. Itẽ scorpionem pro scorpiũ, nã scorpius dicitur, nõ scorpio. Scorpionẽ enim dicimus (ut ait Marcellus) teli genus, & ita omnes utuntur, quidã etiam pro genere instrumẽti torquẽdi, ut in alio dixi opere. Idẽ, diuersimode, & alibi, omnimode, quod uerbũ nemo ueterũ scriptum reliquit. Astronomia hic dicẽda est nõ astrologia. Nã illa loquitur de cursu astrorũ, hæc de iudicijs ad uitam, fortunãq; pertinẽtibus. R A. Audax. Paulopost, Petulans, id est temerarius & audax, ui petẽdo lasciuus, & in loco audax dicitur. Infrunitus dicitur sine freno. L A V. Imõ petulans est aut libidinosus, aut ad iniuriã faciendã pronus, ut ferociores equi in imbecilliores, de quo nomine in elegantijs diximus. Lasciuus est tum in uita, tum in sermone molliculus, ac plus teneri, quã robusti, ac uirilis habẽs. Infrõnitus nõ dicitur homo sine freno, sed sine prudẽtia, scribẽdũq; per o, nõ per u, φρόνησις enim Græce prudentia est. R A. Ausim, nõ est pro audebo, sed pro audeã, ut nolim pro nõ uelim, nõ autẽ pro noluero. L A V. Mallem talia potius tradidisse, quale hoc est quosdã magnos uiros ecclesiasticos, qui dicãt, Siti periclitor, famæ periclitor: cũ docti potius finẽ periculi, quã causam cũ uerbo cõiungãt, ut uita, ut capite, ut fama, ut fortunis periclitor, id est, in periculo sum ista perdendi. R A. Auis, ales, pullus, præpes, quasi idẽ sunt. L A. Præpes nõ est auis, sed adiectiuũ ueloci tatem significans: ut apud Vergiliũ, Et præpetis omnia pennæ.

Farrum. Scorpius. Diuersimode. Omnimode. Astronomia. Astrologia. Petulans. Lasciuus. Infrunitus. Periclitor. Præpes.

Voluntq;

Voluntq; hoc nomine significari uelocitatem in altum uolãtis.
R. Attago attaginis est gallina syluestris. L. Attagen dicitur, Attagen
non attago, nec gallinam significat, sed francolinum, unde Ho-
rat. Non me Lucrina iuuerint conchylia, non attagen Ionicus.
Et Hieronymus (quem suum Raudensis appellat) attagen, & ficedula, Martialis genere fœminino, & prima declinatione posuit in Xenijs. Intus sapores fertur alitum primus Ionicarũ
gustus attagenarum. R. Altilia. L. Non tantum capones pin- Altilia
gues (ut nostro autori placet) sed gallinæ quoq; & anseres,
& anates, & turtures, quinetiam sues, & quicquid domi uel
in uillis, uel i uiuarijs saginatur. R. Coturnix, & perdix, quasi Coturnix
idem sunt. L. Imò coturnix est auis, quam quidam uulgo qualiã Nycticorax
uocant. Nycticorax est bubo: Hieronymus idem ait quod no-
ctua. R. Auisare. Sordidum uerbum, nec dignum de quo scribe Auisare
retur, quippe quo nemo ueterum usus est, quodq; ratio gram-
maticæ improbat, & auisere diceretur, nõ auisare. R. Auxiliũ.
Paulopost, Præsidiũ est, quod est loco utili positum. L. Ieiune, Præsidium
obscureq; exposuit, nam saltem (ut breuissime dicam) hunc in
modum debuisset exponere: Præsidium est auxilium quod præ
statur alicui, & præsertim quod satis ad defensionem uidetur
fore, ac primas pugnæ partes posse sustinere. Nam quod ad suc
currendũ uenit, magis subsidiũ dicitur. Præsidiũ quoq; est ma Subsidium
nus armatorum hominũ, alicui tuendo loco imposita, ut sæpe le
gimus præsidiũ Annibalis Capua, Tarẽto, Rhegio pulsum est.
R. Baptizare. Statimq; Catechizare est baptizandum docere. Catechiso
L. Catechizare est quidem docere, sed non solũmodo illum qui Græce est
baptizandus est, ut Paulus, Cõmunicet qui catechizatur ei, qui κατηχέω
se catechizat, id est qui docetur ei qui se docet, de baptizatis id est erudio.
uidelicet, nõ de baptizãdis. Nã ab re fuisset iubere his, ut mu-
nera præceptoribus tribuant, cũ ambiguũ sit, an baptizari ue-
lint. Præterea de omnibus nostræ religionis præceptoribus, ac

discipulis apostolus loquitur. Quod uocabulum nõnũquã alibi reperimus, ut in principio Lucæ, Vt cognoscas eorũ uerborũ, de quibus eruditus es, ueritatẽ. Eruditus, id est catechizatus. Et alibi, De quibus didicerũt de te, quòd doces discessionẽ à Mose, didicerunt, id est catechizati sunt. De illo mallẽ uerbo sacræ

Eruo

scripturæ locutus esset, Erue me ab inimicis meis. quo uerbo, nisi in malam partẽ, uti nõ solemus, ut erue oculos meos. Erue

Thermæ Balneæ

autem me à periculo, inusitatũ est. R. *Balneum.* L. *Et balneas, & thermas (licet alterũ Latinũ sit, alterũ Græcum) tamen in hoc scilicet differre dicamus, quòd in thermis tantum calefaciuntur, in balneis etiã lauamur. Nam & Baijs, & in multis alijs regionibus, sunt loca quædã sicca, quæ nos uehemẽti calore resoluunt in sudorẽ, quæ nequaq̃ balneæ dici possunt, quia nõ lauãt, sed potius ut necesse lauari, atq; ablui habeamus, efficiũt: ut thermas uocemus, quæ natura sunt calidæ, balneas uerò etiam, quæ à nobis calefaciũtur igni. Nam & Græce βαλανεῖον di-*

Popina

citur. R. *Popina apud nos corrupte dicitur p propina.* L. *Neq;*

Propino

corrupte dicitur, neq; hoc significat. Nam propina nõ inuenitur, sed propinare, quod à Græco sumpsimus in significatione, quæ est alteri uinum cratere infusum manu tua porrigere. Popina autẽ est, ubi uel publice obsonia, caroq; cocta, ac delicate confecta, uenditatur, comeditur q̃: uel priuatim, ubi gulosa familia extraordinarie ligurire, helluari consueuit, siue ipse (qualem

Bancalia Peristro. Peripetasmata Aulæa Insignia Barbitonsor

dixi) cibus. R. *Bancalia.* L. *Illiteratum uocabulum. Dicuntur enim peristromata, siue peripetasmata, siue aulæa, siue insignia, quanquam hæc nonnihil inter se differunt.* R. *Barba.* L. *Barbitonsor non est nomen dignum quo utamur, quo tamen utitur*

Capillus Ad

Raudensis. Idẽ ait capillum significare barbam, & quencunq; pilum, cum tamen dicamus capillũ pro capitis pilo. Idem alibi dicit pilos ad genas, quod est pilos in genis, cum Ad, significet propinquitatem loci, non autem in loco. R. *Bellum.* L. *Autor*

hic

Digitized by Google

hic imitationũ (cum ait pro induciæ treugæ) facit, ut se nequaquam imitari uelimus, quos barbarismos frequẽter admittit. Vt hoc eodem loco, Portitores signorum, quod alibi etiã facit: cũ portitores sint custodes portus, uel ripæ, pontisq;, qui præsertim uectigal loci illius à transeuntibus applicãtibus ue exigũt. Portitor

R. Bibere. Paulopost, Fecem ex uuaceis expressam, quam uulgariter Insubres poscam appellamus. L. Latine dicimus pusca, uinum in torculari aqua mixtum, ut aliqui uolunt, apud Plin. uerò, Varronemq;, & alios, lora dicitur. Nam hæc Varronis uerba sunt, Expressi acinorum folliculi, in dolia conijciuntur, eoq; aqua additur, ea uocatur lora, quòd lota acina. R. Crudũ epulum. L. Non recte epulum pro epulas dixit, de hoc in elegantijs diximus. R. Blasphemare. L. Hoc Græcum uerbũ est, significãs nõ execrari, ut autor uidetur significare, siue (ut suo uerbo utar) maledicere, sed uerbis cõtumeliam facere, dignitatiq; alterius, honoriq; derogare. R. Bonus, bellus. L. Multa quæ ad eiusdem uocabuli expositionẽ pertinent, autor omittit, & hoc ferè ubiq;: quæ omnia supplere, alienum est à nostro proposito, utpote nimis longũ futurum, hoc autẽ loco de bellus non siluerim fuisse etiam dicendũ, Hoc quoq; uocabulo significari pulchrũ, ut bellus puer, bella puella, bellũ corpus, quæ exẽpla sunt plurima apud Catullũ, Tibullũ, Propertiũ, Oui. Marti. & alios cõplures. R. Brachæ. L. Fœminalia prius dicit, deide nominat fœmoralia. Scimus tamẽ horũ (si utrũq; nomẽ inuenitur) fœminalia, nõ à fœminis, sed à fœminibus dicta, quæ, penè idẽ, quod fœmora sunt, quas partes, quia brachæ uelant, dicta sunt fœminalia, uel fœmoralia. Saraballa q̃d attinebat exponere, cũ sit chaldaicũ nomẽ, ut Hieronymus ait, imitãda, p brachis nemo, nisi nõ ferẽs brachas dixit. R. Bracchiũ scribitur per duplex c. L. An uerum sit, Græcos interroga. R. Alæ & ascellæ idem sunt. L. Poëtæ appellãt locũ illũ concauũ subter brachiũ Cap. 23. lib. 4. Pusca Lora Blasphemo Bellus Brachæ Fœminalia Fœmoralia Saraballa Brachium

Ala Axilla alam, quia in eo pili, quasi pĕnæ nascuntur. Proprie tamĕ uocatur axilla, non ascella, ut ait Cicero in Oratore, diminutiuũ faciens ab ala, ut maxilla à mala, & paxillus à palus. R. Cacare.

Cloacæ. Paulopost, Cloacæ sunt in quas publica stercora fluũt. L. Imò uiæ illæ subterraneæ parietibus, in modũ aquæductuũ munitæ, per quas aquæ pluuiæ extra urbem, uel in fluuium dilabuntur.

Saltus R. Campus. Paulopost, Sed saltus est campi spacium. L. Imò sylua densior, aut in qua pecora æstiuare, aut hybernare consueuerunt, exemplis plena sunt omnia. R. Canto. Paulopost,

Exodia Sunt enim exodia, cantilenæ ludicræ, & scurriles in scenis. L. Nonius exponit pro fine hoc nomen, cur tu de Nonio nõ facis mentionem? Nam hoc uocabulũ nisi alio exponente scire possumus. Quod si alius exponit, nos iterũ inculcare minime debe-

Nænia mus, id quod in toto tuo opere facis. R. Nenia est cãtus factus homini non habenti propinquos, per mulierem ibidĕ adductã. L. Quanto melius Quintilianus, Tertius est huic diuersus modus, cum res cõmunis pluribus in uno aliquo habet nomĕ eximium, ut carmĕ funebre proprie nænia. At cur addidit Raudĕsis, homini non habĕti propinquos, cum magis hoc talibus fiat, quàm obsequio propinquorum destitutis? sciamus tamĕ improprie nænia accipi pro ineptia cuiuslibet cantus, aut sermonis.

Ibidem Illuc Etiam minus grãmatice locutus est, ibidĕ pro illuc, cũ ibidĕ significet in loco, illuc uerò ad locũ. R. Candelæ. Paulopost, Se-

Seuum Canistrũ Charta patus id est cũ sepo. L. Seuũ dicitur, nõ sepũ, lege Plinii. R. Canister. L. Canistrũ dicitur, nõ canister. R. Cartha per h, scribi debet. L. Verum est, sed aliter, hoc est in prima, nõ secunda

Chirographus syllaba sic, charta. R. Chirografus. L. Hoc quoq; aliter scribĕdum est, sic chirographus, & aliud significat, id est scripturam manu propria, nec etiã debitoris, lege elegãtias. R. Mĕbrana

Membrana. Dica est cartha, similiter & dica. L. Imò membrana est pergamena charta. Dica uerò actio, è Græco sumptum, Vt Terentius in

Phor.

Digitized by Google

Phor. Scribam tibi dicam. Et Cicero in Verrem actione quarta, Scribitur Hæraclio dica. R. Cassius. L. Minus recte exponitur cœlebs, ac cœlibatus pro pudico, ac pudicitia. Est enim cœlebs, qui non est maritus, cœlibatus autem eodē modo dicitur, non matrimonium, pluresq; in cœlibatu sunt impudici, quàm in matrimonio, de hoc etiam in elegātijs. R. Cassius. Deinde, Vicē alterius dolere, est casum illius dolere. L. Recte, sed nō tamen omnino. Nam cum propter alterius uitium, peccatumq; doleo, non casum illius doleo. Non enim est casus, sed uitiū. R. Caue te ab illo. L. Hoc nō recte dicitur cū accusatiuo. Præterea caue facias, & caue ne facias, idem sunt, quod autor negat, ut apud Teren. Caue ne tristem sentiat, id est, caue tristem sentiat. Qui hæc tam clara nō prouident, quomodo cernerent illa obscuriora? quorum unū hoc sit exemplū, Scio multa genera salsamētorum, potius quàm, scio multorū generum salsamenta. Rursus, scio facere multorū generum salsamenta, potius, quàm scio facere multa genera salsamētorum. Illud quoq; poterat addere (qđ huic loco simillimum est) licet, ferè non accipere post se, ut: uel uti apud Verg. Casta licet patrium seruet Proserpina limen. Et Quintilianū, Nusquam prodest, nusquam opus est, iam licet uendas. Cicero pro Cælio, Quò omnis iuuentus natandi causa uenit. Hic licet conditiones quotidie legas, cur huic qui te spernit, molesta es? R. A. Cœnare. Deinde, Opsonium per p, scribi debet, & est id quod post cœnam, aut ante somnium sumitur. L. In hac etiam scriptione obsonij (nam per b scribi debet) & diffinitione dißentio. Nam puto esse quicquid carnis, piscis ue ultra panem, pulmentumq; comedimus. R. Cæcus. In fine, Cæcutiens, est parum uidens, idem & luscus. L. Vt idem sit cæcutiens, quod ait Raudensis (quod omnino non concedo) certe luscus est, qui altero oculo caret, non qui parum uidet, qualis fuit Antigonus, Philippus, Annibal, de quo Iuuenalis, Portaret

Cœlebs

Dolere uicem

Caueo

Scio genera & facio &c.

Licet non habet post se, ut.

Obsonium

Cæcutiens Luscus

Digitized by Google

belua luscum. Et nos in elegantijs. R. *Censores. Circa mediũ, Quid dicam, quàm leuißimis ex causis censoria urere nota cõsueuerunt.* L. *Ineleganter usus est, quam pro quantum cum superlatiuo. Nec longe post,* R. *Ridiculose.* L. *Inusitate dixit pro ridicule. Plurima à Raudensi præcipiũtur in propria, quæ idcirco prætermitto, quia ab opere meo de elegantia linguæ latinæ satis, abundeq; confutantur, cum aliter tradantur.* RA. *Certare. Paulopost, Est enim agonotheta, qui certaminibus præest.* L. *Si sciret autor, quid agonotheta significat, debuerat dicere eum esse, qui præmium certantibus in quolibet ludorum genere proponit, qualis Aeneas apud Vergilium, qualisq; Achilles apud Homerum. Est autem Græcum nomen.* R. *Circundo. Paulopost, Tantum telluris obiuit, id est circundedit.* LAV. *Imò circuiuit Hercules terram non circundedit.* R. *Circulus. Statimq;. Est planities rotunda, ut est sphæra, & staminum glomera.* LAV. *Sphæra, non est plana, sed globosa, & à geometris planities, siue figura plana, à solida qualis est sphæra, distinguitur.* R. *Cito.* LAV. *Quantotius (ut ait Raud.) significare quàm primum, tunc credam, cum apud doctum aliquem inuenero (si modo inueniri potest) quod contra rationem latinitatis est, ut ex elegantijs liquet.* RA. *Parumper, id est cito, uelociter.* LAV. *Ego sentio idem esse quod paulisper id est per aliquantulum tempus.* RAV. *Clamare, deinde mouere tragœdias, est mouere exclamationes & exclamare.* LAV. *Affertq; exemplum Quintiliani, sed neq; apud Quintilianum, neq; apud Ciceronem in hanc significationem inuenitur. Imò rem uerbis atrocem magis, & indignam efficere, quale est opus tragicorum de rebus atrocibus semper, mœstisq; loquentium: sicut econtrario, comœdias agere, siue comœdiari, pro ridicule, ac dicaciter loqui apud Aristophanem, & alios nonnullos Græcorum.* R. *Cognoscere. Deinde, Nosse imperatiuus*

Quam Ridicule

Agonitheta

Obire Circuire

Sphæra

Quantotius

Parumper Paulisper

Mouere tragœdias

Comedias agere Comediari

tiuus est de noſco, uel est per ſyncopam præteriti pluſquã perfecti temporis. L. Mirũ, quòd ita in minimis erret. Noſce enim, imperatiui est: noſſe uerò infinitiui pro nouiſſe à noſco, ſiue à noui. RAV. Omnes ignoſcunt, nemo ſuccurrit, id est noſcunt. L. Male Senecam interpretatur, cum ille hoc dicat, Omnes quidem miſereri infelicium, ſed tamen eis ſuccurrere neminem. R. Collum, ceruix, iugulus, idem ſunt. L. Imo diuerſum, lege noſtrum opus de elegantia. R. Plinius dixit, Minando cuidam, uideo iugulum, id est collum. L. Non in iſtum ſenſum locutus est Plinius, refert enim uerba Reguli cuiuſdam peßimi oratoris, non minantis, ſed iactãtis ſe non terere tempus in orando, more aliorum circa inania argumenta: ſtatim enim uidere iugulum, ubi infigat gladium, id est anteriorem partem colli ſuper malam: uidelicet locum ſanè morti obnoxium: quia inciſis illis uenis, ſtatim quis moritur. Hoc metaphorice dictum est, quòd ſtatim uideat locum eſſe, quo percuſſo, ac iugulato, pars aduerſarij pereat. R. Componere. L. Non idem est ſoluere pecuniã, & diſſoluere. Dicimus enim contractum æs alienum diſſoluit, id est contractum debitum diſſoluit: nec idem curatum & procuratum. Nec idem poſuit, quod propoſuit. Nec idem protulit, & tulit. Nec idem orauit, & adorauit, ut autor hic ait. RA. Comœdia. LA. Autor uidetur neſcire togam eſſe ueſtem Romanorum, ut pallium, ueſtem Græcorum. Et togatas eſſe comœdias, non è Græco traductas, ſed à Romanis, Latiniſq; cõpoſitas. Qua in re Afranius princeps est, licet demortua ſint & eius, & cæterorum opera. Etenim omnes, aut ferè omnes ſummorum comicorum libri è Græco traducti ſunt, Cæcilij, Plauti, Terentij, eoq; non fuit Rudenſi dicendum, fuiſſe Plautum maximũ fabularũ inuentorem, nam (ut taceã Græcos comicos, qui & tempore, & ingenio ſuperiores ſunt, ut Menãder) certe Afranius, et alij ſimiles magis inuẽtores, quàm Cæcilius,

Noſce Noſſe

Cap. 36. lib. 4.

Iugulus Iugulum uidere.

Diſſoluere.

Toga Pallium

Comœdiæ togatæ.

Digitized by Google

Plautus, Terentius dicendi sunt, qui ipsi inuenerunt nō transtulerunt. Præterea cur Raudensis ait Plauti comœdias præter illas octo, quæ prius extabant, non esse Plauti? nimirum eas nondum uidit, quæ nihilo inferioris gratiæ, & eloquētiæ sunt, quàm cæteræ. Sed hoc diuinare fuit, illud uerò dormire. Nam uigilans, nō dixisset, dum præponere Plauto Terentium uult, In argumentum familiaritatem Ciceronis affert, quòd dicat Ciceronem fateri illum familiarē suum esse, quod non Cicero, sed apud Ciceronē Lælius dixit, si unquā tamē ille hæc dixit. Eodē modo peccauit Beneuenutus, qui motam à se quæstionē, qua Cicero dicat in Catone maiori, Flaminiū à se è senatu eiectum, et Valerium Maximū à Catone, sic soluit, Ciceronē Catonemq; unà censores fuisse, nec intelligit nō Ciceronem hoc dicere, sed Catonem in opere, quod illius nomine Cicero inscripsit, quod si Lælio, ac Scipioni familiaris Terentius fuit, sciat Raudēsis hoc nihil adiuuare Terētium, nam dicitur Scipio magis, q̄. Terentius illas comœdias fecisse. R. Comparare, conferre, contendere, quidam ait, illi suam uitam mecū contēdunt, id est cōparant.

Contendere

L. Barbare ille, si quis fuit, locutus est, adijciens accusatiuum uerbo contendunt. Si hoc tradidisses, rectius fecisses, Quod cæteri dicunt, tu es magis audax, quàm fortis: doctiores solere dicere, tu es audacior, quàm fortior, & ita in cæteris. R. Commentaria. Paulopost, Commentarium est locus ubi cōmenta pronuntur. L. Proba. R. Commodum. Paulopost, Tempus meum amicorum temporibus committendum putaui, id est commodis. L. Imò periculis, laboribus, difficultatibus. Sic enim Cicero, eius hæc uerba sunt, loquitur, ut tempora aut sua, aut amicorum pericula, difficultatesq; intelligat, & hoc loco significat se aduocatum fuisse, non omnium, sed amicorum, ne quis eum putet rabulam, ac litigiosum, & aduocatū accusatorum, actorumq;, non reorum, quia deforme est, ut Cicero quoq; ipse testatur

Magis audax.

Commentariū. Tempus

testatur, accusatoriam uitam uiuere, & homines in periculum uitæ, ac fortunarum frequenter uocare. R. Terentius ait, in tẽpore redijt, id est, q̃ cõmode. L. Raudensis præcipit, quàm, nõ nisi cũ superlatiuo debere coniungi, & ipse cũ positiuo iungit: quod non faceret, si inuentor ipse huius elegantiæ esset, & nõ ab auditoribus meis audisset. R. Cõpensare. Et statim, Pensitanda sibi ista res, id est, compensanda. L. Imò ualde ponderanda, examinandaq;. R. Consilium. Paulo post, Est etiã cõsultus, qui consilium petit. L. Proba, nam econtrario potius consultorem Sallustius dixit, pro eo, qui consilium dat, cum sit proprie, qui consilium petit. R. Alium tamen, quàm consulerem uirum rogari fas fuisse negãt, ex qua sanè consuetudine Iulius Cæsar Catonem sententiã rogauit. L. Labitur Raudensis in cognitione historiæ, nõ enim consularis fuit Cato posterior, id est, qui cõsulatum gesserit, ideoq; post pugnam Pharsalicã, uoluit reliquias exercitus (quas collegerat) Ciceroni tradere, consulari, nõ consularis. Vt apud ipsum Ciceronem in Philippicis: Qui uerò prætorij, quorũ princeps omnium Cato, idemq; omnium gentium uti iure princeps. R. Cõuiuium. Deinde uerba Senecæ subdit, Nam sine amico uisceratio leonis, ac lupi uita est, uisceratio, ait, repletio. L. Non ait Seneca uiscerationẽ pro repletione, sed conuiuium, quod ex uisceribus, id est, ex carne, multis datum sine suauitate amicorũ, simile esse comestioni leoninæ, aut lupinæ, quia quodammodo caro tanquam feris deuoranda, apponitur, ut unusquisq;, quod uult rapiat, cibi, tantũ ac saginæ memor. R. Contra. Paulo post, Quintilianus dixit euerso, id est, econtra. L. Non hoc dixit Quintil. sed ediuerso, Nec Raudensis exponit latine econtra (quod nõ inuenitur) sed econtrario. R. Contentor. L. Non est uerbum latinũ. R. Cooperio. Paulo post, Operto capite, id est, discooperto. L. Verus sensus est huic expositioni contrarius. R. Chorea.

Quam

Pensitandum

Consultus

Consultor Aeneid. 3.

Inconsulti abeũt passiue capitur.

Visceratio

Econtra
Econtrario
Ediuerso
Contentor
Cooperio

Digitized by Google

Choraules

Aulœdus

Conopœum

Specula

Custodire
Excubiæ

Areopagus

Curia

Vbi pro quo

Paulo post, Choraules, id est princeps, ac magister choreæ rit. L. Imò, qui tibijs ad choreas canit. Nam αὐλὸς Græce, tibia latine, unde apud nos usitatum nomen pro latino aulœdus, & Cic. Qui citharœdi esse nõ possunt, aulœdi fiunt. R. Cortina, aulœum, conopœum. L. Quare non distinguat uocabulorũ significata Raudensis, ipse uiderit. Vnum enim exponam. Conopœum est papilio ille, qui thoro circundatur ad arcendos culices, κώνωψ enim Græce, latine culex. R. Custodire. Paulo post, Specula, locus editus, scilicet magis ad uidendum quàm ad custodiendum. L. Imò ad custodiendum potius: nec locus editus, nisi cum ex eo speculamur, an hostes ueniant, trãseant ue, an maneant, quot sint, & quæ sunt id genus, quod ipsum ego appello custodire, arbor nonnunquam prominens, ac porrecta pertica uicẽ hanc præbet. R. Excubijs, id est, uigilijs noctis. L. Imò diei, ut in elegantijs diximus. R. Curia. Deinde, Ario pagus locus Athenis ubi sapientes conueniebant. L. Imò locus iudicum, qui à Solone erant instituti. Non afferam exẽpla Græca cõtra hominem latinum. Cicero in Philip. ita ait: Quæro igitur, si Lisiades citatur, iudex non respondeat, excusetur q; Areopagites esse, nec debeat eodem tempore Romæ, & Athenis res iudicare, accipiet ne excusationẽ is, qui quæstioni præerit? Græculi iudicis modo togati, modo palliati, Athenien siũ ne antiquissimas leges negliget. Quidam interpretantur hoc nomen ab ἄρης, quod est uirtus, quod falsum est, nam uirtus dicitur ἀρετὴ, ἄρης uerò Mars. Ob hunc errorem, puto istos existimasse hunc esse locum sapientum, ac philosophantum, ut in alio dixi opere. Curia solum dicitur locus consilij, ergo curia regis, aut curia papæ non recte dicitur, nisi pro loco consilij publici. Autor etiam dixit ubi conueniebant, pro quò conueniebant. R. Cum, si tempus significat, scribi debet per c, ut, cum fueris Romæ. Si uerò comitem significat, debet scribi

per

Digitized by Google

per q, & duas uu, ut, quum principe erat. L. Non ita scriptum reliquit Quintilianus, quem Raudensis affert, sed sic. Cum, si tempus significaret per q, si comitem, per c, ac duas sequentes scriberetur, duas literas dixit sequentes, non duas uu. Neq; enim dixisset duas uu: sed duplicem, siue geminam uu. Ergo si de duabus literis sequentibus locutus est, palàm est de sequentibus c literam non q, in secunda parte locutum esse. Nam q, tres literæ sequerẽtur, & ob id Raudensem in utroq; contrarium tradidisse. R. Damnum fit ex tempore, iactura quidem de industria, ut proijcere merces in mare. L. Proba, ut credamus. R. Decipio. L. Versura nõ est deceptio, ut hic autor ait, qui cur à Pompeio Festo recedat, non uideo, dicẽte: Versuram facere, mutuatam pecuniam soluere ex eo dictũ est, quòd initio, qui mutuabantur ab alijs, non ut domũ ferrẽt, sed ut alijs soluerent, uel ut uerterent creditorẽ. R. Defectus. Deinde, quidam dixit, ex uitio tuo hoc profiteri uidetur, id est, ex defectu. Et paulopost: Quispiam cum dicere uellet, id defectuosius esse uidetur, dixit, culpatius. L. Impolite locutus est defectuosius, imò improprie, nam defectus est (ut sic dicã) penuria, non uitium, aut morbus, aut culpa, ut defectu ciborũ, siue defectu cibi dedimus nos hostibus. Item dixit inusitate, quispiã pro quidam, & hoc frequenter etiam in plus se habet. Item nõ longe antè dixit, pariformiter, quod nõ inuenitur. R. Delectare. Paulopost, Cic. in Tusculanis: Item delectatio extrinseca, uoluptas intrinseca. L. Non Cicero hæc ait, sed Leonardus Aretinus in procœmio Ethicorum Aristotelis, ab eo traductorum. Qui uerè fortasse dixisset, si delecto tantum reperiretur, & non etiam delector deponens, & delectat impersonale, & sanè hoc nomen delectator, siue oblectator uidetur frequentius significare (ut grammaticorum uerbis utar) passionem innatam, quàm actionẽ in alterum. Nescio, an intrinsecus & extrinsecus

Cum Quum

Versuram facere

Defectus

Pariformiter

Delector Delectat Delectator

Intrinsecus Extrinsecus

nomen

Internus. Externus. Lautitia. Lautus.

nomen reperiatur. Internus, & externus magis dicitur. R. Delicatius. In fine, Dicitur etiã lautitius. L. Lautitia inuenitur, non lautitius, sed lautus pro homine diuite, ac nitidam, splendidamq; uitam agẽte, tum in ueſtitu, tum in uictu. R. Deſpicere. Paulopoſt, Terentius inquit, parui curauit illũ. L. Hoc nõ inueni apud Terentium: niſi forte Raudenſis in illis Terentij comœdijs legit, quæ naufragio interciderũt. R. Dæmon. Paulopoſt, Energuminus eſt, qui à dæmonio arguitur. L. Græcũ nomen eſt. Et ideò ab arguo nõ cõponitur, ſed ab ἐνεργέω, quod latine dicitur agor, id eſt agitor. R. Diabolus deorſum urens apud Hebræos. L. Græcũ nomen eſt, nõ Hebræum, ſignificatq; criminatorẽ. R. Deſiderare. L. Non eſt geſtire (ut hic ait) idem quod deſiderare, ſed quod lætari, ſiue lætitiã oſtendere, ipſo etiã corporis geſtu, ut Cicero quoq; diffinit in Tuſculanis. Autor hic frequentiſſime ait, alter dixit, pro alius dixit. R. Verſificator quiſpiam ſic deſideranter ſcribebat, O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos. L. Aut ignorat hũc uerſum eſſe Vergilij in octauo: aut cõtumelioſus eſt in ſummum poëtarum latinorũ, quẽ appellat uerſificatorẽ quendã. R. Cõcupiſcuntur quæ habentur, & quæ nõ habẽtur. L. Hoc rerũ natura non recipit, quod enim quis habet, qui poteſt id concupiſcere? R. Terentius, Sed ceſſo ire intro? id eſt deſidero. L. Imò quid moror, aut quid negligo ire intro, eſt enim dictum illud ceſſo, interrogatiue: ergo nõ poteſt ſignificare deſidero. R. Detrahere. Deinde, Quintil. ait: Sic nec mirũ, cum id inter opices quoq; uulgatum ſit, id eſt, corroſores. L. Opifices ait Quintil. nõ opices, nec de corroſoribus ille locus loquitur, nec qui ſint corroſores, intelligo, R. Cornicũ (ut dicitur) oculos configere, id eſt, æmulorũ. L. Hoc prouerbio & Cicero pro Murena, proq; Flacco, & Hieronymus in quodã prologo utitur, neuter accipiẽs cornicũ pro æmulorũ, ſed pro eorũ, qui ſe ſapien

Energuminus.

Diabolus.

Geſtire.

Concupiſci.

Ceſſo.

Opifices. Corroſores. Cornicum oculos configere.

Digitized by Google

ſapientiores, & duces aliorum cenſent, ac uideri uolunt. Nam cornix dicitur dux auium eſſe. Lege & eius naturã, & de illa fabulam. R. Diluuium. Paulopoſt, Diluuium ſic fit ex igne, ſi cut ex aqua. L. Negatur, quòd ſi quis afferat Vergilianum illud, Diluuio ex illo diuerſa per æquora uecti. Metaphorice dixit Vergilius euerſionẽ Troiæ diluuiũ. R. Itẽ alluuiones ſunt mixtiones uicinorũ agrorum, ita ut uix quo fuerant, termini, agnoſci poſſint. L. Obſcure diffinit, nõ addens uiolẽtia aquarum, uel fluuialium, uel pluuialium, ſimiliumq;, quæ alluuio nõ tantum agros cõfundit, ſed nõnunquam eripit, nonnunquã ſunditus deſtruit. Ad hoc autor dixit, quo fuerant, pro ubi fuerãt, ſicut ſuperius ubi, pro quo. R. Diffinire. L. Non tibi aſſentior, idem eſſe dicẽti definire, & diffinire, eſt enim definire terminare & quaſi finẽ dare. Diffinire autẽ hoc ab illo, quaſi diſpertiendo diſtinguere, unde diffinitio uocata eſt, nõ definitio, qua in diſputando uti ſolemus. Et eſſe infinite, ac definite, id eſt certum finẽ habentes, mallẽ dixiſſet. Diuido tecũ, eſt partior, ſiue cõmuniter tecum habeo, ut Quintil. in apibus, Num æqua portione cũ ſceleratis terras diuiſimus? Vergilius, Diuiſum imperiũ cũ Ioue Cæſar habet. R. Dies eſt præſentia ſolis dictũ. Cicero dixit pro maiori parte ſingulos dies, non ſingulis diebus. L. Quid de uno uocabulo attinet loqui, & non uniuerſum? ut melius apud Seruiũ ſit, qui ait, accuſatiuo magis uſos, quàm ablatiuo, ut unã noctem, unũ diem, ſeptem menſes, decem annos. Verũ quis primis labris eruditionẽ attigit, q̃ dicat pro maiore parte, pro eo, quod eſt plerunq;, ſiue ferè, ſiue frequentius, nedum hic magiſter elegantiæ? An ſit hoc turpius, neſcio dixiſſe pridie pro præterito die, quod nemo antea dixit. Ego tamen in alio opere ſcripſi quot menſibus, pro ſingulis mẽſibus dici nõ poſſe, ubi de uſu dixi, & conſuetudine. Nam etſi Terẽtius Varro hoc uocabulũ aliquoties uſurpat, neſcio tamen an

Diluuium. Alluuio. Definio. Diffinio. Diuido. Accuſatiuus temporis. Pro maiori parte. Fere. Quot mẽſibus.

Digitized by Google

Multo mane Prima luce

alij eorum(quos legimus)utantur. R. Multo mane,multa nocte. L. Multo mane,non memini me legisse,dicimus enim prima luce,ante lucem,multo ante lucem,& multa luce, ut apud Curtium,Parmenon ad Alexandrum, Multa, inquit, lux est.

Quinto die quam &c.

R. Quinto die,quàm à senatu recederẽt,id est,per quinq; dies ante. L. Imò per quinque dies post,ut Liuius lib. XXI. Octauo mense,quàm cœptum oppugnari,captum Saguntum quidã scripsere, inde Carthaginem nouã in hyberna Annibalem cõcessisse,quinto deinde mense quàm à Carthagine profectus sit, in Italiam peruenisse.

Infra Intra

R. Infra tres dies. P. Inerudite dixit, dicendũ enim est intra,infra nãq; subter significat.

Dicax

R. Dicere. Deinde, Dicax, qui multa dicit. L. Cicero, Quintilianusq; aiunt esse dicacem hominẽ,cũ risu aliquos incessentem,mordẽtemq;,& hic nonnunquam,& alij quidẽ,dicto accipiũt pro dicto,ut tuæ literæ dictabant,sed non rite utuntur.

Dicto Dico

Dicunt epistolæ,uel dictitant,hoc est,tu in epistolis dicis,seu dictitas, sed in hunc errorẽ inciderũt,quòd reperiunt,ratio dictat,quod est frequentissimum,& quale est illud Plinianũ in epistola quadã, O sylua,ò litus quàm multa cõponitis,quàm multa dictatis.

Ratio dictat

Et illud Bœotij:Ecce mihi laceræ dictant scribẽda camœnæ.Verũ hic manifesta ratio subest,nam camœnæ,litus,ac solitudo,tacite nobis suggerũt,quod scribamus,ita & ratio loquitur,quod nos scribendũ putemus,& indignatio dictat, quod in alterum effundamus.

Discerno Secerno

R. Discerno. L. Non est,ut hic ait,discernere in duas partes,secernere uerò in multas.Imò discernere in duas partes,plures ue, secernere uerò, separare, ut ex chao omnia elementa discreta sunt.Et Cicero: Secernant se mali à bonis,id est separent.

Architectus

R. Domus.Paulo post, Architectus est princeps tectorum,aliquando pro ipso deo accipitur. Tignarius est sarti tector. L. Nescit quid dicat,architectus est princeps ædificantium,id est,qui ædificiũ ordinat, & ipse aut primus ædificat,

aut

aut ædificare iubet, inde Vitruuius opus de architectura condi
dit, id est, de ædificijs construendis. Faber autem tignarius est, Tignarius
qui solaria lignea facit, hoc est, trabes, cæteraq; ad tabulata do Faber tignarius.
mus utilia. Nam in iure ciuili scribitur, tigni appellatione, in le Solaria
ge XII. tabularũ, omne genus materiæ ex qua ædificia cõstant, Tignum
significatur. Cõtignatio igitur dicitur solariũ domus, siue stra Contignatio
tum sit cæmento, lateribus ue, siue non stratũ, qualia sunt ferè
solaria domorum Apuliæ, eoq; apud Liuium pro miraculo re=
fertur, bouem in tertiam cõtignationem conscendisse, id est, in
tertium solariũ. R. Diuersoriũ proprie est hospitale. L. Ne Diuersorium
gat antiquitas, apud quã hospitalia nõ erant, quinimò non est
hospitium idem quod diuersorium, ut ait Raudensis, Sed flexus
uiæ minor, ac secessus. R. ff. de eo, qui certo loco, dicitur,
quòd insula est quælibet domus. L. Non hoc ait iurisconsul=
tus, sed eam domũ esse insulã, quæ uia cingitur, unde autor qui Insula
dam enumerauit insulas Romanæ urbis, nõ domos. R. Fundus Fundus
est alicuius mansio cum accessionibus. L. Ab omnibus iurisco
sultis, & ab ipsa ueritate dissentit, ut breuiter autem ipse dicã,
non sententiam inter iurisconsultos feram. Fundus est possessio
in agro. R. Hippodromus est stabulum equorum curren= Hippodromus
tium. L. Imò est uia lata, per quam etiam multi equi pos=
sunt unà currere, uel potius locus in quo equi currere solent.
R. Duellum. L. Duellum non est tantum duorum, ut hic Duellum
ait, sed multorum quoque, & ipsorum etiam exercituum, alio=
qui non diceretur à Plauto, duellum inter Thebanos, & The
lebodas. Et ab Horatio: Græcia barbaric lento collisa duello.
Nescit etiam autor pugilem esse, qui cæstibus pugnat, pan= Pugil.
cratiasten qui ad omne certaminis genus ualet. R. Eccle= Pancratiastes
sia. Paulopost, Adytus per y græcum, est locus secretus iu=
xta altare. L. Hoc adytum dicitur, non hic adytus, estq; Adytum
penetrale templi, id est, locus interior, & uulgo inaccessus.

R. Ver

R. Versificatores ferè peccant secunda syllaba, pro breui utẽtes. L. Imò & Maro breuem ponit. R. Edere. L. Non optime exponit nuces esse non pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est, Malum uerò, quod foris habeat quod est esui, & durum intus includat: cum illud prius non sit pomum, neq; hoc secundum malum, sed illud nux, hoc uerò pomum. Valerius tamen Martialis nucem pineam, pomũ uocauit, in distichis inquiens:

Nuces

Malum

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede uiator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Malum autem indiuiduum, id est, quod uulgo dicitur melum è Græco sumptum. R. Est enim eduliũ prægustatoria comestio. L. Imò edulium est quicquid edimus, aut quicquid ad prandiũ, cœnamq; edendi gratia apponitur, & sumimus, ut apud suum Hieronymũ millies, ut ibi, lentis edulio. R. Aedificare. L. Eodem Raudensis errore, quo Accursius ducitur, ut sentiat tigni appellatione aliud, quàm materiam, id est, ligna contineri, ut in elegantijs diximus. Indecorum sanè est homini, qui de elegantia scripturum se pollicetur, Accursium ac cæteros glossatores sequi, ut facit Raudensis, cũ illi ab elegantia longissime absint. R. Eligere. Aliquanto post, Comitium locus, in quo fiebat electio magistratuum, quasi communium. Item uocabatur ipsa electio, & gaudium resultans ex tali electione, & etiam ipsa collatio personalis. L. Comitium est tantum locus, comitia actus creandorum magistratuum, ut in foro est, & in comitio. Item actis comitijs suffragium nõ fiebat manu, ut ait Raudensis, sed uoce, interdum scriptura, ut Plinius posterior refert. R. Eloquentia. L. Omitto, quæ de rhetorice præcipit à uia ueterum uel recedens, uel cadens, quid neglegentius fuit, quàm quæ Seneca alteri tribuit, notans ut stomachosiora, ea ab ipso Seneca dicta esse uelle? Cassius Seuerus in Sextũ dixit, Si cloaca esses,

Edulium

Tignum

Comitium

Comitia

Suffragium

magistra

magistra esses, non Seneca. R. Et que pro &, ne pro &. Ne
L. Ne, nunquam reperitur pro &. R. Item neu hoc faceret Neu
persuasit, id est, ne. L. Nescio ubi hoc Cicero (quem affert) di
xerit, aut aliquis alius, neu (ut sentio) apocopatum est à ne uc.
R. Excursiones sunt, quæ fiunt ab armigeris. L. Excursiones Excursiones
uocantur rumores illorum, à quibus recedunt, tamen eædē sunt
incursiones, rumores eorum, in quos incurritur. Est autem abu
sus significatione armigeri, de quo nos uocabulo in alio opere
diximus. R. Expecto. Paulopost, Tempus redimitis, id est, ex= Tempus redi
pectatis. L. Imò tempus emitis, unde in iure ciuili, & alibi, re mere
demptores uectigalium, id est, emptores: & apud Paulum redi Redemptores
mite tempus, id est emite, ut è Græco fonte apparet. Cicero in
Verrem actione secunda: Vt primū ex prouincia redijt, redem
ptio huius iudicij est facta grandi pecunia. R. Exul. Paulopost,
Inscriptus, qui manet in patria, sed re spoliatus. L. Hoc nun= Inscriptus
quam audiui. Proscriptus, idem est quod exul, quia nomen suū Proscriptus
in publico, tanquā exulis scriptum est. L. Circunscribere est Circunscribere
damnare, bonis fallere. L. Imò fraudulenter in re cōtraben=
da atq; commercijs aliquē bonis aliquibus priuare, ut apud Se
necam de eo qui fratrem circunscripsit in diuisione hæredita=
tis, cum ex altera parte matrem fratris, ex altera omnia bona
posuisset. R. Exercitus. Postea, In summa igitur erant pedi
tes sex mille, & centum. L. Contra latinitatem dicitur, pro
eo, quod est ad sex millia, aut sexies mille, aut peditum sex mil
lia. R. Facies. Paulopost, Cæsius, id est, lēticulosus. L. Imò, Cæsius
qui habet oculos glaucos, id est, in similitudinem noctuæ, nec
unquam cæsium, nisi de oculis, legitur, unde Cicero ait: Cæsios
Mineruæ oculos, quæ dea apud Græcos dicitur habere oculos
glaucos, ut millies apud Homerum. Quidam uolunt cæruleos
esse, cæsios oculos. R. Fastidio, fastidis fastidire fastiditum, Fastidio
dicimus enim, quare fastidis mei? & fastidimus bonorū. L. Si

Digitized by Google

hoc uerum est, cur exempla non profers? ego uerò cum accusatiuo reperio, non cum genitiuo. Vergilius: Inuenies alium, si te hic fastidit Alexis. R. Fœmina. L. Cinædus non scribitur y Græco, ut ait Raudensis, nec caninum significat. Marcellus pro saltatore exponit, alij pro re turpiore, non quòd moueat mẽbra in saltando, sed quòd in obscœna uenere. R. Fœnero. L. Vtrunq; fœnero, & fœneror pro eodem male accipit Raudensis, quod alio opere docuimus. R. Ferrum, & chalybem in aspectu similia uidemus, specie tamen differunt. L. Nõ differunt specie metallica, cum idem metallum ambo sint. Nam nec aurum auro differt, licet purgatius sit, nec sapphirus sapphiro, licet splẽdidior, nec simila à farina. Vergilius certe inquit, At Chalybes nudi ferrum, ergo appellatum est optimum ferrũ ab illis populis, qui scientißime ferrum temperant: uel populi illi uocati sunt Chalybes ob hanc ipsam temperandi ferri scientiam, siue facultatem: siquidem aquæ quædam hoc apud eos efficere dicuntur, qui nunc Viscani nominãtur, quasi uis chalybis, quòd apud eos sit uel copia ferri, uel potentia ac facultas ferri temperandi, si modo etymologia uera est. R. Filocaptus. L. Non est nomen hoc à doctis, sed ab indoctißimis fictũ. Philos enim non amorem, sed amicum significat, siue amatorẽ. Et hoc Græce, cum quo nomine dure latinum cõiungitur, sed cur in f, litera posuisti, cum per ph, scribendum esset? sic, philocaptus. L. Procus est ipse solicitator amoris. L. Imò, qui aliquam pro uxore postulat, ut Penelope apud Ouidium: Turba ruunt in me luxuriosa proci. R. Filius. L. Quòd nothus sit natus ex nobili patre, & infami matre, miror cur dixit, cũ parum antè Quintilianum attulerit, dicentem, nothum qui legitimus non sit, Græci uocant, non aduertens eodem loco dixisse Quintilianum ut Catonis oratione testatum est, quia nõ habemus nostrũ, utimur peregrino. Igitur nothus est absolute illegitimus

Cinædus
Lib. 2. cap. 25.
Ferrum
Chalybs
Viscani
Philos
Procus
Nothus

gitimus. R. Flere. Paulopoſt, Plorare, eſt cum lachrymis, & uoce pectus, aut faciem tundere. L. Negatur, huiuſmodi enim percuſsio, planctus dicitur, ploratus ipſa uox flentis, ſicut fletus ipſa lachryma ex oculis emanans, præ dolore tamẽ potius, quàm præ lætitia. R. Fungus. L. Non eſt aſpargus, nec de fungo intellegit Iuuenalis, quem teſtem citat Raudenſis, nec aſparagus, ſed aſparagus dixit, ut Martialis: Nõ erit incultis gratior aſparagis. R. Gaudium. L. Non eſt ouare, gaudere, ſed ſe gaudere ſignificare, & exclamare. R. Galea. L. Iuba non eſt idem quod galca, ſed quod galeæ imponitur, inſtar iubarũ, aut equi, aut leonis, aut draconis, quales in ueteribus numiſmatis, ſtatuisq; agnoſcimus. unde Vergilius: Criſtaq; inſignis equina. Et alibi: Graiarum errore iubarum. RAV. Gladiorum. L. Ab enſis deriuatur enſicula, cum dicere debuiſſet enſiculus. Spatha, longior enſis, ac latior à quibuſdam eſſe dicitur. Phramea Græcum eſt nomen. Pugio non eſt cultellus breuis, plus enim eſt quàm cultellus, nedum maior, quàm breuior cultellus, hunc pugnalem Hiſpani uocant. Mucro non eſt pugio longus, ut enſis (nam is enſis foret) ſed cuſpis ipſa enſis. Improprie autem pro enſe accipi bipennem ait ex altera parte acutam, cum Quintilianus dicat ex utraq;, ut ipſum etiam nomen indicat. R. Guloſus. Paulopoſt, caſtrimargia gulæ concupiſcentia. L. Gaſtrimargia dicendum eſt, ſignificatq; nimiam ingluiem, ut apud Ariſtotel. in ethicis. Scurra non eſt cibi captator, ſed qui riſum uerbis mouere captat, non habita ratione uerecundiæ, aut dignitatis. R. Hæres. Paulopoſt, Caducus eſt, quicunque fit hæres in bonis alicuius, qui hæredem non habet. L. Imò caducum eſt, ſiue caduca bona dicuntur, hærede carentium, non autẽ (quantum ego quidem ſciam) horũ bonorũ hæres, ſed fiſcus, aut dux militũ publica perſona. R. Ibi. Deinde, Cicero ſæpiſſime, cum uult dicere ibi, dicit iſtic, uerbi gratia,

Plangere
Planctus
Ploratus
Fletus
Aſparagus
Ouare
Iuba
Enſiculus non enſicula.
Spatha
Phramea
Pugio
Mucro
Bipennis gaſtrimargia.
Scurra
Caducum
Ibi
Iſtic

tia, Tarenti es, non ſpero te iſtic hyemare non iucunde, id eſt, ibi. L. *Barbare exponit iſtic pro ibi: ſi enim diceremus, ſpero te ibi hyemare, non recte diceremus. De hoc latius in elegãtijs.*

Lib. 2. cap. 4. *Hæc fuit cauſa, cur Ciceronem unum afferret, & eũ ſic dicere ſæpiſſime teſtetur, quaſi non ſemper & ipſe, & cæteri ad ſecundam perſonam ſic loquantur. Nec per hoc aduerbium modo, ſed per alia quoq;, & per ipſum pronomẽ iſtic, iſtuc, iſtac, iſtorſum, iſte, iſta, iſtuc. Quanto ſatius feciſſet Raudenſis,*

Ipſe *ſi alia potius præcepiſſet, quale eſt hoc pronomen ipſe ſolere proprie & eleganter uſurpari, ſic: Expectabat exercitum auxilio uenturum, cũ exercitus ipſe magis auxilio egeret. Huiuſmodi repetitio ferè per hoc pronomen fit, qualia exempla oſtenſo indicio, infinita ſibi quiſq; cõperiet. Nõnunquam ſi nõ licet idẽ repetere, mutuamur ſimile, ut Iuuenal. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Quia, quantum ipſe nũmus, propter uerſum dicere non potuit. Vergilius: Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam. Cicero tertio officiorum: Qui exercitu Po. Ro. populum ipſum Romanũ oppreſſiſſet: quod ita neceſſario conſtruendũ, qui populũ Ro. oppreſſiſſet exercitu ipſius populi Ro. nam ipſum, in reponendo nomine locum habet.* R. *Impedire. Statimq;, Paucorũ culpa non*

Præiudicium *præiudicat religioni, id eſt, non impedit.* L. *Non eſt præiudicium impedimentum, neq; (ut aliqui uolunt) offenſa quædam, atq; iniuria, imò quaſi ſententia quædam eſt ante iudicium, ac ſententiæ lationem, ſiue pro me, ſiue contra me. Nam præiudicia in cauſa Miloniana ſic contra Milonem fuerunt, tamen pro Clodianis erant. Et utraq; pars præiudicia appellat, & ut aſſeram de medio exemplum, Nunc duobus ſcribis, de officio contendentibus, quia lis in longum procedit, Rex iuſſit interea, dũ ſententia feratur, alterum officio fungi, quaſi iudicans iam nũc ſe pro ea parte ſentire, penes quem eſſe uult rem, de qua litigatur*

gatur. Et hoc præiudicium nimirum tacite exhortans iudices ad iudicãdum, pro eo pro quo præiudicium factũ est, ualde adiuuat possidentem, ut obest excluso. R. Infirmitas. Paulopost, Meliuscula est, id est, paulisper melius. L. Indocte exposuit paulisper pro paululum siue aliquanto melius habet. Est enim paulisper idem quod per aliquantulum temporis. Vomica non est, quod Raudẽsis ait, sed crassities illa, quæ nascitur in aliqua parte corporis exterius eminens, in quam multũ humoris sanguinisq; descendit. Vnde apud Plautum seruus gestans in collo crumenam, per iocum inquit, Vomica est. R. Induciæ. L. Magis nos loqui non latine Raudensis docet, quàm latine, quis unquam inducias audiuit pro eo, quod est morari, aut differre? nisi qui uernacula tuæ gentis lingua loquitur, non latina. Item exponis Vergiliũ. R. Opere omnis semita feruet, id est, differt. L. Cum Vergilius significet laborem, ardoremq; feruentem, id est, uehemens studium formicarum in opere faciundo, multa quoq; alia similia peccas, quæ persequi infiniti fuerit operis. Mallem hoc præcepisses, indicem esse catalogum titulorum, quibus uel libri, uel capitula inscribuntur. Item interpello nonnunquam apud ueteres pro rogo inuenitur, ut Valerius lib. tertio: Cato ut socios apud auunculum adiuuaret, constanti uultu non facturum respondit. Iterum deinde, ac sæpius interpellatus in proposito perstitit. R. Iocosus. L. Vult seriose à serio uenire, cum dicatur serius, id est, grauis siue scuerus, non serioſus, ut Quintilianus: At nunc ista seria grauis, quæ nunc amari recusat, ò quàm uoluit amari. Sic hoc loco pecasti Raudensis, ut superius, ubi dixisti, industrioſus, quod non inuenitur, sed industrius. R. Iocus. Deinde, Mimi ethologi, id est, de Etholia sunt recte scurræ. L. Mimi non sunt scurræ, ut alio opere docui. Melius, si dixisset mimi ethologi, ijdẽ & ij qui omnia dicunt tam honesta, quàm turpia. De ethologis

Pauliſper
Aliquanto
Vomica

Induciari

Feruere

Index
Catalogus
Interpello

Serioſe
Serius

Induſtrius
Mimi ethologi.

Digitized by Google

si Græca non uidit, saltem suffecerat Quintilianus lib. primo, dicens: Chriæ, & ethologiæ subiectis doctorũ rationibus apud grammaticos scribantur, quia initium ex lectione ducunt, quorum omnium similis est ratio, forma diuersa, Quia sententia uniuersalis est uox, ethologia personis continetur. R. *Larua.*

Lodix *Multopost, Lodicem, id est, lectum, seu culcitram.* L. *Alij pro cortina, quæ lecto circundatur exponũt, de qua Martialis: Nudo stragula ne thoro paterent, Iunctæ nos tibi uenimus sorores, id est, lodices.* R. *Lapides. Paulo post,*

Tofus *Tofus est scaber lapis, cauernatus, mollis, id est pumex.* L. *Hæc ciuitas Baroli-tana negat, quæ pulcherrimas quasq; domos ex toffaceis lapidibus habet. Suntq; passim toffacei montes etiam nihil rimarũ, iuncturarumq; ostendentes, ut solent montes marmorei. Ne-*

Pumex *gat præterea Cathanensis ciuitas idem esse pumicem, &*

Effero *tofum.* R. *Laudare. Postea, Eferũt, qui laude extollunt per unã f, sed efferunt per duas, ff, dicimus.* L. *Priscianus & omnes grammatici negant. Longe post confert sentẽtias Demosthenis ad Alexandrum, & Ciceronis ad Cæsarem, nesciens non esse illam Demosthenis orationem, sed factam ab aliquo latino. Itẽ alias tres, quarum una est Demadis, qui (ut notum est) nihil scriptum reliquit, ut Pythagoras, ut Socrates, ut Carneades, qui omnes cum loquendo mirabiles extiterint, nihil tamen literis mandauerunt, ipsa tamen inspectio, deprehendit illas esse*

Portitor *commentitias orationes, longeq; à Græco sermone, & ab illorum oratorum uita abhorrentes.* R. *Litera.* L. *Portitores literarum male dici, superius admonuimus Raudensem. Eun-*

Diploma. *dem ignorare diploma quid sit, miror, cum Seruius exponat, uelitq; significare epistolam uel scripturam aliquam ad alium*

Necubi *missam.* R. *Loco. Paulopost, Necubi inuentus est, id est, nullo loco.* L. *Hoc superius quoque reprehendi, nam necubi duo uerba postulat, ut iussi necubi mihi præsto sis, id est, ne in*

ullo

Digitized by Google

ullo loco, nam præter morem dixit Vergilius, Tu ne qua parentis Iussa time. R. Longe eminus, id est longe. L. Eminus hoc modo differt à longe, quòd non recte dicam eminus habitas, ut longe habitas, sed eminus iacula mittebant, id est, à loco remoto, non autem in hunc sensum, longe iacula mittebant. Eodem modo cominus dicimus à loco proximo, non autẽ in loco propinquo, neq; propè, ut cominus te percutiam, non autem cominus sedeo. R. Lupanar. L. Non est prostibulũ id, quod lupanar, sed ipsum scortum, ut apud suum Hieronymum frequenter, dico suum, quia sic ipse appellat, quasi aliorũ non sit. Ait autem, prostibula regnum dei non possidebunt. R. Luxuria. Paulopost, Stuprum illicita uirginum defloratio. Raptus, cũ puella uiolenter à domo patris educitur, ut in uxorem habeatur. L. Non uerũ hoc esse elegantiæ nostræ ostẽdunt. R. Alij cardurcũ tentiginem uocant. L. Imò est uas illud numerosum, quod ex piscina aut puteo aquam haurit, iumento rotam uersante. Solent ex his etiam fieri canales in parietibus domorum, per quos aquæ ex tectis defluãt in cloacas, etiam in quibusdam urbibus, per quos aquæ pluuiæ cisternas impleant. R. Macies. Paulopost, Obesus, id est exilis, & macilentus. L. Imò pinguis, & crassus. R. Macellũ. Deinde, Lanista qui carnes laniat. L. Pro lanio dixit lanista, est enim lanista qui homines emit, quos arte gladiatoria imbuat, postea in ludum uendendos. R. Macula. Deinde, Næuus macula in facie hominis. L. Ergo mentitur Cicero qui ait: Næuus in arti culo pueri delectat Alcæum, est igitur næuus in qualibet parte corporis. R. Memor. In fine, Memini sermo est totus temporis præteriti, si dixeris memini me fecisse, duo tẽpora simul iũgis. L. Vult igitur Raudens. memini debere coniungi utiq; cũ uerbo præsentis temporis, nec usquam aliter facilitatum, nisi in uno uersu Vergilij: Nãq; sub Oebaliæ memini me turribus altis

Eminus
Longe
Cominus
Propinquus locus.
Prope
Prostibulum
Lupanar
Cardurcum
Obesus
Lanista
Lanius
Næuus
Memini

Digitized by Google

Corycium uidisse senem, & poëtæ ipsi necessitate metri facere licuisse. Hoc quàm ridiculum præceptum sit, quis non uel puerorum intellegat? si enim memini idem est, quod recordor, nũquid minus rectè dicã, memini disputasse cũ Paulo, quàm recordor disputasse cum Paulo? At enim memini præteritũ est, sanè uerò, nec enim inficias eo in præterita quoq; significatione accipi, sed in præsenti tamen etiam accipitur, & quidem ferè semper, ideo penè improprium est iungere tempus præsens, cũ hoc uerbo memini, similibusq;, neq; ab re. Præterita nanq; recordamur, non præsentia, igitur præterito tempore utendum est, ut memini te fuisse uirgis cæsum, non autem cædi: memini te coronatum spectasse ludos, non autem spectare: meministíne te interfuisse cateruæ Sabinorum, non autem interesse: & quale illud Vergilianum, quod ab hac regula Raudensis excepit, nam uersus ille apud eundem, Cantando puerum memini me cõdere soles. magis licentiam poëticam ostendit, qua ego non uterer duntaxat in prosa. Diccrem enim sic, memini me puerum condidisse, seu cõdere solitũ esse dies cantando. Vides, ut in cõtrarium res ipsa recidit. Raudensis præcipit, ut tantũ cũ tempore præsenti memini iungatur, ego sentio iungi debere semper cũ præterito, aut ferè semper. R. *Mercetrix. Paulopost, Seneca.*

Pellex *Pellices cœlum tenent. Pellicatus locus concubinæ, & propter pellicatus suspicionem, id est, concubinatus.* L. *De hoc nomine in alio opere disserui, nec me fallit quosdam accipere pellicẽ pro concubina, quorum est Iustinus, tamen Seneca eas hic intellegit, quæ cum uiro alterius corpus miscerent, ut Cicero ait Theben Alexandri Phærei uxorem propter pellicatus suspitionem, id est, quòd suspicaretur pellicẽ habere, occidisse uirũ.*

Mille Septẽ centena. R. *Mille. In fine, Liuius enim dixit Gallorum undecim millia sunt occisa, & peditum septem centena millia.* L. *Hoc non dixit Liuius, quoniã nunquam doctorum aliquẽ ita locutũ inue-*

ninus

Digitized by Google

nimus, siquidem dicendum est septies centena milia. R. Mors. Cædes
Postea ait, Cædes est mors. L. Imò mors non fatalis, sed ferro,
aut ligno, aut saxo similibusq; illata, præsertim occidere, aut fe
rire, aut percutere uolentis, inde dicimus aliquem commisisse
cædem, & Milo de cæde accusatus est. R. Morbus. Deinde,
Papula paruißima cutis erectio. L. Paruißima non inuenitur, Paruissima Papula
præterea papula est pustulis similis nævus. R. Mutuare, & Mutuo
mutuari, quidam ait, sibi pecuniã credidit, id est mutuatus erat.
Cicero etiam dixit, Nec temere se credere putabat, id est mu=
tuari. A. Gellius inquit, pecunia mutuata. L. Si plura in hoc ca
pite dixisset, plura peccasset. Vt enim in elegantijs dixi, mutuo
tibi pecuniam, id est credo tibi pecuniam, mutuor autem abs te Mutuor
pecuniam, id est accipio abs te creditore pecuniam. R. Mus. Muscipula
Statimq; post, Inde muscipula, muriceps, catus, & catulaster Catus
idem sunt. L. Muscipula cum apud alios, tum apud Hieron y=
mum machina est ad capiendos mures. Catus apud Seruium in
libro quem de Græcis, latinisq; nominibus scripsit, est generis
fœminini. Quod si ita est, non potest formare catulaster, uoce
masculina. Et nihilominus aliud est catulaster, quàm animal mu
rium uenator. Muriceps uocabulum est insuetum, qualia mul= Muriceps
ta cum summa licẽtia Raudensis excogitat. R. Natura suopte
ingenio, id est natura, suopte consilio, item meaptim, tuaptim,
suaptim, nostraptim, uestraptim. L A. Videtur autor accipere
posteriora in sensum priorum, cum aliter significẽt, & aliter Meatim
scribi debeant. Meatim enim est meo more, tuatim tuo more, Tuatim
Hoc Seruius ait super Donatũ, & alij quidam. R. Naues Ly Lyburnæ
burnæ sunt naues negotiatorum. L. Hieronymus ait esse na=
ues longas. R. Lembus lignum cauatum quasi cymba. Idẽ est
campillus, & carabus, & linter discurrẽs in pelago ex uimi=
ne & corio, unde ille dixit, Cauat arbore lintres. L. Lembus, Lembus
& cymba an ex una arbore sint, qui dicunt, ipsi uiderint, pro= Cymba

Digitized by Google

Linter prie autem tantum lintres è singulis arboribus constant, atq; ita uulgo uocantur cauatæ ad traijcienda flumina trabes, quod Vergilianus ipso loco (quem Raudẽsis attulit) uersus testatur. Verum an ex corio, ac uiminibus lintres Raudensis intellegat, nescio, quod si ita sentit, ex una tantum arbore esse nõ posunt: sed si utrunq; sit, nego usum lintris esse in pelago, quæ solum aut conto, aut palo fluuijs, stagnisq; agũtur. R. Trieris nauis magna, quam Græci duracon, uel dulconem uocãt, à tribus sessionibus, unde dictum est, trieris magna transibat. L. Quid attinebat dicere hoc nomen Græce duracon uocari, si modo sic uocatur, cum ipsum nomen Græcum sit, & (ut sentio) idem quod Latine triremis, aut penè idem? R. Artemon est uelum nauis breue, quia melius leuari potest, in summo periculo extẽditur, unde Actuum XXVII. Artemone leuato, secundũ flatum auræ tendebant ad litus. L. Quam plane Raudensis ostendit se in mediterranea urbe natum, nec unquam mare intrasse, qui pro amplissimo uelo, breue esse artemonem ait. R. Naulum, id est lucrum & capitale. L. Imò pecunia, quæ soluitur pro uectura in naui. R. Nauclerus primus nauigator. L. Imò qui in naui nautis imperat, quæcunq; ad faciendam nauigationẽ pertinent, nec absurde in triremibus idem intelligitur, qui comes uel comitus dicitur. R. Ne neu, id est, ne &. LAV. Imò neu idem est quod ne ue, ut superius ostendi. R. Nec. Deinde, Ne, pro nec sæpissime utitur Cicero, & antiqui, sed ad ornatũ possẽ addebant quidem, uerbi gratia, non est amicus, ne noster quidem, qui bona nostra tollit. L. Sunt ne ista Ciceronis & antiquorum uerba quæ recitas? imò adeò hoc exemplum non Ciceronis exemplum est, sed ex biblia deprauatum, ubi meretrix illa puerpera apud Salomonem contra alteram litigat, uerum non modo hæc exempla falsa sunt, sed etiam præcepta, quippe nunquam ne pro nec reperitur, nisi iuncta quidem, aliqua tamẽ

Trieris Duracon

Triremis Artemon

Naulum

Nauclerus

Comes Neu

Ne quidem

interio

interiecta dictione, quale meum (quo nunc usus) exemplū probat, & ut in elegantijs latius disputaui, quod igitur? sine quidem, ne, in hunc sensum esse non potest, liquet hanc coniunctionem necessitatis, non ornatus causa adhiberi. Neue quoq; Neue non accipitur pro nec, sed pro uel ut non. Vt Cicero, Neue uastius syllabæ deducantur, id est, uel ut non uastius deducantur. RAV. Negare, infirmare, inficiari, infiteri, defiteri. LAV. Infiteri, diffiteri, & defiteri non reperies, sed potius diffiteri id est negare non fatendo. Inficiari proprie est negare, quod factum, dictum ue aut cogitatum est, à quo uerbo status coniecturalis dicitur inficialis, ab in quod est non, & facio. Vnde infecta negotia, quæ non sunt ut debuerunt facta, dicuntur. Nescio enim an Latine diceretur, Plato ait mundum creatum esse, Aristoteles inficiatur. Quippe non factum nunc negatur, sed opinionem ueram esse. Item, Orestes impie occidit matrem, & Horatius sororem, nescio an posset patronus respondere, inficior impie occidisse. RAV. Nomen. LAV. Quia pluribus uerbis longa autoris oratio refellenda esset, ideo quod uerum sit, paucis absoluam. Sic enim quid ille quoq; peccauerit, appare-bit. Veteres Romani terna singuli ferè nomina habebant. non attinet hoc loco causam reddere, cur terna non singula, prænomen, nomen, cognomen. Vt P. Cornelius Scipio. Publius est prænomen, Cornelius nomen, Scipio cognomen. Et nomen quidem, atq; cognomen omnium eiusdem familiæ commune erat, prænomen uerò tantum singulorum, & ideo proprium nomen quo se inuicem gentiles uocabant: uerbi gratia, pater appellabat ex duobus filijs alterū Publium, alterum Lucium, nec aliter inter se fratres ipsi uocabant. Agnomen uerò accessit ex gestis, alio ue casu. Vt Aphricanus, ut Creticus, ut Caligula, ut Scropha, sed hoc rarò usurpatur, cognomen nanq; potius, quàm agnomen dicitur, ut Sallustius, Liuiusq;, Scipio

Inficiari
Infectum
Vide lib. 6. cap. 9.
Nomen
Cognomen
Prænomen
Agnomen

Scipio, cui Aphricano fuit cognomen. R. Nox. Deinde, Nocte
Nox intẽpesta intempesta, id est incongrua. L. Imò nocte tacita, ac silenti, & ferè media nocte, an incongruam noctem Vergilius intelligit? Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat. aut Cicero in Verrem? Affertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuntius. Et iterum, Teq; Hercules, quem iste Agrigenti nocte intempesta seruorum instructa, & comparata manu conuellere, & in suis sedibus auferre conatus est. Aut illud in libris regum hoc significat, quod inquit? Cum intempestæ noctis silentio sustulit
Nugæ filium meum. R. Nugas, nugæ sunt uerborum circuitus, & perplexitates. L. Imò sermones leuium rerum, ac nullius ponderis, & plerunq; scurriles, ioculatorijq;, unde Catullus, ac Martialis poëmata sua nugas uocant, ut de inanibus rebus loquentia. Hoc uocabulum Hieronymus ait Latinum & Græcũ, & Hebraicũ esse, sed ab Hebræo fonte ad Græcos, Latinosq; deriuatum. R. Nunquid utrum, pro nunquid sæpissime Cicero
Vtrum in orationibus suis dixit. L. Imò utrum de duobus interrogat, Nunquid uel de uno, uel de multis, & nonnũquam de duobus. Impolite loquitur sic Raudensis, Cicero in orationibus suis, &
Suus inepte positum in epistolis suis, in libris suis officiorum, Vergilius in Aeneide sua, Ouidius in opere suo de arte amandi, quasi dubitari possit, an hoc illi in alijs operibus, quàm in suis possint dicere, immunde igitur, non terse additur illud suis. Hoc tamen non est
Nunquid aduerbium & nomen omittendum, nunquid nunc aduerbiũ esse, nunc nomen, ut nunquid ego sum, qui te accusaui? nunquid est aliquod nauigium meo capacius? nunquid alterum filiorum occides, ut alterum serues? Nomen autem erit sic, Nunquid criminis habes, quod mihi objcias? id est nunquid aliquod crimen, sed aptius in genere neutro, ut, nunquid omnium nostrum te offendit? nũquid meorum parentum tibi iniuriam fecit? hic interrogatio fit de
Apocrisarij uno de duobus, ac pluribus. R. Nuntius. Deinde, Apocrisarij nuntij

nuntij papæ, quasi secretarij, crisis enim quandoq; dicitur secretum, quandoq; aurum, quandoq; iudicium. L. Vtinam contentus esses lingua latina, nec ea, quæ ignoras, attingeres. Apocrisarij sunt legati, non tantum papæ, & κρίσις significat tantum iudicium, nam pro abscondito per y, non per i, aurũ uerò per y, & h, atq; o, & in genere masculino, proferendum est, sic χρυσός. Verum apocrisarij, non aliter apud Græcos nitidum uocabulum est, quàm apud nos ambassiatores, quod nemo (nisi barbarus) dixit. R. Item reperitur nuntius nuntij masculini generis, & non sumitur pro nuntiatione alicuius rei, reperitur etiam nuntium neutri generis: & tunc sumitur pro re aliqua, quæ renuntiata est. L. Nuntius pro hac significatione nemo dixit, sed pro homine nuntiante, nuntium in genere neutro Seruius ait pro ipsa re nuntiata accipi. Gestus pro utraq; significatione in masculino accipit, sed Raudensis nullum exemplum affert, quod frequẽtissime facit, & sæpe aut ad rem non pertinens, aut contrarium affert. R. Obscuritas. Paulo post, Videtur accipere teter pro eo, quod est ater, obscurus, & subniger, ut in prouerbio ueteri, quid curem, an ille ater, an albus sit? Et Cicero Philip. lib. 11. Et quidem uide, quàm te amarit is, qui albus, aterue fuerat, ignoras. L. Est autem teter idem, quod malus, & insuauis, cum ad mentem pertinens, tum uerò ad cæteros sensus, ut tetra belua, teterrimus hostis, teterrimum facinus, teterrima mens. Item tetro aspectu, tetra uoce, sed in his potius sensibus usitatum est, quòd si dicatur illud Vergilianum. Tetro fœdabant omnia tactu. ad odorem refertur, quem tangendo relinquebant. R. Obligatio. L. Obnoxius ait esse obligatus, imò potius est subiectus, appositusue ac sumnussus, unde locus aliquis dicitur obnoxius uento alicui, ut Lucanus, Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon. R. Obloqui. Deinde aliquanto post, Audi nunc illum de Catilina, & complicibus

Vide lib. 6. cap. 15.

Nuntius Nuntium

Teter

Aeneid. 3.

Obnoxius

Digitized by Google

Complices complicibus suis, sic dicentem. L. Complices non est uocabulum Latinum, licet ipse non longe post afferat hæc uerba Ciceronis in Catilinam, Tuorum complicium magna, & pernicioſa ſententia, quod ſcribendum eſt comitum, & non complicium. R. Vnum, cum multa de M. Antonio dicat Cicero, referam, et eſt Quintiliani. L. Imò Cælij in ipſum Antonium, ſic erras, nam hæc orauit Cælius in C. Antonium M. Antonij patruũ, Ciceronisq; collegam, qui bellum cum Catilina geſſit, ut eſt apud Salluſtium. Obloqui pro hac ſignificatione, id eſt obtrectare, neſcio an repererim, ſed pro uicina, quæ eſt in contrarium loqui. Vt Cicero pro Cluẽtio, Vocat me aliò iamdudum ueſtra expectatio, quæ mihi obloqui uidetur, cui ſimilis, ſed figurate in ea, qua accipit Vergilius cum inquit, Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina uocum. R. Contra famam eius ſanctam, & cœlibem editos eſſe. L. Seipſum in imitatione affert Raudenſis, quaſi alter Cicero ſit, quædam in oratore refert. Cœlibem pro adiectiuo accipit, quod ego non auſim affirmare, & pro ſignificatione caſti, quod (ut ſuprà docui) non ita eſt, ergo monachus, & frater (qualis Raudenſis eſt) ſuperuacuo dicitur cœlebs, qui uxorem ne habere quidem poteſt. R. Obliuiſci. Statim poſt, Cum ætas multos obliuione obrueſcet. L. Inchoatiuũ p poſitiuo poſuit, Obrueſcet enim, id eſt obruetur, ut albeſcet, id eſt albabitur, ueteraſcet, id eſt uetus fiet. R. Obſtinatus. Paulo poſt, Ceruix in ſingulari collũ, in plurali contumaciã ſignificat. L. Imò (ut teſtatur Quintilianus) antiqui dicebant ceruices, non ceruicem: primusq; Hortenſius dixit ceruicem, ſignificatq; nõ collum ipſum, ſed poſteriorem colli partẽ, quo boues trahunt. Ideoq; apud Iudæos à deo dicitur, populus duræ ceruicis, quaſi duræ mentis, & ita indomabilis, ut tanquam durior bouis ceruix obtemperare neſciat, ea propter potius in ſingulari contumaciam ſignificat, neq; enim memini in hanc ſignificationem

Obloqui.

Cœlebs.

Raudenſis frater minor

Obrueſco

Ceruix

Ceruices.

Duræ ceruicis

cationem

cationem inuenisse ceruices, nisi forte multorum, quis enim audiuit, homo, aut populus durarum ceruicum, siue duris ceruicibus? R. *Obtinere. Inde, Imitationes exorauit, sed non impetrauit, id est obtinuit.* L. *Imò exorare, est obtinere, ac impetrare orando, si tamen ad rem hoc refertur, ut in elegantijs diximus. Nam & oro te, & oro hanc rem dicimus: oro te, est id quod precor te, oro uitam, est id quod postulo uitam, unde exoro te, est induco, exoro hanc rem, impetro hanc rem orando, eodem modo, quo dicimus persuadeo, & persuadeo tibi hoc, sed de his in eo quod dixi opere latius.* R. A. *Oculus. Deinde, pituita, putant aliqui, quod sit humectatio, quæ ab oculis fluit.* L. *Ego uerò puto pituitam idem esse Latine, quod catarrhus Græce, hoc est, quemlibet humorem redundantem, qui ex ore naribus ue fluit, uel etiam si non flueret, etiam si non redundaret, quod intellegit Cicero libro primo Tusculanarum, cum inquit, Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, uenas, omnem denique membrorum, & totius corporis figuram.* R. *Oculis cæsijs, id est lenticulosis.* L. A V. *Iterum dixerat lenticulosis, nirum sic esse lentigines, aut lentes in oculis, nisi ad colorem lentium, lentiginumq;, & ad harum magnitudinem maculæ oculorum intellegantur, tamen quid de hoc ipse sentiam, superius dixi.* R. *Odire. Statim post, Odium est inueterati animi rangor.* L A V. *Non Græcum, non Latinum, non Hebraicum, sed rancidum nomen est.* R. *Simultas, est latens odium.* L A V. *Nec odium est inueterata maleuolentia, nec simultas odium latens, sed mutuũ odium, siue ipsum odium, tantumq; ab inimicitia differet, quòd inimicitia utique opere se ostendit, & uerbis & factis aduersarium lacesit, simultas plerunq; intelligi contenta est, aut (ut sic dicam) offensionẽ suam præ se ferre, ut apud Ciceronem pro lege Manilia, Vt multas, simultates partim occultas partim apertas intelligam mihi esse subeundas*

Exorare
Oro.
Exoro
Persuadeo te & tibi.
Pituita
Catarrhus
Lentiginosus
Simultas.
Odium
In micitia

Exosus Perosus Inuidia

subeundas. R. *Exosus & perosus, actiue & passiue dicitur.* L. *Actiue fateor, passiue proba.* R. *Inuidia est odium.* L. *Imò atrocitas, uel reprehensio, uel detractio, ut in elegantijs copio*

Quilibet

sius. R. *Omnis quicunq; quilibet, quisq; unusquisq; unusquisq; piam, singulusquisq;, nemo non concti per o, & per c, unusquisquelibet, nullus non, in idem recidunt.* LAV. *Quilibet non uniuersale, sed particulare est, id est unus, quem tibi capere li-*

Vnusquisquisquisque Singuli quique Quisque

ceat, ut plenius disputauimus in dialecticis. Vnusquisquisquam, quomodo uniuersale erit, cum idem sit quod aliquis unus? singulus quisq; non dicitur, sed singuli quiq;. Vnusquisquelibet inaudi-tum, atq; agreste est. Concti per o scribere debere nemo ante hunc dixit: de c, quoq; dissentio. R. *Aliqui credũt, quòd quisq;, & quiq; non recte ponantur, nisi post superlatiuum pluralẽ, ut optimos quosq; uiros, & sanctissimi quique uiri, sed recubent in ludi nouissimo loco, legant Macrobium, qui in singulari numero, neque superlatiuo dixit, die quoq;, & homine quoq;.* L. *Qui sunt isti Raudensis, qui ita credũt? Nẽpe solus ego hoc tradidi, quod tu ab auditoribus meis accepisti, quodq; ego apud te, ac te præsente legi in commentarijs istis tuis (ut testatus sum) in secundi libri de elegantia linguæ Latinæ procœmio, uerum aut istam in me contumeliam non scripseras, cum hunc locum legeram, aut ea mihi postea componenti exciderat, siquidem aliquot annis post te opus condidi, tametsi (ut opinor) ante te edidi, licet alij potius edidere quàm ego. Sed omitto amicitiam, quam tu in ista ætate, & professione lædere non debebas. Videamus uter erret, quanquam haud dubito si elegantias meas legisses, laudandum me duntaxat hoc in loco putasses, non carpendum, ut cæteri fecerunt, dicis me errare, qui uelim quisq;, & quiq; tantum poni cum superlatiuo plurali, ego ne quisq; cum plurali numero cõiungerẽ? ita ne barbarus sum, & ab elementis grammatice alienus, qui de lati-*

nitate

Digitized by Google

mitate, & elegantia præcipere uideor? sed hoc transeo, quid est autẽ, cur meum præceptum tantopere derideas? quia Macrobius aliter usurpat, esto. Quid Cic. Quintilianusq;, quos in primis imitandos propono, usurpant ne & ipsi aliter, an non? si usurpant, cur nõ eorũ profers potius exempla? Quid Macrobium unum, doctum quidẽ uirum, sed nequaquã ex eloquẽtibus mihi obijcis? feciſſes igitur ſi huiuſmodi exẽpla apud Ciceronem, Quintilianumq; reperiſſes, ſi nõ usurpant, ut certe nõ usurpant, quid causæ est, cur me ſummorum oratorũ ueſtigijs inſiſtentem accuſes, & ad Macrobij iudicium uoces? an non ſentis non me reprehendi abs te, ſed Ciceronẽ, Quintilianumq;, ac cæteros linguæ latinæ, atq; eloquentiæ principes? Adde, quòd ſi Macrobius in uno aut altero loco aliter, quàm trado, uti ſolet: certe in plurimis id, quod præcipio, cuſtodit. Neque uerò (ut teſtatus ſum) in opere illo de elegantia legem trado, quaſi nunquã aliter factum ſit, ſed quod frequẽtiſſime. Nunc ad extremum agnoſce imperitiã tuam, cum dico quiſque coniungi cum ſuperlatiuo, non cum poſitiuo, de adiectiuis loquor, non de ſubſtantiuis, atque exempla Macrobij de ſubſtantiuis ſunt, quod nemo dubitat, ut quiſq; pater, quiſque ciuium, quæq; mulier, quo ipſe in eodem loco teſtatus ſum, cum dixi quiſque non habere genitiuum pluralem, duntaxat cum adiectiuo, quod cum ita ſit, planè apparet Macrobium non contra me facere, ſed eum cum cæteris autoribus præceptum confirmare, id eſt te errare, non me, & quiſque cum ſuperlatiuo, nõ cum poſitiuo debere coniungi. Quæ res à me copioſius in eo ipſo, quod dixi, opere explicatur: cæterum ſicut in hoc, quod me peccare exiſtimaſti, contumelioſius fuiſti, cur in eo, quod à me, id eſt ab auditoribus meis audiuiſti, non fuiſti gratus? ubi de per & quàm præcipis, itemq; numerum minorem præponi maiori, tametſi quæ præcipis, obſeruare nõ potes (quod ſummopere pudendum eſt) ſi modo recte præcipis, nam numerum

Quiſque cũ ſuperlatiuo adiectiuo.

Quiſq; tantum in ſingulari.

Digitized by Google

minorem non utiq; præponendum dixi, nisi interueniente copula, & alia in hanc rẽ plura, uter ergo Raudensis, tu ne, an Laurentius recumbere debet in ludi nouissimo loco? uerum non refundam ego tuam in te contumeliam, & amicitiæ nostræ tribuã aliquid quod tu nõ fecisti. RA. Oportet. In fine, Plautus in Aulularia, Da mihi operã, id est, occasionẽ, facultatem. LAV. Imò inserui mihi, hoc est, operam tuã mihi impende, ut idẽ Plautus in Capteiuei duo, Quæ res bene uertat mihi, meoq; filio, uobisq;, uult te bonus herus operam dare tuo ueteri domino. Terentius in Phormione, Nos operam dabamus Phedriæ. Aliquando pro eo, quod est audias, unde Cic. Quintilianusq; testantur Demosthenem dedisse operam Platoni, id est discipulum ei fuisse. RA. Ne reus maiestatis illorum fiam. LAV. Reus pro nocens accipit Raudẽsis, ut in capite peccatum, reatum pro peccato, qualem apud ueteres significationẽ non reperias. nam de usu euangeliorum hoc loco non attinet dicere, cum plura disseramus in libris super nouum testamentum. RA. Ordo. Deinde, Homo serius. LAV. Vult Raudensis serium hominem dici à serie, cum sẽries habeat primam breuem, sẽrius uerò longam. ergo à serio descendit, nec significationem ordinis à serie separat, quod ego in elegantijs feci. RA. Ornatus. LAV. Plurima nomina ad ornatum pertinentia enumerat, nec ea exponit, nihil aliud faciẽs, nisi quòd se illa posse dicere, quæ docere uult, indicat: ego uerò si ea coner exponere, opus uocabulorum componam, non notas Raudensis attingam. RA. Hortus per h scribi debet, inde hortulus. LA. Si hoc ita est, cur hoc uocabulum in capite o literæ, & non in capite h posuit? RA. Olitor est olera uendens in foro olitorio. LAV. Ego potius pro eo accipio, qui uulgo dicitur hortulanus, unde Varro de lingua latina, Nam ut holitor digerit in areas sui cuiusque generis res, sic in oratione. RA. Ouis. Statim post, Ammon est aries per duplex m, ut ueruex, idest, aries.

Dare operam.

Reus.

Reatus.

Serius.

Series.

Hortus.

Holitor.

Hortulanus.

Ammon.

LAV.

LAV. Ammon est harena, non aries: nec latinum nomen, sed Græcum. Decepit autem Raudensem, quòd Iupiter (qui dicitur Ammon) colitur sub imagine arietis, Sed imaginis quidem alia causa est, nominis autem ratio ab harenis, quibus undiq; circuniectis lucus in medio relictus est, ubi templum Ioui erat extructum. Veruex est aries castratus, non tamen aries, sicut mas. ialis nõ est uerres. RA. Pactũ. LAV. Raudensis ait Quintil. Seruiumq; dissentire in præterito pepigi, quod nunc minime uerum est, nam ille ait pepigi, ita esse à pago, ut cecidi à cado: hic uero nunquam lectum esse pepigi à pango, licet quidam hoc sentiant. A pango dixit Seruius non uenire pepigi: ergo fatetur à pago. RA. Palus. Non multo post, Larius Lacus Galliæ Cisalpinæ. Deinde, Lemãnus lacus Galliæ. Deinde Luceriæ lacus per quem transit Rhenus. Deinde, Cumanus lacus, unde exit Abdua, require Plinii de naturali historia. LAV. Quæro abs te, qui Plinium in testẽ citas, ait ille aliquem lacum uocari Cumanum in Galliâ? nõ dico, quòd Comensem, nõ Cumanum dicere debueras, sed aliquem lacum à Como uocari. Lege ergo diligẽtius utrunq; Plinium, patrem, filiumq;, & intelleges non sic appellari, nec alium hunc esse à Lario lacu. Lemãnus lacus est, ut qui uicinus Gebennæ in Rhodanum influit, à quo Alemanni uocantur, licet hoc tempore non dicantur illi esse Alemãni, sed Galli. RA. Pario. Deinde, puerperium proprie est primus Partus. Deinde, in fine puerpera est puella primi partus. LAV. Imò puerpera est, quæ recens peperit, ut nomen ipsum indicat, non quæ primum partum enixa est, totiesq; mulier puerpera est, quoties puerum, aut pueram parit. Ouidius autem de Latona, quæ geminos pepererat, ait. Magna gemelliperæ uenerantur numina diuæ. At puerperium est tempus, quo ex dolore partus cubat, seu intra domum se tenet, nec puerpera tantum puella est, sed etiam (ut dixi) quæ plurimos peperit, adeò, ut si tantum esset

Iupiter quare dictus Ammon.

Veruex.

Mutalis.

Verres.

Pepigi.

Comẽsis lacus.

Lemannus. Alemanni.

Puerpera.

Puerperium.

Digitized by Google

fœmina primi partus puerpera, quod longe est secus, tamen & anus potest esse primi partus mulier. An Helizabeth puerpera fuit? neque enim uocatur puerpera, quia puella parit, sed quia puerum, puerámue, ut modo dixi, nec quia primo partu. Aliquí dixisset Terentius, Glycerium puerperam potius, quàm primi partus mulierem, uerum (ut testatus sum) postquam peperit, & intra dies purgationis puerpera est. RA. Rato. Paulopost, Deinde, cum armis præsto forent, id est parati. LAV. Raudensis eodem modo accipit hoc nomen, quo uulgus, quod ait, ego sum præsto, id est paratus, præsto sum igitur, idē est quod præsens sum, & cætera quæ in Elegātijs latius. RA. Paruulus. Deinde, dicimus puellum tantillum, id est paruulum. LAV. Ipse non affert exemplum. Syrus apud Terentiū ait, Quem ego puerum tantillum in manibus gestaui meis, credibile est Syrū ostendisse gestu manus, pusillitatem illam quam dicebat, sed iam à quibusdam est usu receptum, ut etiam sine gestu ita dicatur, ut Plinius de Regulo, Spe legati elusō, ne tantillum quidem reliquit. Scribebat enim Plinius non loquebatur, ubi opus non erat gestu. Cicero quoque in uerrem actione IIII. Quorum oratione iste, cum pretium iam accepisset, ne tantulū quidem cōmotus est, & in eundem sæpius. RA. Nam quantula nostra uoluptas, id est parua. LAV. Interrogatio facit, ut suppleatur parua, nā propria huius loci expositio est, nam quātulum magna est uoluptas nostra. RA. Pascere. Paulopost, Et dum pabulatu redirent armenta. LAV. Redire pabulatu, non licere dicere iam admonuimus. RA. A. Gellius dixit ullaticæ pastionis. LAV. Quasi non T. Varro librum inscripserit de ullaticis pastionibus, neq; uerò Raudensi faciendum fuit, ut tam sæpe A. Gellium pro teste afferret, hominem curiose nimis, ac superstitiose loquentem. Quid dicam de Apuleio, in eo præsertim opere, cuius nomen est de asino aureo? cuius sermonem, si quis imitetur, non tam aureè

Præsto.

Tantillus.

Pastio ullatica

loqui

loqui, quàm nonnihil rudere uideatur. R A. Patientia. In fine, dicimus etiam per se tulit, per te feras, id est ultra naturam hoc patere. L A V. Hoc inauditum est, sed præ se tulit, & præ te feras, de quo significato in Elegantijs dixi. R A. Paucũ. Paulopost, Quota pars erat, id est modica. L A V. Dixi superius, cum ita interrogamus, suppleri parua, est enim sic interrogando, quota eiusdem significati, cuius quanta, ut in elegantijs docuimus. R A. Pax. Paulopost, Treuga est & securitas præsentia personis, & rebus ad tempus, discordia nondum finita. L A V. Si cum literatis agis Raudensis, quid ita diffinis illiterata uocabula? sin cum illiteratis, istam tuam diffinitionem nec intellegunt, nec desiderant. Quid quòd personas ais pro hominibus? non minus ineptè, quàm cum treugæ pro inducijs uteris, de hoc etiam in Elegantijs. R A. Pellis. Deinde, Pelliparius, parans pelles. L A V. Quid est parare pelles? quis etiã utitur hoc nomine pelliparius? En magister elegantiarum, qui elegantijs bellum indixisse, aut contra illas bellum gerere uidetur. R A. Pœna. Deinde, Mugilis piscis est uelocissimus, in modum serpentis, qui in sacco parricidali mittebatur, ut podicem ingrederetur. L A V. Quis piscis inclusus sacco uiuit, nisi forte anguilla, ac murena? Quis item piscis ingredi locum illum hominis posset, aut auderet? frigida loca, atque humida, spacioscq; adamant pisces, non calida, non sicca, non arcta, sed nimis de re illiberali, nec digna, quæ ab homine pudenti dicatur. R A. Pœnitet. L A V. Pluribus uerbis conatur exponere Raudensis, pœnitet quid significet, & specialiter in loco Ciceronis, Quo ad te quãtum proficias, non pœnitebit, ego statim, breuiterq; exponam pœnitet, præter illam usitatam significationem, est idem quod piget, quæ significatio parum abest ab illa naturali, ut Terentius in Hecyra, Quod si perficio, non pœnitet me fãmæ meæ. Et Vergilius, Nec te pœniteat calamo triuisse labellum. Nõ autẽ,

Ptæ se, Præ te ferre.

Quotus.

Treuga.

Persona.

Pelliparius.

Mugilis.

Pœnitet.

Digitized by Google

ut hic, & alij quidam exponunt pro parum uidetur. nec Aulus Gellius satis docte, subtiliterq; defendit Marcum Tullium ab Asinio Pollione, cæterisq; obtrectatoribus in loco illo orationis pro Cælio, Nunquã efficiet, ut pœniteat eum deformem esse natum, pœniteat, ait Cicero, quasi pigeat, doleat, tædeat, ut idem de senectute: Nec senectutis meæ pœnitet. Et T. Liuius, Nec pœnitet esse in ea opinione. RA. *Pensio. Inde, pensionarius. Census est annua pensio.* LAV. *Pensionarius est Raudense uerbum, non Romanum. Census quoque non est annua pensio, nisi apud non sanè doctos, sed aut quidquid fortunarum quis habet, unde Quintil. Abiere uires, census, mens, aut id quod principi per capita soluitur, siue per focos. unde dicitur quis soluisse, aut non soluisse censum.* RA. *Pendo. Deinde, Apuleius ait gradus pensiles, id est, passus.* LAV. *Quid exponis, gradus, an pensiles? Si gradus, nihil hoc ad propositum: sin pensiles, hoc non significat: gradus pensiles, quid sint, in elegantijs dixi: nunc uerò Apuleius sentit gradus pensiles esse suspensos passus.* RA. *Penu, cellarium, promptuarium.* LAV. *Autor accipit penu non modo pro rebus, quæ reponuntur ad uictum (ut omnes aiunt) sed etiam pro loco illo, quem idem cellarium, promptuariumq; appellat: quod nemo doctorum dixit.* RA. *Penuria, Cicero dixit in summa annonæ caritate, id est penuria.* LAV. *Imò aliud est penuria annonæ, aliud caritas, ut in alio opere dixi, & nunc iterum dicam. Penuria annonæ est paucitas, ac raritas annonæ, caritas uerò, carum annonæ pretium, quæ potest esse magna, cum nulla penuria sit. ut quando iniqui annonam habent, & supprimunt, ut carius uendant, aut non supprimunt, sed carè uendunt. Et ediuerso plurimarum rerum penuria, id est raritas est, & earum nulla caritas, certe bonorum uirorum magna sanè penuria est, & ij, qui sunt, cari non sunt.* RA. *Pera. Deinde, Clitellæ etiam sarcinulæ sunt.* LAV. *Imò iumentorum*

Pensionarius. Census.

Pensilis.

Penu.

Penuria.

Caritas.

Clitellæ.

Digitized by Google

torum (ut vulgo uocantur) basti, super quos sarcinæ, aut alia o- Basti.
nera ponũtur. R A. Persequor. L A V. Vult hoc uerbum in mæ Persequi.
lam partem tantum accipi, nam de significatione eius in bonam
dicere omisit, quod etiã non raro reperitur, ut enim dicitur perse-
quor te, id est infeste te sequor, ita persequor quæ incœperant,
id est, pergo quæ cœperam dicere, sed de hoc in elegantijs. R A.
Petere. Deinde, cõtendere est cum efficacia petere. L A V. Imò Contendere.
cõtendendo, siue eũ conatu, ac nixu petere, semperq; id requirit
ablatiuum hoc modo, ut apud Ciceronẽ, Frequenter à me cõten
derunt. R A. Item iubeo te illam amare, id est, peto cum magna Iubeo.
instantia. L A V. Imò aperte dicere & quasi hortari, ut iubeo
te saluere, iubes me bene sperare. Vergilius, Cur cœlum me spe-
rare iubebas? sed de hoc uerbo in elegantijs latius. Instantia non Instantia.
probatum uocabulum est. R A. Piges. Paulopost, Accidia est a-
nimi torpor, quo quis bonũ desinit inchoare. L A V. Vt id si-
gnificet hoc nomen, non potest scribi latine, nec pronũtiari, nisi Acedia.
dicamus, scribamusq; acidia, seu acedia, utrũq; tamen per unum Desino.
c scribendum, pronuntiandumq; est. Taceo quòd desinere est
eorum, qui inchoarunt, non eorum, qui nondum inchoarunt,
ut ait Raudensis. Nemo enim potest desinere inchoare. Illud
nunc addo de significatione, locus ille psalmi, qui ait, Dormita-
uit anima mea præ tædio, græce est præ acedia, ut idem sit tæ-
dium, & acedia. Item locus alterius psalmi, Et anxiatus est su-
per me spiritus meus, græce est acediauit, ergo idem est anxie-
tas, & acedia. R A. Ignauia est animi uitium, quo quis in ali- Ignauia.
quo opere nullam adhibet discretionem. L A V. Inaudita hæc
huius nominis diffinitio, est enim ignauia contraria fortitudini,
ut Cicero multiq; testantur, cum quod ratio aggredi fortiter
suadet, id nos formido dissuadet, & ab audendo retinet. Discre Discretio inep-
tio non est uocabulum dignum eo, qui doctrinam elegantiæ pro- tum.
fitetur. R A. Pinguis. Deinde, Vitulum saginatum, qui butyro

Digitized by Google

Saginari.

Sagina.

Cõplures perquampluſculi ineptum. Per. Quam.

Imbrex. Canalis. Aqua defluit. Libripens.

& melle ſaginatur. LAV. *Quis unquã dixit uitulum paſci butyro & melle? ſaginari enim eſt delicato, opiparóq; edulio impinguari, ſaginatur itaq; uitulus mollioribus herbis, fœnóq;, aut aliis cibis, manu humana miniſtratis, non butyro & melle, mortuum fortaſſe* Raudenſis *intellegit, qui profecto non dicitur ſaginari, etiam ſi totus ſagina aliorum animalium farciretur. Vſus ſum nunc ſagina, non pro cibo, quod uſitatiſſimum eſt, ſed pro abdomine, atque pinguedine, ut aliqui autores uſurpant, quorum eſt* Iuſtinus, *libro uigeſimo inquiens, Sublatis deinde æmulis, in ſegnitiem lapſus, ſaginam corporis ex nimia luxuria, oculorumq; ualetudinem contraxit.* RA. *Plures. In fine, Quãpluſculos, id eſt quamplures.* LAV. *Complures, non quamplures, ne perquampluſculos quidem reperiri apud doctos reor. Quid autem uis ampliare ſignificatum nominis diminutiui? quippe pluſculum, minus quàm plus ſignificat, per autem, & quàm augent. ego uerò dicerem compluſculos, non ut augerem, quod augeri non uidetur poſſe, ſed ut deriuem diminutiuum ab illo. Complures dixi non uideri poſſe augeri, quia cum dico perpauculum, augeo uim ipſam effectumq; minuendi, id eſt multum, ualdeq; paruum, cum dico, perpluſculos dies, perpluſculos nummos, duo contraria inuicem augeo paucitatem numeri, & comparatiuum, quod auget numerum: quæ duo cum ſimul eſſe nequeant, neſcio an liceat dicere perpluſculos, ſiue perquampluſculos.* RA. *Pluuia. In fine, Imbrex eſt canale tecti, unde aqua effluit.* LAV. *Imbrex tegula eſt, ſed magis concaua quàm plana, canalis item potius, quàm canale, à qua defluit potius, quàm unde effluit.* RA. *Fondus. Deinde, Libripens, qui libra pondera rerum determinat.* LAV. *Negat libro primo inſtitutionum Vlpianus, & qui hunc in teſtimonium affert Priſcianus, ac Bœotius in topicis, nam eſt, qui libram æneam tenet, hæc enim ſunt uerba Bœotij, Mancipi res ueteres appellabant,*

Digitized by Google

bant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quãdam nexus fieret solẽnitatem, nexus uerò, est iuris solẽnitas, quæ fiebat eo modo, quo in institutionibus Caius exponit, adhibitis non minus quinque testibus Romanis puberibus, & præterea alio eius conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipium accipit, ita dicit, Hũc ego hominem, qui mihi emptus est hoc ære, æneaq́; libra, ex iure Quiritum meum esse aio. R A. Poëta. L A V. Luceium accipit pro poëta, qui erat historicus, ut epistola Ciceronis ad illum datur intellegi, de quo etiam meminit in oratione pro Cælio. Item deitatem ait, cum ueteres omnes dixerint diuinitatẽ, & deitatem dici non posse, ratio ipsa conuincat, ut primo repastinationum libro docuimus. R A. Quicquid sit de his interpretationibus & uersibus, hoc unum scio, quòd poëtæ sæpenumero confundunt istas. Nam unam pro alia ad uersum suum pro commoditate trahunt. L A V. Quicquid sit, posuit pro utcunq; sit, item unam pro alia, cum dicere deberet aliam pro alia. R A. Dubitant quoq;, Homerus an ante, uel post Hesiodum uixerit, qui tamen contemporanei fuerunt, sed qui ætate maior fuerit, ambigitur: tamen annis multis fuit ante Romulũ. L A V. Pro an dixit, uel: in dubitando enim semper ponitur an, ut ipse ex parte fecit, sed in secundo loco non etiam posuisse an, turpius est, quàm si utrobiq;, uel, posuisset, siue aut. Item melius dixisset, uter maior, quàm qui maior. Contemporanei autem non inuenitur, præsertim in hunc sensum, in quo cum à multis alijs, tum uerò à Cicerone dissentit, qui in Catone ait, De quo doctus Hesiodus, ne uerbum quidem fecit. At Homerus, qui multis (ut uidetur) ante seculis fuit, nec me fallit multos tam Latinos, quàm Græcos in ea esse opinione, unde Aulus Gellius ex ipsius Hesiodi epigrammate, quod nunc Thessalonicæ in marmore ostenditur, uult probare Homerum ab Hesiodo superatum fuisse, quod significat Hesiodus ipse in opere

Luceius.

Deitas ineptũ.

Vtcunq;.

Quicquid sit.

Vnã pro alia.

Vel.

An.

Vter.

Contemporaneus.

Homerus.

Hesiodus.

de re rustica, non habita mentione eius, quem uicerit, tamen plerique sentiunt alterum Homerum multis pòst seculis natum, ab Hesiodo uictum, uoluntq; Homerum etiam bello Thebano, Troiano q; interfuisse. Hesiodum autẽ Stesichori patrem fuisse. Quid mirum si per obliuionem Raudensis à Cicerone dissentit, cum suipsius obliuiscatur? qui paulopost ait. R A. *Hesiodus poëta contemporaneus Homeri, non solum poëta, sed Pythagoreus fuit.* L A V. *Quomodo fuit Pythagoreus Hesiodus, & ætate Tarquinij regis, cum Homerus, quem ætate Hesiodi fuisse ait, tamdiu fuerit ante urbem conditam?* R A. *Hunc in Tusculanis*

Pythagoras. *Cicero nominat, fuit tempore Tarquinij prisci.* L A V. *Pythagoras fuit tẽpore Tarquinij, nec Prisci, sed Superbi, & (ut Liuius ait) Seruij regis, non Hesiodus. Item Archilochum facit*

Archilochus. *esse tragicum, cum sit iamborum scriptor, de quo (licet græco) non debuit tamen ignorare, cum de eo multi latini scribant,*

Pindarus. *itemq; de Pindaro lyricorum principe, quem hic tragicum esse*

Alcæus. *uult, sic Alcæum quoque, quem lyricum esse, cum alij, tum*

Aratus. *Sappho ad Phaonem scripto carmine testatur. Aratum nescit, in quorum poëtarum numero reponat, ignorans opus illius primum esse à Cicerone, deinde à Germanico Augusto translatum*

Aeschylus. *heroicis uersibus, ut Græce scriptum est. Aeschylum tempore Darij fuisse, quis non hunc putet cum Darium esse, cum quo ter*

Afranius. *Alexander iusto bello pugnauit? atqui ante eum aliquot seculis Aeschylus fuit, utpote primus omnium tragicorum. Afranium Græcum esse suspicatur, qui togatarum (ut iterum dixi) scriptor fuit.* R A. *Cicero illum quam familiarẽ habet.* L A V. *Cur non tuum præceptum Raudensis obseruas de per, & quàm? nempe quia non est tuum, sed ab auditoribus meis per te exceptum, in quo iterum laberis.* R A. *Horatius tempore Au*

Accius. *gusti fuit, & Vergilij quam familiaris.* L A V. *Accium comicum poëtã ait, Pacuuius quis sit tacet, cũ uterq; tragicus fuerit.* R A.

Et in

Et in primis egregius, lege rogo Iuuenalem. Et alibi. Lege hoc precor. LAV. Quid alienius à dignitate, atque autoritate componentis, quàm obsecrare legentes, ut legant, quasi ut illi iudices sint, in quorum arbitrio pendeat salus, ac uita obsecrantis? custodienda est ab auditore maiestas, & attentio, non precibus, sed rationibus, ac rerum dignitate, ponderéq; comparanda, rogat ut legamus etiam poëtam, cum ipse uelit hoc unum opus, quod ipse composuit, pro omnibus sufficere. RA. Musas sibi ait quàm familiares esse, easq; Sicilidas. LAV. Iterum quàm familiares dixit, pro perfamiliares, siue perquamfamiliares, siue quàm familiarissimas. RA. Pomũ. Deinde, Baccis, id est pomis. LAV. Quæ baccæ sunt, poma non sunt, ut oliua, bacca lauri, grana myrti, similiaq;. RA. Pomeriũ. uiridarium, id est, pomerium, locus plenus uiriditate. LAV. Pomerium esse locum iuxta muros, & pomarium locum consitum pomis, in elegantijs dixi. RA. Populus. Aliquanto post, Arpi populi sunt Italiæ, inde creditur Cicero uocatus Arpinas. LAV. Quæ tanta tua Raudensis ambitio, ut omnia in isto opere inserere uelis? etiam tuas orationes (taceo quàm ornatas) etiam astronomiam (sileoq; quàm docte) etiam rhetoricam (non dico quàm uere) & flumina, montes, urbes, populos, & alia multa etiam, quæ prorsus ignoras. Nam Arpi in Apulia sunt propè urbem, quæ nunc dicitur Foggia. Arpinum unde fuit oriundus Cicero, longe illinc abest: quare uereor, ne propter nimiam loquacitatem, tuum hoc opus omnes homines à scribendo, ne dicam à legendo deterreat. RA. Getæ nil aliud sunt nisi Gothi. Getuli etiam dicti sunt. LAV. Getuli in Aphrica, Gothi autem ex septẽtrione uenerunt. RA. Porcus. Deinde, Cicuris est proprie porcus domesticus. LAV. Hieronymũ, qui hoc (ut opinor) dixit, non affert Raudensis. affert Ciceronis exemplũ, quod ab hac præceptione dissentit, cum dicit feris cicuribus natantibus, profecto cicures,

Perfamiliares. Perquãfamil.
Baccæ.
Pomerium. Pomarium.
Arpi. Arpinum.
Getuli. Gothi.
Cicur.

Digitized by Google

cures, non proferis accipiendæ sunt, sed pro manuefactis, ut pa-
làm Varro testatur, reddens etiam ex ipsa etymologia causam,
ut alibi docuimus. RA. Porrò in fine, T. Liuius sæpe dicit com-
portant tigna, comportant bladum, nec dicit portant. LAV.
Raudensis sæpe sua uerba alteri tribuit, quis enim apud Liuium
alium ue autorem legit bladum? reperitur autem apud Liuium
ac cæteros, ut comportat, ita portat, ut in multis locis, quorum
unus est, Siculum autem omne frumentum in Aetholiam ad exer
citum portari iussum. Et alibi, Cõmeatus tamen haud secus quàm
in pace, in agris, castellisq; hostium Romani portabant. RA.
Possum. Deinde, Est namq; aduertere, id est animaduerti potest,
& nusquam scriptum inuenire est, id esse factum, id est, inuenirè
potest, & multos est uidere pecuniæ cupidos, id est, uidere pos-
sumus. LAV. Raudensis uidere uult hoc opus non euoluen-
dis sedulo libris, sed memoriæ beneficio condidisse: quod pruden
ti lectori longe uidetur esse secus, cum in pluribus alijs, tum ue-
rò, quòd in copia maxima exemplorum nulla homini exempla
succurrunt. sed quædam ex seipso confingit, ut hoc loco exem-
pla nullo autore proferuntur, ac ne proferri quidem possunt,
nisi ex poëtis, ut apud Vergilium, Scis Proteu, scis ipse, nec est
te fallere quẽquam, id est quia non est poßibile cuiquam fallere
te, qui modus per negationem potius fit, ut exemplum ipsum
hoc ex Vergilio sumptum. Estq; figuræ græcæ magis, quam la-
tinæ, unde fit, ut multa huiusmodi non politi interpretes effun-
dant, quale est illud, Non est dare uacuum in natura. RA. Po-
tis. LAV. Imò impugna Priscianum qui ait apud Terentium
scribendum esse, Quid ais? cum uirgine una adolescens cubue-
rit plus potus, non autem potis. Ostendat. Raudensis stare uer-
sum, ut ipse emendat, & melius sentire quàm Priscianum confi-
tebor. Potus namq; habet primam longam, potis uerò breuem.
RA. Pretium. Deinde, Item minoris uẽdidi, uel maioris. LAV.

Bladum portare.

Est cum infinitiuo.

Non est dare. Potis. Potus.

Non di

Non dicitur maioris uendidi uel emi, sed pluris. R A. Præfectus Multo post, Quinetiam inquilinus aquam in cœnaculo habeat, qua igneo terrore ingruente præsto accurrere posse censeatur. L A V. Non recte usus est præsto, neque in significato, neque in coniunctione alterius uerbi, quàm substantiui. etiam igneus terror improprie dicitur, pro eo quod est terror ignis, neque enim dicitur aurea cupido, ferreus timor, pro auri cupido, & ferri timor. R A. Præsentialiter. L A V. En latinum, elegansq; uocabulum. R A. Præsepia dicuntur non tantum in quibus aut canterij, id est equi antiqui, aut iumenta, aut cætera animalia pabulantur, sed omnia loca clausa, & tuta, dicta sunt præsepia, unde Vergil. Fucos à præsepibus arcent. L A V. Canterij sunt equi castrati, non autem antiqui, ut quibusdam placet. Græci cantelios uocant asinos, à spinis tollendis. Nec pabulari, est in stabulo comedere equos, sed homines pabulum equorum ex agris capere, unde sæpe legimus milites missos esse pabulatum. Præterea male diffinit præsepia. Nam Vergilius figurate dixit præsæpia, eodem modo, quo dixit fucos pecus, hic enim uersus eius est, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Qua translatione uenustiorem, ac uerecundiorem alteram translationem fecit, nam cum dixisset pecus, decentißime subiunxit præsepia, quod imitans Quintilianus, hanc translationem, ut aliquantulum abhorrentem à prosa, in usum oratorium commutauit. Aliæ militaribus castris pellant uulgus ignauum. ergo dicamus omnia loca clausa esse castra, quia Quintilianus alueum apium dixit castra, hæc Raudensis noster eloquentiæ (si ei credimus) præceptor ignorat, qui propria nunquam à translatis uerba distinguit, & perinde de omnibus loquitur, acsi propria utique essent. R A. Proconsularis. Paulopost, Quo seriosius delectum facere posset consulem creauit. L A V. Seriosius pro ordinatius posuit, quod non inuenitur, nec in hunc, nec in alium sensum.

Maioris uendo non dicitur.

Præsto.

Terror ignis.

Præsentialiter

Canterij.

Pabulari.

Castra.

Digitized by Google

Proconsul.

sensum. RA. Obseruari cœptum est, ut quo quisque anno consules fuissent, sequenti proconsules remanerent. LAV. Hoc nunc audiui, nam Cicero non fuit proconsul, altero post consulatũ anno, & multi antè proconsules fuere, quàm consules, ut Pompeius, Quintilianus, Cicero. RA. Proditor. LAV. Statim post, usq; ad calcem errat. ait enim, RA. Factiosus, qui fingit se facere ut prosit, sed facit, ut noceat, seditiosus, qui discordias seminat, cõmentum, occultus & malitiosus tractatus. item urbem ex composito inuadunt, scilicet per proditionem. LAV. Est nãq;

Factiosus. Seditiosus.

factiosus (ut superius dixi) qui potens in ciuitate nititur esse contra æmulos, seditiosus, qui seditiones amat, ut in elegantijs do-

Cõmentum.

cui, cõmentum est excogitatio. An commentum Donati est mali-

Ex composito.

tiosus tractatus? quãquam non me præterit Raudensem illustrantem tractatum pro coniuratione intellegere. Ex composito, est ex conuento, cum clàm inter se conuenerunt, & hoc frequentissime in bonam partem: nam si contingat aliquos insidiari hostibus, aut aduersarijs, quod nemo inhonestum esse dixerit, ex composito fieri dicere possumus. RA. Professio. LAV. Nõ aperte

Professio. Profiteri.

Raudensis hoc nomen diffinit, ego (ut breuiter dicam, neq; enim nisi breuiter dicere licet) sic diffinio, professio est aperta, ac uoluntaria confessio, ut profiteor me amicum esse inimici tui. Inde, qui artes liberales docent, professores dicuntur, quia artes illas se sci-

Profiteri apud prætorem.

re, ac posse publice tradere, fatentur, profiteri autem apud prætorem (uti de Archia est apud Ciceronem) & profiteri siue nomina, siue censum, ut est cum alibi, tum uerò in iure ciuili, & in euangelio, quòd profitebantur omnes in Iudæa sub Augusto,

Inducíari.

ex hoc fonte uenit. RA. Prolongare, inducíari. LAV. Inducíari pro differre, siue pro cunctinare, Raudensis accipit: ut iterũ dixi, illiterate nos loqui docens, nõ (ut profitetur) literate. RA.

Spondere.

Promitto. Paulo post. Spondent, id est certificant. LAV. Docti aiunt spondere esse ultro promittere, ut apud Vergilium, Nõ

si mihi

si mihi Iupiter autor Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo. RA. Pronuntiator. LAV. Ais cannæ pro arteriæ: ais garrire, pro acute exclamare. ais strepitus pro uociferatio, id est, hæc illa significare. Itē colis, comis, & periodis, pro distinctione punctorum, ais comis in plurali, cū eiusdem singularis sit hoc comma, tis. Ais Quintilianum, cum dicit cōmouere tragœdias, de pronuntiatione sensisse, hoc est de exclamatione, & cum hæc dicas, putabo te post Ciceronem & Quintil. de arte oratoria posse præcipere. nam Consultus, ac Martianus Capella, & quidam alij de arte præcepta hæc dant, sed pluruma ex Quintiliano ad uerbum sumpta, cū tamen de illo, à quo furantur, mentionem non faciant, homines improbos, planeq; ingenio misero, ac furaci, quos aliàs castigabimus. Tu tamē, quasi illis doctior sis, audes de eloquendo, ac pronuntiando conscribere, præsertim recedens ab illorum summorū principum uestigijs. Poteram equidem ad singula præcepta rhetoricæ (nam omnes colores rhetoricæ psequeris) te refellere, atq; iure optimo deridere, à quo faciēdo retinuit me, & prolixitas huic libro alienissima, & pudor, ne quis nimis existimaret iratum, sed à breuitate institutā recedimus, dū plura quàm oportet de opis nostri breuitate fabulamur. RA. Cœpit cauda ad aures utrinq; repercussa excandescere, & suscitare se ira. LAV. Si leones nunquam uiuos, certe pictos, sculptos ue inspexisti, an tibi caudæ tam proceræ uidentur esse, ut flagellare utrinq; aures queant? Si hoc ita esset, & oculos flagellarent, quod, quia obesse uisui posset, nō est putandum diuinā prouidentiā ultra quā oporteat, proceram dedisse leonibus caudam. RA. Acrimoniam etiam inesse, id est rugata fronte, qualis CHRISTVS futurus est in ultimo iudicio. LA. Quasi acrimonia uultus rugare sit frontē, & quasi oratores aduersus iudices eā seueritatē, idemq; supercilium exhibere deceat, qua iudex est, aut magistratus in eū, qui dānandus est rei capitalis, & quod omnium

Cannæ. Garrio. Strepitus.

Martiani furta

Acrimonia.

Digitized by Google

omniũ terribiliſſimũ eſt, qualis deus & homo CHRISTVS in homines erit diabolosq; dãnandos, ſi modo CHRISTVS contracto ſupercilio, id eſt iracundo animo ſedebit, & non poſſit iudicare, niſi indignatus. RA. Dabatq; Octauianus aſſiduo phonaſco operam, eſt enim potio, qua utebantur poëtæ, cum recitabant. LAV. Imò phonaſcus eſt muſicus, apud quem Octauianus aſſidue ſtudebat. Ait enim Suetonius Octauianus dediſſe operam Phonaſco aſſiduo: hoc eſt, audiſſe muſicum, cantoremq; aſſidue, à quo diſceret rationem utendæ, confirmandæ, emendandæ uocis. RA. Propè. LAV. Nõ eſt cominus idem quod propè, ſed (ut ſic dicam) à propè, ut cominus te inceſſebant lapidibus, hoc eſt, è propinquo loco, ſicut econtrario eminus, è longinquo, ſed ita tamen longinquo, propinquoq;, ut propè intra ictum teli eſſe poſſit, aut quod ſit id genus, non enim recte dicas cominus ueni, eminus redeo, de hoc iterum ſuperius. RA. Prouerbium. Deinde, Dicamus iure uetus elogium, id eſt, uetus prouerbium. LAV. Dixi in elegantijs elogium teſtificationem eſſe quandam ſcriptis mandatam, ut in opere illo exempla oſtendunt, unum tamen ſubijciam Cice. pro Cluentio, Elogium recitaſti de teſtamento Cn. Egnatij patris, hominis honeſtiſſimi, uidelicet ſapientiſſimi, Idcirco ſe exhæredaſſe filium, quòd is ad Oppianici condemnationem pecuniam accepiſſet. RA. Pugna, Au. Gellius dicit in maledictis aduerſus improbos non uelitandum, id eſt, leuiter pugnandum, licet & hoc loco abſque leuiter dicatur. LAV. Quaſi uelitari ueniat à leuiter, & non à βέλος, quod eſt iaculum græce, quo genere teli qui pugnabant, & eum in modum, quem Liuius, Valeriusq; narrauere, uelites dicti ſunt, & hinc uelitor, pugno, ac digladior, poſtea de re ad uerba translatum, tanquam uelites dici poſſint, qui uerbis altercantur. Velitandum ergo non eſt maledictis aduerſus improbos, id eſt mutuis cõuitioriũ iaculis, nõ

Phonaſcus.

Cominus.

Eminus.

Elogium.

Velitor.

eſt aduer

est aduersus improbos pugnādum, uel in morem uelitū, cū illis decertandū. R. Pulcher. Et aliquāto post, censura est animi nō corporis, ideo melius membrorum decorem, ac pulchritudinem dicimus, q̄ censurā: tamen quia in usu censoriū hominē pulchrū dicimus, post hoc pulchritudinem reſciri. L. Hūc usum non agnoſco, ac prorsus mihi talis ignota est ſignificatio. Censorius enim homo est, qui censor fuit, & qui dignus est propter morum grauitatem, qui alios censeat, id est de moribus aliorum iudicet, aut qui iudicauerit mores, aut qui opera aliorū censuerit. Censorius

R. Puer. Paulo post, Sueto. de Octauiano ait, Pueros pumilios, atq; distortos abhorrebat, pumilios id est molles, & enerues, ac elumbes. L A. Quàm credibile est Augustum exhorruisse molles, enerues atq; elumbes, quasi tales aut ipse nosset, aut aliquis ad eum ferret, non ergo de his loquitur Suetonius, sed de nanis, & enormia membra habentibus, qualē Valerius Marti. describit in illo distichо, cui nomen est Pumilius,

Si tantum ſpectes hominis caput, Hectora credas,
Si ſtantem uideas, Aſtyanacta putes.

Abhorrebat quoq; dixit, pro exhorrebat. Abhorreo enim uult post se ablatiū cum præpoſitione a, uel ab, ut Cicero, A qua fateor nullū ætatis meæ tempus abhorruiſſe, id est alienū fuiſſe. Abhorreo

R. Punire. Aliquanto post, Vindicabo eam, ne ueniens in nouiſſimum ſuggillet me, id est puniat. L. Imò detrahat, carpat ac cuſetq; me, ut frequēter apud Hieronymū ſuum, quod declarat ipſa uox Græca, unde traduximus. Sugillo

R. Quando, deinde, Aliquā do Romæ esse cœpimus, q̄d nobis deſuit? id est quādo. L. Hoc inauditū est nobis aliquando pro quando poni, neq; ipſe rite facit, ut in re noua nō afferat aliena exēpla, ſed ſua, hoc potius erat dicendū, & quando pro aliquādo accipi antecedēte num, ſic, nunquando me adiuuiſti? quæ interrogatio facit hoc ſignificare num aliquando. In quem modum aliqui accipiunt illud in Aliquando

Nunquando

Digitized by Google

euangelio Lucæ, Nunquando uos misi sine sacculo, & pera, & calceamentis, quid uobis defuit? Quem locum tamẽ Raudensis uidetur afferre uoluisse, sed in cõtrariũ sensum. Vbi enim posset esse quando pro aliquãdo? & iste accipit aliquãdo pro quãdo. R. Quasi. Deinde, Nullus prophetarum propemodũ tam aperte dixerit, id est quasi. Item, subridens, id est quasi ridens. L.

Propemodum
Subridens

Imò propemodũ, siue prope, hoc est, penè, siue ferè. Subridens enim, subiracscitur, subobscurus, est aliquãtulum ridens, aliquãtulum iracscitur, aliquantulum obscurus, sub idem tempus, sub eandem horam: est eodem tempore, & in eadem hora, licet sub eandem horam uix reperitur, sub idem uerò tempus frequẽtissime, ut apud Quintilianum, Venit in ciuitatem, ubi munus parabat sub tempus ipsum, quo pugnaturus erat dues filius. R.

Sub idẽ tẽpus.

Quatinus

Quare. Deinde, Quatinus coniunctio causalis, id est qua ratiõe per i, scribitur, eatinus, id est ea ratione, aliquatinus, id est, aliqua ratione. L. Imò & per e, scribẽdæ sunt hæ dictiones, neq; hoc significant, ut in elegantijs docui. Nam quatenus significat quoniam, uel inquãtum. Eatenus uerò, usq; eo, Aliquatenus est aliquantulum, siue ex aliqua parte, ut Quintil. Verum hoc aliquatenus temporum conditione mutatum est. R.

Quatenus
Eatenus
Aliquatenus

Ve

Que. Ve cõiunctio, coniungit, siue disiungit, ut inter asinum, lupum ue magna distinctio est. L. Imò ue idem est, quod uel, siue aut, ut bonum, malum ue sequimur omnes, id est bonum, aut malum, docti, indocti ue simus nihil cogitas, siue docti, siue indocti. R.

Quidam. Deinde, Vbi nota quòd plus conueniunt quispiam, & quidam, quàm aliquis, & quidam. Et iterum, Aliquis enim rectius coniungitur nomini cõmuni, ut aliquis homo, & quidam, & quispiam nomini proprio, ut quempiã Simonem. L. De hoc in dialecticis latius disputauimus, & nõnihil in elegantijs attigimus, & in hoc ipso libro. Itaq; hic breuiter iterũ dicã. Quidam, & aliquis hoc differunt, quòd quidam certum hominem

Quidam

signifi

significat, ut, quidam uult accipere filiam meam pro uxore sine dote. Aliquis uerò incertum, ut aliquis uolet accipere filiã meã pro uxore sine dote. Ibi scio ac nominare possum, quis ille est, hic non possum: nonnũquam, sed tamen perraro, inuenitur aliquis pro quidã, ut pro Plancio Cicero ait, missum esse aliquem in prouinciã. Quispiam autẽ, & quisquam nihil ab aliquis differunt. Illud autẽ exemplũ ex actibus apostolorum, quempiam Simonem, quàm elegãter dicatur, in libris interpretationis noui testamenti ostendimus. Illud tamen sciamus improprie dici (quo quidam utuntur) est quid mirum, est quid pulchrum, quod ex Græco descendit, significat quiddam hoc loco, nõ aliquid, nam unam Græci pro duabus Latinis dictionem habent. Dicendum ergo est, quiddam mirum, quiddam pulchrũ, siquidem quid pro aliquid accipitur, non pro quiddam. R. *Quis, & quotus, & quotusquisq;.* L. *Quotus, & quotusquisq; exponit pro quis, cum significent quot, duntaxat interrogatiue, ut in elegantijs diximus. Melius hoc præcepisset, id quod multi barbare, aut impolite dicunt, secundum quod ueniebant ad manus, diuisi famulis uestes, dicendum esse, ut quæq; ueniebant ad manum, siue ut quæq; occurrebant.* R. *Recitare.* LA. *Raudensis in eundem sensum accipit recitare comœdias, tragœdias q;, & agere, actitare q;, quod longe diuersum est. Recitare est scripturã clara uoce, ut alij audiant intelligant q;, legere, unde poëtæ, historici q;, & alij scriptores recitabãt publice opera sua, & nõnulli aliena, ut fit in comœdijs tragœdijs q;. Aliquãdo nõ legẽdo fit recitatio, sed memoriter referendo, quæ uel scripta sunt, uel dicta. Nihil enim interest legere, si quæ pronuntio memoria teneo. Quintil. At ista legẽ recitat, de muliere loquẽs, quæ cæca erat. Plautus, Recitat memoriter. Agere, est gesticulationem facere, quod est histrionũ, atq; mimorum.* R. *Recõmendatitiæ literæ.* LAV. *Commendatitias literas dicimus, non recommendatitias:*

Aliquis

Quispiam Quisquam

Quid pro quiddam male poni. Est quid mirũ. Quiddã mirũ

Quotus. Quotusquisq;.

Secundũ quod Vt quæq; ueniebant

Recitare comœdias

Agere comœdias

Commendatitiæ literæ

Committo. Pro maiori parte. sicut cõmendo, nõ recommẽdo: & committo me tibi, nõ autem recommitto. R. Et erunt uerba Ciceronis pro maiori parte. LA. Cum uerba Ciceronis afferre te dicis, cur non uerba illius

Ex maxima parte. loqueris? ex maxima parte ille dicere solet, non pro maiore

Complures. parte. Item, Vereor, inquis, quamplures tibi recõmendo. Complures dicere debuisti, tum quia Cic. sic loquitur, tum quia cõtra præceptum tuũ est ubi ais quàm superlatiuo debere cõiungi, nec recõmendo dixit Cicero, sed commẽdo, ut superius testatus sum. R. Recordor. Deinde, Te (ut dixi) fero oculis, id est memoria teneo, & te semper post me feram. Itẽ, multa me fugiunt, id est non recordor. Et non te fugit, id est recordaris.

In oculis ferre L. In oculis fero, est quod semper uideor uidere te & alloqui, audireq; pro beneuolẽtia, ut apud Vergilium, Illũ absens absen

Præ me fero Fugit me tem audit q; uidet q;. Præ me fero, quod nõ dissimulo, & uoce, uultu, gestuq; fateor, aut amare me quempiã, aut odisse, aut bene sentire, siue male de aliquo homine, siue de re, & quæ sunt similia. Multa me fugiunt, est idẽ quod multa nescio, quasi illa prehendere nõ possum, ut Cicero, Sed tunc ea ratio me fugit, id est, hanc rationẽ nesciui. At si Raudensi credimus, quæcunq; nos fugiunt, ea aliquando sciuimus, quoniam nemo dicitur non

Recoreor recordari, nisi quæ didicerat. Hic secus fit, quia de omni re, ac ratione, quæ nobis cogitantibus non occurrit, dicimus eam nos fugisse, nisi Platonem sequimur, qui uult dicere esse recordari. R. Reddo reddis, restituo restituis, redibeo redibes sine h.

Redhibeo L. Imò cum h, ut exhibeo, prohibeo, perhibeo, adhibeo. L. Re

Norma gula. Deinde, Norma est maxime in regendo. L. Imò norma est instrumentum illud duorum laterum, quo fabri omnia diriguntur, ac metiuntur. Inde quæ recta, dimensaq; sunt, normam habere dicuntur. R. Relinquere. Deinde, Item uox mea me defe-

Deficio cit, id est reliquit, & deficiet tempus enarrantem. L. Deficio cum tempus ponitur, similibusq;, non cum persona, iunctũ ac-

cusa

cusatiuo. Dies enim me deficiet, idem est, quod dies mihi deficiet. Sed illo modo per accusatiuum apud eruditos frequentius. Quæ similia tẽpori dixi, huiusmodi sunt, ut Cicero in Verrẽ, Vides te quanta deficiant. Et in eundem, Vox me citius defecerit, quàm nomina. Et in eundem alibi, Vt si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate, & de casu Reipublicæ, & indignissima morte, non modo uires, uerum etiam uita deficiat. Id mihi præclarum, & iucundum putem. Plinius iunior, Tandem eum patientia defecit. Vxor me defecit, ego nõ dicerem, sed milites, sed populi, sed discipuli mei à me defecerunt, hoc est, ab imperio, & præceptione mea recesserunt, aut si uis, uxor à me defecit. R. Respondere. Deinde, Nequaquam literis satisfacerem, id est respõderem. L. Si literis (ut ego interpretor) est ablatiui casus, significatio esset, placatiorem & æquanimiorem facerem te per literas meas, sin datiui, subintel legetur tuis, ut sit sensus, me tuæ excusationi expostulandum, querelæq; purgarem, atq; excusarem. R. Illi sic obstrepunt, id est respondẽt. L. Imò strepitu loquentem interpellant, atq; dictis illius strepitu aduersantur. R. Cum hæc diceret, reddere nesciuit, id est respondere. LAV. Cuius hoc exemplum est Raudensis? Apud Ciceronem, Quintilianumq; non semel legimus, cur hoc credam, cur hoc uelim, cur fecerim, suo loco reddam, id est ostendã, & explanabo. R. Respicere. Deinde, Totum Lustrabat lumine corpus, id est respiciebat. L. Imò circuibat, ut idem autor alibi, Lustra Auentini montem. Respicere quoq;, est retro aspicere, quibus exemplis pleni sunt omnes libri. R. Reputare, id est, in bonam, uel in malam partẽ aliquid habere, ut homo nullius momenti, id est, reputationis. L. Imò reputare, est secum cogitare, seu recogitare. ut Boëtius, Cum hæc mecum tacitus ipse reputarem. Quintilianus, Quoties facta reputaui, flagella mentis sonant, ultrices uideo furias, & in

Literis satisfacere.

Obstrepere. Reddere.

Lustrare. Respicere.

Reputo.

Digitized by Google

quancunq; me partem conuerti, occurrunt umbræ meorum. Liui. lib. XXI. Vnusquisq; se, non corpus suum sed coniugem, ac liberos paruos protegere putet, nec domesticas solum agitet curas, sed identidem hoc animo reputet uestras tum intueri manus senatum, populumq; Romanum. Ecce aliud est putare, aliud reputare, nec homo magnæ reputationis dicitur, nisi ab ineruditis, sed magnæ existimationis, aut magnæ opinionis, uidelicet quòd homines de eo egregie existimant, atq; opinãtur. R. Sic exponit Priscianus in sexto maioris. L. Indecorum est labi in errorem imperitorum, qui dicunt Prisciani maioris, minorisq;, cum unum opus sit, non duo, eo quidem magis, quòd librum appellant opus, quod constat pluribus libris. R. Rhetorica & rhetorice in nominatiuo & ablatiuo. L. Si Græci carent ablatiuo, quæro an possit dici in eo casu rhetorice, quæ Græca uox est? R. Quintilianus ait, rhetoricen in Latinum transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominauerunt. L. Damnat horum nominum inuentores illic Quintilianus, nõ probat, ut uult Raudensis. R. Circa unumquodq;. L. Imò unumquidq;, nunc enim est substantiuum, secus autem cum adiectiuum, ut unumquodq; nauigium, de quo prius & in opere de elegantia. R. Similiter laudes, & uituperia. L. Vituperia ostende quis dicat. R. Patronus ergo Verris commutauit personam pro facto, nolens ob infamiã eum nominare, sed Cõsiderate (dixit) iudices uictorem Daciæ, & attendite quantam gloriam nobis comparauit, subiugando ipsos Dacos nostræ potestati. L. Vbi hoc legisti Raudensis? nunquid orationes Hortensij habes, qui fuit Verris patronus? quanquam quis nõ agnoscit ista uerba aliena ab antiquitate? præterea quis narrat Verrem superasse Dacos? tantum cum Siciliã contra Pyratas fortiter tuitum esse accepimus. Huic facto simile est, quòd aliũ pro alio nominas, ut Plinium pro Quintiliano, interdumq; illorum

Homo magnæ existimationis & opinionis.

Rhetorice

Vnumquidq;

uerbis

uerbis tua addis, ut ibi, interdũ docti uidentur copiam habere maiorem: quod dicũt omnia, quæ sciunt, & nesciunt, garriunt, obstrepũt, latrant, horum uerborum nouem sunt Quintiliani, octo posteriora Raudensis. R. Sed hoc nõ satis ne his modo, qui doctrinam hanc ingressi nouiter sunt, cæterũ ne his quoq; qui aliquid profuerunt. L. Dum rhetoricæ præcepta dat Raudensis, uideamus an (quod infra rhetoricen est) Latine loquatur. Ait, cæterum ne his quoq;, pro sed ne ijs quidem, nam etsi cæterum, pro uerum, siue sed, accipiatur, tamen hoc loco minus accommodatum est. Hijs autem nõ reperiri satis patet per ea, quæ de his, & ijs superius diximus. Nequit enim adesse aspira tio cum gemina ij. etiam nouiter dixit pro recenter, profuerũt quoq; pro profecerunt, prodesse enim, ad alios quoq; spectat, proficere uerò ad se tantũ. R. Vnũ enim uerbum proprie, significanterq; positum, totam interdum illustrat orationem. L. Non uerbũ istud est, sed fulgur, quod uno flammarum iactu mundũ omnẽ illuminat, qui enim potest unũ uerbum totã illustrare orationem præsertim proprium? quippe magis translatũ orationem illustrat, quàm propria: & nullũ debet in oratione esse uerbũ, quod non sit proprium, nisi fuerit ornatũ, hoc est, illustrius, quàm propriũ, dicendum ergo erit, unũ improprium uerbum obscurat, occæcatq; sentẽtiam, & (si uis) etiã orationem, non utiq; unum proprium illuminat, si cætera parũ apte, parumq; significanter adhibeantur. Siquidem plus incommodi est in uno malo, quàm commodi in uno bono. R. Itaq; hoc autoribus non est elaboratũ, uel quia non ab his animaduersum, uel quia difficilis horũ est tractatio. L. Si alius, quàm Raudẽsis foret, qui hæc tam magnifice, iactabundeq; effunderet, quibus uerbis uel quãto impetu, quãta procella in ipsum inueheret? nõ est elaboratũ autoribus, quomodo uerba ꝓprie, significanterq; ponerentur, & si hoc non fecissent, non propter difficultatem

Cæterum
Ne ijs quidem
His uno i, scribũ
Nouiter
Re enter
Prodesse
Proficere

in hoc non elaboraſſent, quæ difficultas te non retinuit, quare quoniã omnes colores rhetoricos in hoc tuo opere exequeris, quaſi tu præter cæteros de elocutione enucleate, eleganterq; conſcribas, non ſuſtineo, quin primum, qui ſe offeret, colorem abs te traditum, diſcutiam quàm ucre tradatur, ut ex hoc uelut guſtu aliorum quoq; ſapor intellegatur, nunc quàm proprie,

Diuerſitas modorum uitioſa.

ſignificanterq; poſita ſint à Raudenſi uerba tractemus. Primũ coniunxit contra Latinitatis rationem ſubiunctiuum cum indicatiuo, quia dicendum erat in utroq;, aut eſt, aut ſit, deinde ſic.

Phyſica. Metaphyſica

R. *Ariſtotilem.* L. *Licet aliqui uulgo dicant phyſicam, ac metaphyſicam, tamen phyſica, ſiue metaphyſica, inſcribũtur opera illa numero plurali, nec Ariſtotilem dicendum fuiſſe, ſed Ariſtotelem ipſa nos pronuntiatio docet, quippe cum ſic ſemper loquimur, ego, ſum Ariſtotelicus, libri Ariſtotelici, opus Ariſtoteliciũ, non Ariſtotilicum.*

Ariſtoteles

R. *Deinde, & qui nobis tribuere, quàm multum ſoles.* L. *Quàm multum dixit, pro permultum, contra ſuam ipſius regulam, ſi ſua potius, quàm mea eſt.*

Quam Per

R. *Deinde, Sed tamen cum neq; libris ipſis abundamus, nec fieri poteſt, ut non aliqua interdum excidant memoria.* L. *Idem uitium, quod paulo antè attigi, de diuerſis modis in eadem oratione, ſiue in eodem complexu.* RA. *Deinde, Idipſum, quod apprime cupiunt, quàm facile credunt.* LAV. *Quàm facile poſſuit pro perfacile, ſiue perquam facile, ſiue quàm facillime. Apprime minus oratorium eſt, ſignificat tamen ualde, producitur q; media ſyllaba.*

Apprime

R. *Animos q; mihi quàm familiares oſtendere.* LAV. *Idem, quem modo dixi, error.* RAV. *Deinde, huius enim commentarij cognitio ſtudioſis iuuenibus, & ſi non magnam utilitatem (ut nonnulli iam iudicant) afferet, at certe (quod magis cupio) bonam uoluntatem.* LA. *Commentarium appellat tam immenſum opus, quo nullum ex omni uetuſtate maius extat, præterea uidetur Raudenſis non recte intelligere*

Commẽtarium

Quin

Digitized by Google

Quintilianum, cuius extrema uerba operis de oratoria institutione hæc sunt, Habes Marcelle Victori, quibus præcepta dicendi pro uirili parte adiuuari per nos posse uidebãtur, quorum cognitio studiosis iuuenibus, & si non magnam utilitatem afferet, at certe (quod magis petimus) bonam uoluntatem, non inquit Quintilianus suam bonam uoluntatem, ut de se ait Raudensis, sed iuuenum studiosorum, id est, animum propensum ad uirtutes, cum orator in primis debeat esse uir bonus, quæ prima ipsius laus est, proxima, dicendi peritum esse, ut solebat dicere Socrates, satis se feciſſe in discipulos, si bonam uoluntatem illis induisset, id est, mentem propensam ad uirtutem effecisset. R. Deinde, circa elegantiam uocabulorum, splendoremq; uerborum, totus hic liber est editus. L. Editus dixit pro conditus. Condere enim est componere, edere autem, publicare, nec liber quidẽ, opus hoc appellari deberet. R. Stabit semper incõcussa sententia, malle imitationẽ homines sine arte, quàm artẽ sine imitatione posidere. L. Neq; imitatio est sine arte (quia pars artis est) neq; ipsa ars citra imitationẽ fit. Cum enim legimus orationes, uirtutesq; earũ intelligimus, tũc imitamur id arte, quæ in illis latet, nostrũ pectus imbuimus, memoriamq; instruimus, nisi ipsum scribere, ac loqui orationẽ, imitationemq; uocas, qui magis usus, cõsuetudoq; atq; exercitatio uocari debet. Ac ne dubitare posimus imitationẽ artis esse partẽ, & quid ipsa imitatio, qualisq; debeat esse, uno capite Quintilianus ostendit, sed initiũ posuisse sat fuerit. Ex his, cæterisq; lectione dignis autoribus uerborum sumenda copia est, & uarietas figurarũ, & cõponendi ratio, tum ad exemplũ uirtutũ omnium, mens dirigenda. Neq; enim dubitari potest, quin artis pars magna cõtineatur imitatione. Nã ut inuenire primũ fuit, estq; præcipuum, sic ea, quæ bene inuenta sunt, utile sequi. Atq; omnis uitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in alijs, facere

Editus Conditus

Imitatio

Digitized by Google

ſic ipſi uelimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur, ſic muſici uocem docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis deniq; diſciplinæ initia ad propoſitũ ſibi præſcriptum formari uidemus, & hercle neceſſe, aut ſimiles, aut diſſimiles bonis ſimus. Similes raro natura præſtat, frequenter imitatio, ſed hoc ipſum, quod tanto faciliorem nobis rationẽ rerum omnium facit, quàm fuit ijs, qui nihil, quod ſequerẽtur, habuerunt: niſi & cũ iudicio apprehenditur, nocet. Deinde ſubdit præcepta imitationis, Poſt quæ de imitatione non hiſcere moleſtiſſimum foret. At Raudenſis uocabula quædã exponit, & bene dicta ab autoribus ſine illa traditione, & alia multa ad rem nihil pertinentia, inculcat. R. Reuertor. Paulopoſt, Accipiet reduces, id eſt, reuertentes, dixit Vergilius. L. Seruius melius, qui exponit reduces pro à periculo domũ reuerſos. R. Præpoſteros habes tabellarios, id eſt, redeuntes. L. Non internoſcimus quando aliorum, quando Raudenſis exempla ſunt, opinor aſtute hoc facit, ut ſua quoq; ipſius exempla ueterum eſſe exiſtimemus. Hæc uerba Ciceronis ſunt in epiſtola quadã hoc ſignificantis, quòd tabellarij nihil ordine, nihil tempore agunt, ut iterũ in Lælio: Præpoſteris utimur conſilijs, & acta agimus, deinde conſultamus: cum antè cõſultare, ac deliberare deberemus, deinde agere. Et Quintilianus, Præpoſtera res eſt, filium occidere, deinde erubeſcere, id eſt, peruerſa, & quaſi inuerſa res eſt. R. Signum tibicinum ad armigeros reuocandos. L. Tibicines frequenter Raudenſis ponit pro tubicines. Tibicines ſunt, qui breuia illa organa inflant, multis in ligno ipſo (ſi lignea fuerint) foraminibus uocem diſtinguentibus: tubicines uerò, qui tuba canunt. Armigeros autem non eſſe milites, & qui eſſent, in elegantijs dixi. R. Ego Quintiliano hac in parte non ſatis adhæreo, ut motus pro arbitratu meo in animo ha

Reduces
Præpoſteri
Tibicines
Tubicines
Armiger

Digitized by Google

mò habere posſim, & gemitus, & ſingultus, & lachrymas ueras fundere, flent de facili mulieres : imò & uiri gregales, & inepti, animi magnitudinem neſcientes: ſimiliter effœminati quidam, ut aliquando hiſtriones, & mimi : idcirco Quintilianus ipſe exemplum (ut ſibi crederemus) eduxit, dicens. L. Ne quid foret, in quo non uideretur à uteribus diſcrepare, reprehēdit tertiam partem oratoriæ artis ſtoicus noſter. Nō ſentis Raudē ſis, te Ciceroni quoq; atq; ipſi ueritati, omniq; indoli Romanæ repugnare? an non mouit lachrymas Cicero? certe ex arte, non quia lachrymæ ipſæ uel actori, uel auditoribus ſua ſponte erumperent: negas adhuc? Stulte igitur Cicero de mouendis lachrymis præcipit, quid? Marius in cauſa Aquilij Antonio perorante non flebat? aut non oratio ipſa M. Antonij id efficiebat, mœſta, flebilis, & appoſita ad lachrymas commouendas? non uniuerſus populus Romanus lachrymas fudit Cn. Graccho necem fratris deflente? non mille alios legimus audientiū lachrymas concitaſſe, ſola ui orationis? non denique ſancti ipſi, atq; Apoſtoli & fleuerunt, & fletum auditoribus excuſſerunt? nō CHRISTVS & fleuit, & fletum non tantum mouit, ſed flere nos iuſſit? Quid? non ipſa lectione rerum mirabilium ab optimis auditoribus compoſitarum ita mouemur, ut iram, gaudium, timorem, ſpem, dolorem cōcipiamus, & ſæpe lachrymas erumpentes cohibere nequeamus? quid de ſe excellentiſſimi quique confitentur? Ego de me fortaſſis tanquam de mollis affectus, & fœminei pectoris homine, fatebor, cum Odyſſeam primum legi, multis in locis, ita multæ cum ſingultibus lachrymæ manabant, ut nec efferre uocem, nec inſpicere literas poſſem, & hoc in re fabuloſa atq; poëtica : quid facturus in uera, aut quam ueram eſſe crederem? atque ab hoc poëta longe omnium præſtantiſſimo, nemo non heroum qui ad Troiam pugnarunt, inducitur aut indignatione, aut dolore, aut miſericordia

Fletū concitati, ui orationis.

Fletus uirorum magnorum.

Digitized by Google

dia, aut gaudio, aut desiderio lachrymasse? & certe humani potissimum homines nec agrestes, nec efferati, uel sponte, uel ad actionem optimi oratoris in fletum erumpunt, histriones autẽ (quos effœminatos ait) non in rebus effœminatis, sed magnorum principum (utpote in tragœdijs, nam in comœdijs minus hoc accidit) lachrymas mouent, quod opus non nisi optimorũ histrionum est, & optimorum oratorum. R. Rigidus, infractus. L. Infractum pro non fracto accipit, quod (quantũ memoria repeto) pro fracto frequentius accipitur, ut apud Vergiliũ, Turnus ut infractos aduerso Marte Latinos. Ergo præfractum dicere debuerat, pro rigido ac seuero, ut apud Cicero nem, Cato noster nimis præfractus, ærarium defendere uidebatur. R. Ripa. L. Quatuor nomina attingit, quorum nullum aut planè, aut uere exponit: ripa, alueus, crepido, riparia: quæ ipse & planius, & uerius exponam. Ripa sic est extremitas terræ quam aqua fluminum, torrentium, riuorumq; alluit, ut extremitas terræ, quã alluit mare, est litus, nisi quòd ripæ possunt esse arduæ, litora uerò nemo uocat scopulos præruptamq;, atq; imminentem mari terræ altitudinẽ, quæ proprie rupes dicitur, siue mari impendeat, siue plano. Lacuũ autem stagnorumq;, ac magnarum paludũ magis litus, quàm ripa dicitur, qui propius ad imaginem maris accedunt, ut sint tantum ripæ aquarũ currentium, excepto Hellesponto, & si quid est tale, quarũ (ut sic dicam) lectus uocatur alueus. Crepido est ora terræ, quã aqua alluit, ex hoc appellata, quòd ibi aqua alluẽs crepat, crepitat ue cum currit, aut undas appellat, licet Græci sibi huius nominis originem uendicant. Per metaphoram uerò & putei extremã oram, quæ ad puteum respicit, quod uulgo dicitur os putei, & nomen extremitatem solemus crepidinẽ appellare, ut apud Hieronymum: In crepidine uiæ. Riparia autem nõ inuenitur, licet Genuenses, & alij quidam oram maritimam ipsorum ripariam uocent

Infractus
Præfractus
Ripa
Litus
Rupes
Alueus
Crepido
Os putei
Riparia

uocent, quasi mare ripas habeat. R. Riuula diminutiuum de riua. L. Rima, & rimula scribendum est, alioqui nescio quid hoc nomen sit. R. Sacrificare. Deinde, Nullo modo se diues extulit, id est extra uitam se tulit. L. Imò ad sepulturã se exportauit. Est enim extulit se, id est exaltauit se, uenit tamen ab effero, ut efferam eum laudibus, & extuli illũ præconio meo, tum ab extollo: ut, noli me supra modũ extollere, ego te infra meritũ extuli. Itẽ extuli ab effero, id est ad sepulturã, uel extra urbem tuli. Siquidẽ ueteres (nisi forte imperator, aut magistratus, aut singulari quodam merito insignis) solebant extra urbem sepeliri, & præcipue honesti homines circa uias, inde frequenter epitaphia ad uiatores diriguntur, eoq; cum dicimus, elatus est, significamus ad sepulturam, siue ad rogum extra urbem domuḿue, nam potest esse domi, qui extra muros latus est. R. Parentare est umbris mortuorum, aut tumulis parere, obsequi, ministrare. L. Hieronymus exponit pro conuiuium facere in honorem mortui, proprie autem parentare est mortuo, præsertim in templo, hostia humana satisfacere, eiusq; manes hostili sanguine placare, ut Achiles Patroclo fecit, & Aeneas Pallanti facere destinauerat. Cicero de Antonio dixit: Quod Cineribus Cæsaris cum ipsius Ciceronis tum aliorum multorum cruore parentare uellet. Mirorq; cur à pareo traducat hoc uerbum Raudensis, & non à pari, siue à parente, cum hæc primam breuem habeant, pareo uerò longã. R. Operari deos religiose, & ex sacrificijs summa ueneratione litare, uel conuiuari. Vergilius, in primo Georg. Lætis operatus in hærbis. exponit Nonius, sed ego non memini. L. Quid non meministi Raudensis? Noniuḿne hoc dixisse in Vergilium? itáne memoriter, ut ne repetere quidem libros uelis? si non recordaris, euolue autorem: sin male dicere existimas, profer sententiam tuam. Præterea litare aut non exponis, aut minus recte

Efferre

Elatus est

Parentare

Litare

Digitized by Google

recte exponis, significat enim sacrificio deos propitios impetrare, hoc est, cum aues addicunt, aut cũ exta bene promitiũt, ut frequenter legimus de multis ducibus, eos, cũ sacrificassent, litare nequisse. R. Sacerdos. Deinde, Est magis latinum nomẽ quàm presbyter, id est, episcopus, & quàm &c. L. Quod ait, non probat, nos autem sciamus sacerdos esse nomen latinum, presbyter uero Græcum, de quo latius in alio disputauimus opere, uerum ibi de ui nominis, hic autẽ de sola significatione, ac uoce, quam è Græco sumus mutuati, præterquam quod non presbyterus dicimus, sed presbyter, cum ratio magis illud exigat, quàm hoc, nisi eadem ratione à presbyteros declinemus presbyter, ut ab alexandros alexander, nõ alexandrus, ab antipatros antipater, non antipatrus, à menandros menander, non menandrus. Verg. tamen ab euandros, & euãder dixit, & euãdrus, presbyter apud Græcos adiectiuũ est, significatq; in comparatione, ut apud nos antiquius, pro melius. R. Sacrariũ. Deinde, Pastophorium, ubi sacraria reponuntur. L. Sacra repo nuntur, nõ sacraria, hæc cõtinent, illa cõtinentur, nec pastophorium est sacrarium, licet Græci quidã sic exponunt, dicẽtes esse gazophylacium, alij uerò thalamũ nuptialem, cũ quibus propè sentit Hieronymus, qui in Isaiam ait, Pastophorium est thalamus, in quo habitat præpositus templi. R. Saltẽ. Deinde, Emicat in currum, id est, saltat. L. Salit dicere debuisti, aut insilit, saltare enim tripudiare est, illinc uenit saltus, hinc saltatio, quod est (ut Vergilianis uerbis utar) pedibus plaudere choreas. R. Sanitas. Deinde, Sana Philumena est? Pamphilus, meliuscula est, id est, pauliſper melius. L. Imò aliquantulo melius habet, pauliſper enim est per aliquantulũ tẽporis. R. Satelles. Deinde, Emissarius, id est, sicarius. L. Hoc ipse nõ reperi, sed pro eo, qui ante exercitũ mittitur uel ad explorandũ, uel ad præliũ lacessandum, aliqui appellãt arietẽ emissariũ eũ, qui emißus in solitudi

Presbyter Sacerdos

Sacrarium Pastophorium

Salto Salio

Meliuscula est

Pauliſper Emissarius

litudinem est, uel qua ad generandam sobolem emittitur, sed ui detur ratio uelle, ut dicatur admißarius unde admißura, quãdo mares brutorũ admittuntur ad fœminas, sed de hoc alio loco dicetur. R. *Siccarius à ficca, id est, gladio absconso in ligno.* L. *Vt ita sit, quòd sica absconsa est in ligno, cur nõ illud Quintiliani addebas, sicarios eos etiã appellari, qui cædẽ telo quocunq; cõmiserint.* R. *Scamnũ. Deinde, Nam papa in suggesto, cardinales in subsellio inferiori sedent. Suggestus enim est regalis sedes.* L. *Imò suggestum est locus superior, unde ad populum senatum'ue orationẽ habemus: hinc est, quod dicitur quis ex superiore loco orare, quod significat Cicero cũ Prætor ad populum inquit, Hic autem locus ad agendũ amplißimus, ad dicendum ornatißimus est uisus Quirites, quodq; probat Raudẽsis. Exemplum ex eodẽ Cicerone sumptũ, Idem cũ in cõmunibus suggestis cõsistere nõ auderet, cõcionari ex turri alta solebat. T. Liuius lib.* VIII. *sic ait: Naues Antiatim partim in naualia Romæ subductæ, partim incẽsæ, rostrisq; earũ suggestũ in foro extructum, adornari placuit, rostraq; uel templũ appellari.* R. *Scelus. Deinde, Terentius dixit Ah minime gentium, id est, nequißime.* L. *Pro nomine (quantum intellego) accipit Raudensis minime, cũ sit aduerbium: idemq; est minime gentiũ, quod minime, sicuti ubiq; gentium, quod ubi, nusquã gentium idem, quod nusquã, siue nequaquam.* R. *Scire. Deinde, Quare uiderit Epicurus, id est, sciat.* L. *Imò uideat, hoc est, huius rei illi cura sit, uel huius opinionis ille rationem reddat, non ego, de hoc in elegantiarum opere diximus.* R. *Scopere, in psalmo habetur, scopebam spiritum meum.* LAVR. *Hieronymus in Isaiam tam in ipsius Isaiæ uerbis, quàm in suis, scopare ait, non scopere, hoc est primæ coniugationis uerbo usus, non tertiæ, nisi me codex fallit.* R. *Scribere. Deinde, Cicero ait, Sæpe scribam ad te, tu ad me uelim, quunquam dicit tibi.*

Admissarius Admissura

Sicarij

Suggestum

Templum

Minime Vbiq; Nusquam gentium

Videat

Scopare

Scribo ad te, scribo tibi.

L. *Hoc*

Digitized by Google

L. Hoc iterum superius præceperat timuit enim, nisi obliuione factum est, ne tam eximium elegantiæ præceptum nõ satis aduerteretur, nisi repetisset, quod si uerum esset, nimirũ & Raudenſi ob hoc inuentum gloriari liceret, & ego ut confiteor, erubescerem, qui hoc non aduertissem, cum de elegãtia scripsi. Verum hoc non me fefellit, sed illum: nam (ut taceam alios autores) ille ipse, quem Raudenſis protulit, ita Trebatio scribit, Scripsit ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore, cui ego quidem rescripsi: non dixit, ad quẽ ego rescripsi. Iterum circa finem, Scribit enim ipse mihi sibi gratias agere debere. Et iterum in tertia ab hac epistola: Sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti. Et multis adhuc alijs in locis. Idem in Philippicis: At etiã literas, quas me sibi misisse diceret, recitauit homo, & humanitatis expers, & uitæ communis ignarus. R. Secretus.

Adytum Deinde, Penetralia, & aditus sunt loca secreta. L. Adytum non aditus dicitur, uidelicet cum y, non cum i, significatq; secretiorem, & (ut sic dicam) inaccessam partem templi, & quasi sancta sanctorum: sic autem proprie templorum penetralia dicuntur adyta, ut ianua, ualuæ, ut Cicero in Ver. Quæ multos

Ianua Valuæ. annos ad ualuas Iunonis Samiæ steterũt. Et in eundem postea, Conuulsis repagulis, effractisq; ualuis, demoliri signum, ac ue

Domus Templum stibus labefactare conantur. Nam quod Ouid. inquit: Argenti bifores radiabant lumine ualuæ. Domus solum pro templo accipienda est, cum templum nihil sit aliud, quam domus dei alicuius, etiam ualuæ curiæ, locorumq; solennium dicuntur. R. Senatorum. Deinde, Cicero autem de senectute tantum aliquando senectuti honoris tributum scribit, quòd ut quisq; natu grandior esset, ita prior in senatu sententiam rogaretur.

Comparatiuũ. L. Cur Ciceronis uerba deprauas, & eum barbare loqui facis? nõ dicimus grandior & prior inter plures, sed inter duos:

roga

rogaretur etiam dixit pro rogabantur, quod ideo ipsi cõtigit, quòd pro illo, ut, quod erat accõmodatius, dixit quod. R. Seneca Deinde, Quintilianum nominat Seneca nono declamationum suarum libro dicens: Transeo istos, quorum cũ uita fama extincta est. L. In hunc errorem incidit Petrarcha, qualia multa peccat Vincentius historialis, ut alij multi ex plebe illiteratorum, qui alium pro alio, uel autorem, uel principem uirũ ponit, uelut Statium Tholosanum, pro Statio Cæcilio, ac tres Catones pro uno, duosq; Scipiones pro uno, nesciẽtes quo quisq; tempore fuerit, ita hi duo non uident Quintilianum plurimis annis superstitem Senecæ fuisse, quippe qui opus de institutione oratoria sub Domitiano, Traianoq; composuit, & mentionem Plinij iam mortui facit, sicut & ipse Plinius de Seneca mortuo. Senecam uerò à Nerone interfectum, qui senior Quintiliano circiter octoginta annos fuit, quiq; (si ipsi credimus) potuisset audire Ciceronem qui ante Quintilianum obijt circiter centum quinquaginta annos. ergo alius Quintilianus fuit, de quo Seneca meminit, & forte pater Quintiliani aut auus. Nam pater Quintiliani eloquens sanè fuit, ut quodam loco filius ipse testatur, afferens orationis illius testimoniũ. Quod si ita est, non ex Calaguritana urbe oriundus est, ut Hieronymus ait: sin illinc est, ergo nec pater Quintiliani fuit, de quo facit Seneca mentionẽ, quoniam Calaguræ non Romæ elequentiam exercuit. Nam idem Hieronymus ait, Galbam (qui fuit imperator post Neronem) duxisse Quintilianũ ex Hispania, ut Romæ rhetoricam doceret, de quò aliàs plura dicemus, hoc tantum dixisse cõtenti, Quintilianũ hunc à puero Romæ fuisse eruditũ, & Hieronymum ita in Quintiliano potuisse errare, ut fecit in Bruto, quẽ ait duxisse Porciam Catonis filiam in matrimoniũ uirginem, quæ fuerat Bibuli uxor, ut Plutarchus ait: De Seneca autẽ, an unus sit, an duo, minus diligenter attigit, cõtentus sen

Senecæ ætas. Ciceronis seculum.

tentia, nescio cuius Sidonij poëtæ, nec animaduertit Quintilianum testimonium afferre Senecæ in tragœdijs, ubi Medæa ad Creontem loquitur, Quas peti terras iubes? & tamen unũ Senecam inter legendos nominare, cuius & epistolæ, & dialogi & poëmata & opera philosophiæ ferantur. Tamẽ duo cximij Senecæ fuerũt, ut Martialis testatur: qui fuit æqualis Quintiliani Iuuenalisq; ait enim: Binosq; Senecas, & unum Lucanũ facunda loquitur Corduba. Cæterũ, an idem sit, qui tragœdias, & alia opera condidit, dubitari potest, certe qui nouæ tragœdiæ autor est, Seneca maior non fuit, de quo alias suo loco dicemus, nam de ementitis ad Paulum, & Pauli ad eum epistolis, in alio opere disputauimus. R. Secta. L. Sectam & factionẽ idem esse uult: cum secta sit inter philosophos, aut philosophis similes, factio autẽ inter potẽteis ciues, ut superius ostẽdimus. R. Sentire. Nonius ait, sensus, qui sentiunt: sensa quæ sentiuntur. L. Cur non afferebas ad hanc rem Quintilianum qui eã exponit planius, inquiens: Non raro tamen & sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent, nam sensus corporis uocabantur: sed cõsuetudo iam tenuit, ut mente cõcepta sensus uocaremus. R. Sententia est color rhetoricus Ciceronis. Quem si imitari collibuerit, non incongrue conuenit exordio, modo nõ ponatur in principio, tunc enim incideret illud exordij uitium, quod appellatur commune, & uulgare. L. Hoc est quod me promisi redditurum, quo se primum offerret loco, ideoq; quæ hic dico, eadem in cæteris, aut similia possem dicere, nam quis istas minutias præceptorum aut tradidit, aut traditas custodire posset? præterea, quis te Raudensis docuit sententiam facere uitium, quod dicitur commune, & uulgare? si enim ita esset, omnis sententia uitiosa esset, siquidem uitium commune, aut uulgare in qualibet parte orationis committi potest, non tantum in exordio: atq; in ipso exordio infinitæ sententiæ reperiũtur, ut apud

Senecæ duo

Secta
Factio

Sensus

De sententia

Exordia a sententia.

Quin

Quintilianum: Fas est uita periclitari, qui natum se meminit le ge pereundi. Et Cicero in Sallust. sic exorsus à sententia, Ea demum magna uoluptas est Crispe Sallusti, æqualē ac parem uer bis uitam agere. Statimq; post, Neq; qui uiuit ut tu, aliter ac tu loqui potest: nec qui tam illorū sermone utitur, uita modestior est. Nec longe post, Non enim procacitate linguæ, uitæ sordes eluuntur. R. Sed tale sit exordij principium, quale Cicero præcipit. L. Quod istud genus principij est? neq; enim unū est exordiendi genus. R. Valet in confirmatione, & confutatione. L. Cur non in narratione? ut pro Milone Cicero: Quod quisq; seruos suos in tali re facere uoluisset. Et Quintil. Semper apud solicitos in deterius prona persuasio est. Et alibi: Scitis, quàm negligenter custodiat ferrum bona conscientia. Cur non in egressione? ut idem Cicero, & pro eodem, Fabulā tuam, fictam, falsam perhorrescimus. R. Conclusioni autē conuenit per amplificationē & cōmiserationem. L. Ergo sine amplificatione, & cōmiseratione sententijs uti nō possumus, ergo omnes sententiæ, aut lachrymas mouent, aut indignationē. An illud: Difficile est tacere, cū doleas. Aut illud: Nihil est tam populare, quàm bonitas. Aut illud: Nulla est tanta uirtus, quæ dulcedine gloriæ nō tangatur, aut infinita huiusmodi uersantur in lachrymis aut indignatione? O quàm longe, & ab arte, & ab usu abest, qui hoc de sententia sentit. R. Cōgruit generi demonstratiuo, maximeq; deliberatiuo generi. L. Si indignationi, ac miserationi congruit sententia, color profecto non minus iudiciali conueniet, in quo maxime indignatio, cōmiseratioq; uersantur. R. Etiam honesto nonnunquam in dubio. L. Vix dici potest quantopere Raudensis ineptiat, qui honestum genus causæ, & dubium cum genere demonstratiuo, deliberatiuoq; coniungit, quasi aliquid simile inter se habeant. Verū quia nonnihil hac in re etiā Victorinus errauit, nō satis intellegēs in quo

Sententia in narratione.

Egressio.

Sententiæ uariæ.

Sententia iudiciali.

Genera causarum. differant tria genera causarum, demonstratiuum, deliberatiuũ, iudiciale, ab alijs quatuor generibus causarum, seu quinq; honesto, turpi, ambiguo, humili, admirabili, reddam ipse differentiam. Omnis causa aut de præterito est, aut de futuro. si de præterito, aut pro nostra uoluntate laudamus, uituperamus ue, aut alium accusamus, petimus ue, siue defendimus. Illud demonstratiuum genus causæ est, hoc iudiciale. Si de futuro consultamus, hoc erit deliberatiuum. Item omnis causa aut in lite est, aut extra litem: si in lite, iudicialis est: sin extra litẽ, aut in cõsultatione uenit, quod est deliberationis: aut laudamus, uituperamus q;, quod est generis demonstratiui. At illa alia quatuor non sunt nisi procœmij, quæ est una pars orationis, nec cõmunis ambarũ partium, si quidem causa iudicialis cõmunis est actoris, & rei, ut Milonis, & Clodianorũ. Deliberatiua, ut Fabij, & Scipionis de traducendo in Africam exercitu. Cõmunis est demonstratiua, ubi hinc laudatur, illinc quispiã uituperatur, ut, tu laudas Dionysium, ego uitupero, utriusq; personæ cõmunis est. An in exordio secus fit, ponamus ipsius uerba Ciceronis, ut pro uiro forti contra parricidam. Causa erit iudicialis, & hæc tam ad parricidam pertinet, quàm ad uirum fortem. ergo una erit amborum, in procœmio uerò diuersa: nam sua cuiusq; erit, altera uiri fortis, altera parricidæ, illa quidem honesta quòd pro uiro forti, & eo honestior, quòd contra parricidam: hæc uerò turpis, quòd pro parricida, & eo turpior, quòd contra uirum fortem. Erũt itaq; duæ causæ, ac diuersæ, & inter se plerunq; cõtrariæ, ut cõmunes esse nullo modo possint, neq; uerò uis hæc causæ honestas q;, aut turpitudo ad causam illam, quæ & controuersia dicitur, aliquid pertinet, sed est præsumpta quædam hominum opinio de actoris parte, uel rei, quod partem hãc honestum esse existimant, illam turpem: neq; id semper recte, cum de bona possint male sentire, & de mala bene, quod etiã sæpe

Causa iudicialis. Deliberatiua. Demonstratiua. Communis.

usu

uſu uenit, adeò ut fortis uiri cauſa queat eſſe iniuſta, & parricidæ iuſta: non enim perſonæ faciunt cauſam bonam, aut malã, ideoq; orator cum intelligit partem quam tuetur, laborare infamia, apud iudicum, auditorumq; mentes purgat infamiam, cõciliatq; eorum animos ad bene ſperandum de cauſa, quam actu rius eſt, & quantum fieri poteſt, contrahit in exordio beneuolentiam ſibi, & ab aduerſario alienat, ut poſtea probationem ipſius cauſæ in qua iudicium pendet, audiant, de iure noſtro bene, de aduerſarij male, iam opinionem quandam præſumentes, ideoq; hoc honeſtum genus cauſæ apud Græcos ab illo honeſto, quod uirtutem ſignificat, & hoc turpe ab illo, quod uitium diuerſo nomine appellatur, dicitur enim εὐδοξον & ἄδοξον, quaſi bonæ famæ, & malæ famæ. Quod etiam probant cæterorum generũ nomina, dubium, humile, admirabile, & ſi quod eſt aliud, non mutant genus cauſæ, quo minus ſit, aut iudiciale, aut deliberatiuum, aut demonſtratiuum, ſed tantum innuunt auditorum tacitam quandã uel de noſtra, uel de altera parte opinionem, quæ plerunq; nihil ad ipſam cauſam facit, eoq; extra ipſam probationem cauſæ. nam proœmium quoq; magis ſatelles, ac famulus cauſæ eſt, quo cauſa ferè tractatur. Sed hæc ſatis, pergamus ad reliqua. R. *Magis id conuenit coniecturali, & iudiciali, quàm legitimæ.* L. *Quomodo iſtud probas? an legalis materia minus ponderis habet, quã cæteræ, & quod coniecturalis recipit, id legitima non recipiet? Quid, non legitima uerſatur in coniectura frequenter, ſemperq; aut coniecturæ, aut finitioni, aut qualitati ſuccedit, quæ ſunt ſola capita conſtitutionum?* R. *In argumentando confirmationi, & exornationi tantum.* L. *Argumentatio eſt pars confirmationis, non confutationis: nam confutationem Ariſtoteles non numerat inter partes orationis, hoc ipſo, quòd qui confutat alteram partem, confirmat ſuam. Eſt autem idcirco argumentatio pars*

Proœmium

Legalis materia.

Argumentatio Confutatio.

Digitized by Google

confirmationis, & si uis, confutationis, quia non tantum argumentis confirmatio confutatioq; constat, sed etiam testibus, tabulis, alijsq; nonnullis: quod si confirmationi cõuenit: ergo & confutationi: sed his conuenit: ergo & omnia argumentationi.

Sententiæ attenuatæ, genera attenuatarum.

R. Item figuræ graui, & mediocri aliquando etiam attenuatæ cõuenit cũ ipsa attenuata ad mediocrẽ trãsit. L. Quasi omnes sententiæ graues sint & mediocres, ac non etiam plurimæ attenuatæ, ut enim materia uel grãdis, uel parua, uel mediocris est, ita sententiæ uariæ reperiuntur: nec tantũ sub hac trium generum uarietate inclusæ, sed sub alia mille genera: sunt enim dulces, acres, tristes, lætæ, honorificæ, lasciuæ, mordaces, blandæ, flebiles, inuidiosæ, & aliæ, quas persequi longum est, in unũquodq; cadentes causæ genus. At enim ut sibi credamus, affert è Terentio exemplum. R. Quod animaduersum à Terentio nonnullis locis uidemus, cũ præsertim sermo datur pluribus, ut Simoni in Andria: & alijs grauibus, & bonis uiris, ut Chremeti, cum Menedemũ alloquitur in principio Heautonti. tũc enim liceret uti sententia. L. Vbi nõ apud Terentiũ est aliqua sententia? an nõ statim libertus Sosia non pauciora sententiose dixit, quàm Simo patronus & senex? ueluti illud, Nam ista cõmoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficij. Et iterũ: Nam apprime in uita utile credo, ne quid nimis. Atq; iterum: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Et iterũ: Nam si illũ obiurges, uitæ qui auxiliũ tulit: quid facias illi, qui dederit damnum, aut malum? Et hoc quidem in narratione, in qua non uult Raudensis locum esse sententijs, cum in eodem loco Simo dicat & ipse nonnulla sententiose, quale est illud. Nam qui cũ ingenijs conflictatur ciusmodi, neq; cõmouetur animus in ea re tamen: scias posse habere iam ipsum suæ uitæ modum. Et iterũ: Ita ut est ingenium omnium hominum procliue à labore ad libidinem. R. In epistolis maxime ad confirmationem narrationis

Sententiæ in Terentio plurimæ.

tionis, uel petitionis, aut etiam conclusionis. L. Alia ne ratio est utendi sententijs in epistolis, quàm in cæteris sermonibus? cum plurimæ epistolæ sint graues, ac sublimes, multumq; admonitionum, & præceptorum continentes, proximeq; accedentes ad summum illũ gradũ, qui est in orationibus, quemadmodum multæ sunt orationes, præsertim aliquibus in locis quotidiano sermoni proximæ: quid porrò dices de libris, quales sunt dialogi, aut ex persona ipsius autoris? R. Aliqui tamen utebãtur in exemplo, sed non Cicero & antiqui. L. An non sentẽtiose locutus est Cicero pro Milone? Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui uim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quàm perpeti turpiter maluit. Atq; ille summus uir sceleri solutum, periculo liberauit. Denicq; hæc præcepta ita perplexa, ita dura, ita difficilia, etiamsi forent uera, mihi uidentur, ut iam nunc desperarem me illa custodire posse. Nam ad singulos colores, aut totidem, aut plura præcipit: uerum quid ago, & retexo reprehensionem meam? Redeo enim in memoriã, hæc Alanũ, & alios quosdam (quorum nomina pro amicitia nostra proferre uereor) tradidisse, in quos mea accusatio præcipue quidem cadit, sed nonnulla quoq; in Raudẽsem ipsum, qui uel stulta dicta imitari, uel (quod turpius est) aliena pro suis habere uoluit. Hoc cõtra alterum illud è nostro addimus, Ire in sententiam pedibus, est alterius sententiæ non uerbo, sed corpore accedere: ut apparet cum ex alijs multis locis, tum uerò è septimo Liuij libro, ubi Decius ad commilitones, qui secum obsessi intempesta nocte erant, orationem habens inquit: Qui hoc sentîtis in dextram partem pedibus transite, quæ maior pars erit, eo stabitur consilio. Deinde peracta oratione dicitur, Omnes in dextrã pedibus transierunt. Hæc ratio inuenta est, quòd nonnunquam longum est audire

Sententiæ in epistolis.

Sententiæ in exemplo.

Alanus.

Ire in sentẽtiam pedibus.

Digitized by Google

audire singulos, dum plurima sunt, uel duo capita sentẽtiarum sunt, ut expeditius res fiant. Aliquando ne pedibus quidem ire præ multitudine ad sententiã posſumus, ideoq; manu sententiã

Manibus ire in sententiam.

significamus. Quod Quintilianus intelligit, ubi ait: Manibus pedibusq; imus in sententiam necessitatis. R. Sequitur deinde, Imitationes. Cicero, Liuius & alij antiqui nõ dicerent à sequẽ ti, sed insequenti, & dies insequentes, non sequentes. L. Imò

Sequens

frequenter & sequens, ut ille mensis fiat foris periculosus, se= quens non minus domi. R. Seruus. Paulopost, Detitiij sunt,

Deditiij

qui ante libertatem ob manifestam culpã à domuis suis stigma= ta uel tormenta perpessi sunt. L. Hoc mihi inauditum est, sed deditiios esse omnes, qui se uel hostibus dedũt, ut ciuitates ob= sessæ, præsertim desperantes se posse urbem defendere, aut ca= stra: uel qui metu hostium alteri principi, aut populo sese de= dunt, ut periculis impendentibus liberentur. Quod fecerunt cum alij plurimi, tum Campani, cum metu Samnitium sese de= didere populo Romano. Per abusionem tamẽ dicimus, ego sum deditiius tuus, id est, tibi deditus, atq; tuo imperio obnoxius.

Clientela

R. Clientela est multitudo seruorum. L. Imò eorum, qui potentem aliquem ciuem, principemue fauore prosequuntur, & cuius dignitatem factionemq; tutantur, ducti aliqua merce= de, uel beneficio. Forte Raudensem fefellit, quod Lucanus in= quit, Emptiq; clientes. Verum non de seruis loquitur poëta. Non enim in seruis Pompeius spem sibi reponebat, sed in libe= ris, ac ciuibus, seruilem tamen, non liberalem animum habenti=

Clientes

bus, qui uænalem haberent ingenuitatem: ideoq; addidit em= pti, quia clientes emptitij non sunt: quales si forent, non adde= retur empti: quia cum dicimus seruos, non adijcimus emptos.

Stipator

R. Misit unum de stipatoribus suis, id est, seruis pedissequis. L. Cur seruos interpretaris stipatores? cum regum stipatores sint maxima ex parte potentes ac nobiles: ex hoc dicti stipa=

tores

torcs, quod regem stipant, & undiq; circundant, ac claudunt, penè cõstringentes, instar apium circa ipsarum regem. R. Præ gustator, est seruus qui ad mensam domini sui prægustat cibum & potum. L. Cur seruum appellas, qui plerunq; apud mensas principum est egregius aliquis. R. Si, siquidẽ, quasi idẽ sunt, uide imitationes. Cicero ait molesta ueritas est, siquidem ex ea nascitur odium. L. Imò siquidem pro quoniam, si tamen hæc sunt uerba Ciceronis. Nam homini ipsi molesta est ueritas, quia odium parit. non autem, si parit odium, quasi de hoc autor dubitet, quod non facit, sed eodem modo affirmat quo Terentius in Andria, Veritas odium parit. Nonnunquam siquidẽ pro si. Lege nos in elegantijs. R. Sic. Paulopost, Hactenus excanduit, id est sic, ut malum his qui desciſſent minaretur. Idem de eodẽ, Domum suam cũ absolutam dedicaret hactenus comprobauit, id est sic, ut se diceret, quasi hominem tandem habitare. L. Nisi deprauauit autoris uerba Raudensis, melius exposuisset, intantum, uel adeo, uel usq; eo. Idem autẽ efficiunt hactenus & eatenus, quemadmodum hic et is, cũ dicimus, qui bonus, hic dives est, uel is dives est. R. Sigillũ. Paulopost, Sphinge usus est imagine, id est, griphonis. L. Quis tibi assentiatur sphingem esse, qd' gryphem, siue (ut uerbo tuo utar) griphonẽ? R. Simulare. Paulopost, Qui fingit se scire quod nescit, simulat: qui uerò quod scit, nescire, dissimulat. LAV. Absolutius exponitur, qui fingit aliquid esse quod non est, simulat: qui fingit non esse quod est, dissimulat. R. Simonia à Simone Mago dicta est, scribitur. ff. ad legem Iuliam de ambitu. L. Nunquid in Δ, fit mentio de Simone Mago? Sciamus autem literam, qua significamus opus. ff. non duplicem f, esse, sed Δ, Græcum solennius: quod ita fieri debet, Δ, ad differentiam minoris d, pro significatione distinctionis, sicut fit in C, grandiusculo, qua litera intellegitur codex, ut differat à c, paruâ, quæ significat capitulum

Prægustator

Siquidem

Sic

Hactenus

Eatenus

Hic & is.

Simulo

Dissimulo

ff.

Δ.

d.

C.

c.

Non ab re *lum.* R. *Sine causa, non ab re, id est, non sine causa.* L. *Imò non sine utilitate, aut non sine iusta ratione uel causa. Hoc præ*

Per causam *terea præceptum addere poterat, per causam significare, per simulatam causam, siue per speciem. ut Liuius lib. XXIIII. Vt cum appropinquaret ianuæ rex, per causam aliquã in angustijs sustineret à tergo agmen. Frõtinus libro tertio stratagematon (Nam ipse dignus est, qui in testimonium afferatur) Huiusmodi fallaciam instruxit, ut ille per causam uenandi noctu procederet. Hoc Frontini exemplũ ideo protuli, quòd Liuius hunc eundem locum sic refert, Hi priusquam aliquid mouerent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per speciem uenandi urbe*

Per speciem *egressi, eò proficiscuntur. En apparet idem esse per causam, & per speciem, id est, per simulationem: siquidem Liuius idem nõ ita distante illinc loco ait, Quẽ ut incautũ opprimeret Appius Claudius, per simulationem prouinciæ circuendæ Messanam traiecit.* R. *Societas. Non multo post, Caterua est hominum,*

Caterua. Turma *turma est auium.* L. *Imò Caterua est peditum, aut communius nomen est. Turma uerò, equitum, quæ certo numero constat, ut Vegetius, & alij nonnulli tradunt.* R. *Sonare. Paulo post, Tinnire est sonare acute.*

Tinnire. L. *Tinnire proprie dicimus, cum de metallis loquimur. Vnde Quintilianus, Nam homines sono, sicut æra tinnitu, dignoscimus, hoc est, quod aliter tinnit aurum, aliter argentum, aliter æs, aliter ferrum, aliter plũbũ, aliter stannum, aliter orichalcum, aliter electrũ, & si quid est aliud.* R. *Thraiciam digitis increpuisse lyram, id est sonasse.*

Sonare L. *Sonasse pro sonuisse posuit, accusatiuum etiam præter eius naturam tribuit, immutata etiam significatione. Nam sonare regit accusatiuum in alia significatione, ut Vergilius, Nec uox hominem sonat. Cicero, Poëtis Cordubensibus pingue quiddam sonantibus. Itaq; pulsasse, aut percussisse debuit dicere, siue lyra cecinisse. Nã qui pulsat fides, organa ue, aut tibias inflat,*

cancre

Digitized by Google

cancre dicitur. RAV. *Nablum Hebraice, Psalterium Latine.* Cano Psalterium
L. *Imò Psalterium Græcum est, & nablum quoq; Græci suum* Nablum
uendicant, nec uidetur idem esse. Nablium, non nablum inuenio Nablium
apud Ouidium libro III. *de arte,*

Discе etiam duplici genialia nablia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa iocis.

Nec abnuo, nablum Hebraicum esse posse, ut ait Hieronymus in procœmio super psalmos. Psalterium Græcum est: et Latine organum dicitur, quod Hebræi nablũ uocant. R. *Lira ab ipso* Lyra.
sono dicitur, scilicet liron, liron, id est, syringa. L. *Proba, quia non credo: lyra manu pulsatur, ut uersus Ouidianus modo o-stendit: syringam ore modulamur, ut apud eundem est, cum* Syringa.
fuisset facta syringa ex arundine. R. *Nola est sonalium acci-pitrum.* L. *Si nola nomen uetus est, non potest esse id, quod* Nola.
accipitres nunc ferunt, cum ueteres ne uenaticas quidem aues mansuefeciſſent, & ad prædam instituisſent, ut nos facimus, ne-dum tintinnabulis ornarent: sin nouum, referat autorem unde prolatum sit. R. *Somniare. Deinde, hallucinare, uana somnia-re.* L. *Imò hallucinari est uisu errare, atq; caligine quadam* Hallucinari.
obducta, minus recte dignoscere: quod ad oculos etiam mentis transfertur. R. *Sperma genitale est semen.* L. *Græcum no-* Sperma.
men est pro omni semine, & quod dicitur apud Ecclesiasticos, de semine Abrahæ, de semine Dauid, Adæ, Spermate Græce di-citur. Quod non minus pudens uocabulum est, quàm apud nos semen. Nam idem nomen est, cum dicitur Exijt qui seminat se-minare semen suum. R. *Spina. Deinde, frutex, pluraliter frute-cta.* L. *Quasi frutices plurale nõ reperiatur, sic autẽ dicũtur* Fruteta. Senticeta
frutecta à frutex, ut à carex carecta, à sentes senticeta, à rosis Rosetum
rosetũ, & plurale roseta, est tamẽ frutex aliud quàm spina: lege nostras elegantias. R. *Stipendiũ. Paulo post, itẽ meruerãt sub eis, stipendiarij fuerant, & mercenarium militem, id est stipen-*

diarium

Digitized by Google

Stipendiarij Stipendiati

diarium. LA. Imò stipendiarij sunt, qui pendunt stipendium, non qui recipiunt, populi multi erant stipendiarij reipublicæ Romanæ, hoc est, quòd pendebant, soluebantq; stipendium. Igitur dicendum est stipendiati, id est stipendia recipientes, quo uocabulo nescio an de ueteribus, certe de recentibus nonnulli utuntur. R. Studium. Deinde, Gymnasium locus exercitij studiosi. L. Imò locus ludorum appellatur à palæstra, quam nudi exercent, quo in loco cum à ludis uacaretur, consueuerant philosophãtes disputare, quod probat Cicero cum ait, Multis seculis ante gymnasia inuenta esse, quàm in ijs philosophi garrire cœpissent. RAV. Subrogare. Paulopost, Si militare non uis, uicarium tibi dabo, cui arma tua tradas, id est in loco tui qui uicem gerat. LAV. Loco tuo dicendum erat, non tui. Possessio enim significatur, non passio, quale, amore tui huc uenit: nempe quia tu amaris à me, hoc tamen in elegantiæ opere dixi. Illud non dixi, induere habere hanc constructionem. Vt apud Ciceronem in academicis, Et (ut docui) Antiochus in idipsum se induit, quod timebat, Quintil. in XI. cum in grauissimas frequenter legum, semper uerò malæ conscientiæ pœnas, à semetipsis improuiso rerum exitu induantur. RAV. Superfluere. In fine, Hic autem ex abundanti facit, id est superflue. LAV. Imò accumulate, & quodammodo benignius, ut non solum satis sit rationum in causa, sed (quod multo præstat) abunde sit. R. Tanquam. Deinde, At ipse (utpote adolescens alti cordis) idem tanquam, utpote præsens fuisset, id est tanquam uelut ueluti. LAV. Aliud est utpote, aliud tanquam. Est enim utpote causatiua, ut quippe, quemadmodum in elegantijs ostendi, uerum hæc exempla Raudensis, ut solet, ex seipso fingit, non aliunde repetit, quorum secundum ineptum est, ac minime Latinum, primum uerò sic exponatur. At ipse alti cordis est, utpote adolescens, id est, quia adolescens est, cuius ætatis est

Gymnasium

Loco tuo pro loco tui.

Induere.

Ex abundanti Superflue

Vtpote

tis est proprium esse sublimi animo. R A. Tarde. Paulopost, Surrexit tempestiue, mature uenit. L. Videtur accipere tempestiue pro cito, cum significet tempore suo & debito, ut Vergilius in primo Georgic. Aut tempestiuam syluis eucrtere pinum. Et Cicero nos admonet, ne irascamur aduersus eos, qui nos intempestiue adeunt: hoc est, tempore non idoneo. R. Tempestas. Paulopost, Procella non est nimus terrarum, quàm cœli, sed tempestas, fluctuum: est: fluctus, uis maris. L A. Contrarium foret uerius, sed magis hoc modo differunt, quòd procella est uehementior quidam uenti impetus, nec ita durans: & in mari potius, quàm in terra. Tempestas, maris terræq; communis, ut Cicero in Philippicis, Sed statuæ interierunt tempestate, ui, uetustate. Et in Verrem, Totæ enim res rusticæ eiusmodi sunt, ut eas non ratio, neq; labor, sed res incertissimæ uento, tempestateq; moderentur. Fluctus est lacuum quoq; atq; stagnorum, magnorumq; paludum, ac maximorum fluminum, ut Gangis. R. Temperantia moderata. Deinde, Frugalitas est honesta largitas, & parcitas moderata L. Nihil habet frugalitas affinitatis cum liberalitate, uixq; etiam cum parcitate. Frugi homo uocatur propric, qui in uictu temperans est, nonnunquam in uestitu, similibusq;: sicut è contrario luxuriosus, ut apud Seneeam, Quintilianumq; de duobus filijs frugi, luxurioso q;. Cicero etiam uult frugi esse, qui ad omnia aptus, utilisq; est, & omni uirtute præditus, cui contrarium sit nequam, cuius significatio una est, quòd sit libidinis intemperatioris, altera quòd ad nihil bonus sit, sed plane malus, unde Piso frugi appellatus est, cuius adhuc cum hoc cognomine numismata extant. R. Priscianus dixit hic & hæc & hoc frugi, sed moderni tres obliquos casus habent, frugi frugem fruge. L. Qui sunt isti quæso moderni, si moderni Latinũ uocabulum est? frugem, & fruge ab eo uenit, quod est fruges, non ab eo, quod

Tempestiue

Intempestiue

Procella

Tempestas

Fluctus.

Frugalitas

Frugi homo

Nequam

Moderni Fruges.

Digitized by Google

quod est frugi. R. Tegere tegumina tegulæ, quia ædes tegun-
Tegmina tur, tigillum diminutiuum à tecto. L. Tegmina dicimus, non
Tigillum tegumina, tigillum à tignum est diminutiuum, quod significat
lignum præsertim trabale, unde tigillum parua trabes. R. Te-
rentius. Multo post, Nam in prologis scribundis operam abu-
titur, non qui argumentum narret, sed qui maleuoli. posuit
Qui utrobiq; qui, pro quomodo. L. Imò sic exponendum est illud
Terentij, Non is qui argumentum narret, sed is, qui maleuoli
ueteris poëtæ maledictis respondeat. R. Sint à uobis spectan-
dæ, id est probandæ: uel exigendæ, id est expellendæ. L. AN
An exigendæ EXIGENDAE dicere debuit, non Vel, ut in elegantijs osten-
dimus, & ita Terentius scripsit, non ut Raudensis immutat.
Speciandæ. Illud quoq; spectandæ, intelligendum est uidendæ, cum agun-
tur in scena, potius, quàm probandæ. Transeo quod ait duci
nos falso gaudio, de Simonis gaudio accipiendum esse, non de
Pamphili, ac Daui sperantium nuptias nunquam fore. R. Ex-
pletis his dubijs iuxta petitionem scholarium restarent multa
alia. LAV. Scholarium dixit pro scholasticorum siue disci-
Scholaris. pulorum. Scholaris enim adiectiuum est, non substantiuum, ma-
le ergo, qui dixit, communia dico scholaris, quod Priscianus,
Volumen ueterumq; alius nunquam scriptum reliquit. RA. Per Prisci-
num tam in minori uolumine. LAV. Admonui superius unum
esse Prisciani opus, nõ duo, uolumen quoq; librum unum esse,
non unum utiq; opus, in elegantijs planum feci. RA. Credo
etiam, quod iuristæ acceperunt à Terentio titulum illum de
De restitutione in integrum restitutione in integrum. L. Ridiculum, quasi hoc non foret
uerbum ante Terentium cæterosq; comicos omnes & in iudi-
cijs & in legibus frequentatum, unde Terentius, sicuti multa
Thesaurus alia, mutuatus est. RA. Thesaurus. Deinde, Thesaurus non
est aurum nec argentum, sed locus, ubi talia reponuntur.
L. Imò proprie ipsum aurum, argentum'uc. Nam qui thesau-
rum

Digitized by Google

sum inuenit, non locum auri, argenti ue, sed aurum ipsum, ar-
gentum ue dicitur inuenisse, & sublato auro, qui hunc locum
reperit, nequaquam dicitur thesaurum reperisse. R. *Testamẽ*
tum. Deinde, codicillus est scriptura nulla indigens solennitate,
sed solum testatoris uoluntatem significans. L. *Codicilli dicũ-* Codicilli.
tur, non codicillus. Præterea cum alia quædam addere debuit,
tum uerò illud, quòd semper ad aliquem codicilli scribuntur, Tribulor
R. *Tribulor.* L. *Græcum non Latinum uerbum est, & ideo*
nunquam à ueteribus usurpatum, nisi deriuamus hoc uerbum à
tribulis, quod etiam Græcum est nomen. Nam uerbũ illorũ po
tius transferẽdum esset per l, quàm per r, tlibulor. R. *Cicero.*
Obsecro te, ne quo aut timore, aut ægritudine afficias. L. *Hæc* Nequo aut &c.
Ciceronis uerba non sunt, utpote minus eleganter dicta. Cum
enim nequo antecedat, necesse est ea quæ sequuntur, aut neutri
generis esse, aut masculini, sic, nequo te aut timore, aut ango-
re afficias. Nam intermiscere fœmininum (ut Raudensis facit)
non secus permissum est, quàm si diceremus, nequo te aut ægri-
tudine, aut molestia afficias. Ergo tollẽdum est primum aut, sic,
nequo te timore. Hæc tamen in elegantijs latius. R. *Tribunal.*
In fine, ex his apparet orchestram potius esse locum, aut ca- Orchestra
meram senatoriam, quàm pulpitum, aut suggestum. L. *Imò lo-*
cus, ubi saltabatur publice, & ubi similia quædam fiebant, &
quem circunsedebant magistratus, & alij pro sua dignitate, &
prout ordines poscũt: plebe autẽ stante magis, q̃ sedẽte. Varro
sic exponit, Orchestra locus in scena. R. *Triumphus. Deinde,*
Trophæũ pro triumpho, ut ibi, trophæa sacra pangimus. L.
Cur magis hoc loco trophæum pro triumpho accipitur, quàm Trophæum
pro suo significato? nunquid magis laudamus honorẽ uirtutis,
quàm ipsam uirtutẽ? trophæũ aũt & triũphus, honor uictoriæ
est, nõ uictoria: uerũ hoc loco accipitur trophæũ pro uictoria
siue pro uirtute ipsa, per quã uictoria parta est. Cæterũ nõ sunt

digni

digni illi, qui in testimonium linguæ latinæ afferantur. In quo autem hæc duo differunt? nempe quòd triũphus (ut aliàs dixi)

Triumphus est põpa illa solẽnis, quæ fit redeuntibus in urbem cũ victoria, trophæum, quod in testimoniũ victori publico in loco statuitur, ut apud Ciceronẽ quòd Thebani equũ æneum in monumẽtum victoriæ cõtra Lacedemonios statuerant. R. Tuba. Nõ multo

Classicum post Classica sunt cornua, quæ conuocandi causa erant facta, et à calcãdo classica sunt dicta. L. Imò proprie classicũ est sonus tubæ, quod Priscianus etiam ait: & Vegetius: aliíq; testantur, unde Quintilianus ad primum obscœnæ libidinis sermonẽ non aliter quàm si in hostem classicum ceciniſſet, gladium illũ, quẽ à te pro pudicitia nostrarum coniugum acceperat, per pectus infandi corruptoris exegit. Vegetij uerba hæc sunt, Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt, hoc insigne uidetur imperij, quia cum classicũ canit, imperator est præsens: uel cum in militem capitaliter animaduertitur, quia hoc ex imperatoris legibus fieri neceſſe est. RAV. Tullius. In fine, Poſſem nunc catalogum totum oratorum his inferere commentarijs. L. Quid magis diuersum, quàm idem opus suum appellare librum, id est unum cõmentarium & cõmentarios? præsertim cum superius dicat cõmentariũ ac librum. R. Tus. Dein-

Ferula de, Ferula uerò in Gargano nascitur. L. Quasi alibi non sint ferulæ, quàm in monte Gargano, cũ & plures & proceriores sint in ipsa planicie Apuliæ, & in alijs multis locis. Vidíq; in

Dyscolus Sicilia, quantũ recordor, craßiores ac longiores. R. Vagari. In fine, Homo discolus est uagus, indisciplinatus. LAV. Græcum non Latinum nomen est, significatq; malum, pernicio-sumq;, ac toleratu difficilem, unde Petrus in epistola prima, Seruite dominis, non solum bonis, sed etiam dyscolis, scribitur per y, non per i. R. Volumen. Paulo post, Credo quod orariũ, & peplum sit idẽ, item sudariũ, & orariũ habeas pro capite

sacerdo

sacerdotes. LAV. De sudario, & orario ipse probet, q̃ sapit, certe peplus, non peplum dicitur, uestemq̃; significat solennem, quæ inijcitur uel uiro, uel fœminæ, uel deo, uel deæ. ut apud Homerũ, & alios græcos poëtas, nam hoc nomen græcũ est, à quibus Vergilius mutuatus dixit, Crinibus Iliades passis, peplumq̃; ferebant. etiã pepli inijciuntur equis. ut Pandarus ad Aeneã apud Homerũ inquit, suis equis peplos decoros fuisse. RA. Vendere. Aliquãto post, Vnde auctio proprie uidetur mihi fieri sub hasta. LAV. Imò uenditio rerũ domesticarũ, ut utensilium supellectilium, quæ alicuius dominio seruierant, domorũ quoq̃;, ac prædiorum, de quo in elegantijs diximus. Sub hasta autem cuiũ proscriptorum, damnatorumq̃; bona uæneunt. Hastarium pro loco (ut ait Raudensis) non memini inuenisse. RA. Et alter alterum superare cõtendunt. LAV. Alius alium dicere debebat, utpote de multis loquens. RA. Mango, id est, proseneta. LAV. Imò qui uendit, & cõmodat pretio pueros, ut latius in elegãtijs dixi. RA. Venalitij mercatores uenditores exponit Nonius. LAV. An hoc dicat Nonius, tu uideris. Vænalitiarij dicũtur, nõ uænalitij: nec mercatores, sed seruorũ negotiatores, id est, qui mancipia & emũt & uẽditant. RA. Venire. Deinde, Cicero ait Brunduſium futurus ſum, id est, uenturus. LAV. Cur Brunduſiũ dixit pro Brũduſij? RA. Itẽ denuntiat Domitiũ ad me iter habere, id est, uenire. LAV. Imò uenire uelle, siue constituisse ad me uenire. RA. Et huc cõmigrauit, id est, uenit. LAV. Imò cõmutato domicilio huc ad habitandũ uenit. RA. Venenum. Deinde, Hippomanes est hærba equos insanire faciens. LAV. Pro uenено ab inguinibus equæ distillante Vergilius accipit, cum inquit,

Sudarium. Orarium.
Peplus.
Auctio sub hasta.
Hastarium.
Mango.
Venalitiarij.
Iter habere.
Cõmigro.
Hippomanes.

—Lentum distillat ab inguine uirus:
Hinc demum, hippomanes uero quod nomine dicunt,
Hippomanes, quod sæpe malæ legere nouercæ,
Miscueruntq̃; hærbas, & non innoxia uerba.

Digitized by Google

Nam pro hærba improprie apud Hesiodum poni significat, neque homo latinus de autore latino, atque usu latino filere debuit, & loqui de Græco, eo quidem minus, quòd tunc hippomanes utique uenenum est, cum saniem illam equinam significat, non autem cum hærbam: & tunc esse uenenum, Vergilius ait, appellans illam uirus. RA. *Verecundia. Circa finem, Labem, & ignominiam, id est, uerecundiam, & quanto probro ciuitati sit,*

Verecundia. *id est, uerecundiæ.* LAV. *Verecundiam eo, quo nemo unquam, modo accipit, quæ est honestus quidam timor ignominiæ, infamiæ, probriq; subeundi: & Raudensis pro ignominia, ac probro interpretatur.* RA. *Via. Circa medium, Strata, quia pedi-*

Strata. *bus uulgi trita.* LAV. *Sicubi strata sine appositione uiæ reperitur, non ideo dicta est, quia pedibus trita sit, sed quia lapidibus strata, ut sunt uiæ Romanæ in omnes ferè Italiæ urbes silicibus stratæ, ideoq; plus sceleris latro, prædo, percussorq; committit, si in uia strata in uiatorem grassatur.* RA. *Vitiosus.*

Exoleti. *Deinde, Exoleti sunt fœtidi, præsertim in luxuriæ uitio.* LAV. *Exoleti sunt impudici: nec tam pueri, quàm grandiusculi, aut*

Luxuria. *adulti, de quo nomine latius in elegantijs. Luxuriæ autem non latine dixit pro libidinis. nam Luxuria multum abest à libidine, eoq; non uidetur in fine literæ T. intelligere Ciceronem, cuius testimonium repetit ex primo libro officiorum, Luxuria cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est: non de uenereo uitio loquitur Cicero cum luxuriam nominat, quæ est uerborum, uestiumq;, & quæ sunt id genus, delicatior, ac sumptuosior cura, & ea propter adijcit tanquam diuersum dicens, Sin autem etiam libidinum intemperantia accesserit, duplex ma-*

Popularis. *lum est,* RA. *Vilis, Deinde, Popularis, est de grege, & de minoribus.* LAV. *Imò frequentius, usitatiusq;, quod Cicero non modo usurpat, sed nonnullis in locis explanat, qui potens in populo, & charus est plebi, qualis Pompeius, Cæsarq; ante*

bellum

Digitized by Google

bellum ciuile, & alij multi, & hodie, & ubique huiusmodi sunt.
RA. *Vernilis animo, & minuti animi, unde & de Seneca dicitur, & quod habuit eloquentiam uernaculam.* LAV. *Imò uernilis est seruilis à uerna, quod est seruus, & uernaculam dixit Au. Gellius, uel seruilem, uel plebeiam linguam, qua tanquam cõmuni, ac naturali omnes uulgo utuntur. Vernaculum enim dicitur, quod domesticum, & nostri loci est, ut in elegantijs diximus. Cicero in Verrem actione secunda, Non ut solemus interdum in defensionibus dicere crimen domesticum, ac uernaculũ.* Vernilis. Vernacula lin gua. Vernaculum.
RA. *Vlterius, secundum cõmunem usum loquendi, tantum ualet sicut insuper & sicut quin, & sicut cæterũ, & sicut extra hæc.* Vlterius.
LAV. *Vt ita sit Rau. quod longe est secus, tantum'ne etiam ualebit, sicut quantum insuper, quãtum quin, quantum cæterum, quantum extra hæc? sed (ut dixi) hæc non tantundem ualent quantum ulterius.* RA. *Vltra, præter modum diligit, id est, ultra: ille citra mare, ille præter erat, erant enim præter quadraginta, id est, ultra. item præter cæteros, boni & honesti sectator.* Præter pro Vltra.
LAV. *Consule aures tuas Raudensis, etiam uel ipse iudica, an elegans, purusq; sermo sit, præter mare, & præter quadraginta, id est, ultra. quod si rectum putas, afferre aliorum testimonium, non tua confingere, pro alienisq; afferre debes: ego nescio, an illa præpositione uti liceat in hunc sensum, quoties ad locum refertur, uel ad tempus, Vtrum acutius dicitur istud quod tu, an hoc quod ego annotaui, perinde accipi pro peræque? ut Plinius, Funus Verginij Ruffi clari, etiam magni uiri, & perinde felicis, id est, ita felicis, ut clari. Cicero libro primo de finibus, Eas artes persequeretur, uiuendi artem tantam, tamq; operosam, & perinde fructuosam relinqueret.* Perinde.
RA. *Vnus. Deinde, Cicero ait unas à te literas accepi. Terentius ait unis domibus, id est, in una domo.* LAV. *In unis ædibus inquit Terentius, non in unis domibus, alioquin in nominibus, quæ singu-* Vnæ ædes.

Digitized by Google

lari carent, necesse est nos sic loqui, ut latius dixi in elegantijs.

Cio. Cieo. R A. Voco. In fine, cio cis, & cieo cies. L A V. Duo hæc, pro eo, quod est uoco Raudensis accipit, cũ secundũ significet idem quod moueo. ut Ci. de repub. Motu cietur interiore, & suo. Et

Citus. Concitus. Percitus. inde citus id est uelox: & concitus, cõmotus, & percitus in malum, ueluti in furorẽ, iracundiam ue motus, & frequentatiuũ cõ

Concito. Auspicia. cito, incito, suscito. R A. Voluntas. Deinde, Auspicijs meis, id est uoluntate. L A V. Imò ductu, & sub fortuna mea, quia dux belli

Voluntas. auspicia accipere solet. R A. Dicimus uolutas, sicuti & uolũtas. L A V. Quid absurdius, quàm rem incredibilem sine autoritate proferre? cũ omnia huius loci præcepta autoritate nitantur, quis

Adquo. unquã uolutas scriptũ reliquit, quale est etiã, quod sequitur? R A. Vsquequo. Deinde, Ad quo potero, id est quo ad. L A V. Quis

Quadruplator. istud dixit bone Raudensis? R A. Vsurarius. Deinde, Quadruplator, est usurarius. L A V. Imò qui accusationibus, ac delationibus, quartã partẽ bonorum damnati expectat. R A. Sed tamen

Seria. amoto quæramus seria ludo, id est utilia. L A V. Imò grauia & non iocosa Horatius intellegit, cuius hic uersus est. R A. Vtor. Deinde, Curabo obsoleta calcare uestigia, id est dissueta. L A V.

Obsoletum. Cuius sunt ista uerba? cur nõ nominas autorem, ut posimus sensum uerborũ, sententiæq; cognoscere? Obsoletũ appellamus sordidũ, unde apud Horatiũ, Caret obsoleti sordibus tecti. Et apud Hier. Viri uox obsoletior quàm fœminæ. Cicero tamen pro dessueta posuit non ut ais, dissueta. ut in Pompeiana, Obsoleuit ista oratio, re multo magis, quàm uerbis refutata. Et pro Quintio, Audacem, cupidum, perfidiosum, uulgaria, & obsoleta sunt. Iterum pro eodẽ, His moribus obsoleuit, id est, inueterauit. Et quia quod ueterascit, quasi sordescit, siue in nihilum recidit: ideo pro hoc quoq; accipitur, quale fuit primum exemplum, & eiusdem pro Cælio, Verũ hæc genera uirtutis, non solum in moribus nostris, sed uix iam in libris reperiuntur, chartæ quoq; quæ illã pri-

scam

scam scueritatẽ continebant, obsoleuerunt. Et alibi in eundẽ, Nõ uult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrẽ, noua postulat, inaudita desiderat. RA. In logica detriti sumus, id est usi. LAV. Aptius exponere poteras, quanquam tu teipsum exponis, & autor pariter, & glossator es: quod ita in logica simus exercitati, ut gladius exercitatus, & ipso nimio usu cõminutus est, & apud eundẽ Hieronymum dicitur, Pes tuus terat limẽ magistrorum, cum usum, & audiendi exercitationem significat. RA. Perfuncta satis sum his, id est usa. LAV. Imò finem utendi, fungendiq; feci. ut Cicero, Perfuncta hoc misero, fataliq; bello respu. & hoc in malum, sed frequentius in bonũ: sicut defunctus in bonũ, & malũ, quod uidelicet finit uitam: defunctus morte, uel periculis, uel laboribus, quod iam imposuit semel finem his malis, exempla discentibus inquirenda relinquimus. RA. Vtrinq;. In fine, Vltro, citroq; res male est, id est hinc inde. LAV. Non uterer hoc ego genere sermonis. Vltro citroq; enim, significat reciprocam quãdam itionem, aut reciprocum respectũ, quod de re utrobiq; male gesta dici non potest. Vtrobique dixi, non ut Raudensis hinc inde. RA. Vua præcoqua, uel præcox, id est præmatura. LAV. Præcoqua est, quæ ante aliàs uuas matura est. Præmatura, quæ ante maturitatem legitur, ut in elegantijs latius. RA. Racemus dicitur unum granum, uel acinus uel granellũ, quod in racemo est. LAV. Imò Racemus est illa (ut sic dicam) testa uuarũ, plurima grana cõtinens. Acinus uerò, est id quod Raudensis appellat racemum. Vinaceum autem, quod idem acinum uocat. nam arillum, & granellũ Raudensia sunt, & non latina uocabula.

Detriti.

Perfunctus.

Defunctus.

Vltro citroq. Hinc inde.

Vtrobiq.

Præcoquus.

Præmaturus.

Racemus.

Acinus.

Vinaceum.

Arillum & granellum.

Digitized by Google

AD ALPHONSVM REGEM EPISTOLA APOLOGETICA.

ALPHONSO MINORIS MAIORISQ; Heſperiæ Regi Laurentius Valla S.

VM Titum Liuium quotidie Romanorum hiſtoricorum eloquentiſſimum aut audias aut legas, æmulator ueterum in omni genere uirtutum, uelim iudices, an recte de loco quodã ſentiam huius autoris, quæ res ad regem ut tu es, pertinet. Ait enim Liuius: Hic Lucius Tarquinius Priſci Tarquinij regis filius, nepos ne fuerit, parum liquet, plu-ribus tamen autoribus filium crediderim. LAV. Ego uero contra magis ab illorum parte ſto, qui nepotem tradiderunt: neque hoc externis teſtibus, aut aliunde ſumptis rationibus, ſed ſuo autoris teſtimonio, ſuaq; ipſius confeſſione, ut à ſemet diſſentire, ac repugnantia quædam narrare uideatur. Nam quomodo hæc quæ nunc ex illo repetij, cum his conſtant, quæ ante dicuntur, LIV. Tunc Anci filij duo, etſi antea ſemper pro indigniſſimo habuerãt, ſe patrio regno tutoris fraude pulſos, regnare Romæ aduenam, non modo nõ uicinæ, ſed ne Italicæ quidem ſtirpis: tum impenſius his indignitas creſcere, ſi ne à Tarquinio quidem ad ſe redtret regnum, ſed præceps inde porrò ad ſeruitia caderet, ut in eadem ciuitate poſt centeſimum ferè annum quàm Romulus deo prognatus, deus ipſe tenuerit regnũ, donec in terris fuerit: id Seruius, ſerua natus, poſſideat: cum commune Romani nominis, tum præcipue id domus ſuæ dedecus fore, ſi Anci regis

uirili

uirili stirpe salua, non modo aduenis, sed seruis etiam regnũ Romæ pateret. Ferro igitur eam arcere cõtumeliam statuũt: sed & iniuriæ dolor in Tarquiniũ ipsum magis, quàm in Seruiũ eos stimulabat: & quia grauior ultor cædis, si supereſſet rex, futurus erat, quàm priuatus, tum Seruio occiſo quencunq; alium generũ delegiſſet, eundem regni hæredem facturus uidebatur. LAV. Nónne hæc filiorum Anci regis indignatio, atq; hæc ſpes planè declarat, Tarquinium, in quem irati erant, ſine uirili prole diſceſſurum? Nam quid quæſo magis fortunæ aduerſum, quàm regem qui filios habeat, & præſertim legitimos, alium quencunq; generum quærere, cui regnum, dum mortuus erit, relinquat? At erunt forſitan filij infantes. Eſto, quanquã de hoc poſtea latiùs dicã, non de rege moriente nũc loquimur, qui uelit cõdere teſtamentum, etſi filij infantes ſint, ipſe tamen ſoſpes. Sint licet modo liberi nati, tamen illos pater uiſurum ſe iuuenes ſperat, & eorũ cauſa diutius uicturum, nec minus ardens eſt parentum amor in paruulos liberos, quàm in iam adultos. Quid quòd non modo generum filijs fuiſſe prælatum uult autor, uerũ etiam hoc genero extincto alium atq; aliũ deinceps, quẽ regno præficeret, Tarquinium fuiſſe quæſiturum? quod nõ modo de homine, qui diu uiuere & poterat & ſperabat, dicendũ nõ fuit, ſed ne de eo quidẽ, qui iam mortem ſibi impendere intelligens, de regno diſponat: & ne alia quæram exempla, certe Ancus pueris liberis ſub tutoribus quidem, ſed tamen regnum reliquit. Sceleratus enim pater atq; execrandus, qui non dicam nato filio, ſed uentri nõ relinquat hæreditatem, & præcipue regnum, aut aliquam dignationem: ut qui alijs dominari debeat, is patris culpa ſibi dominantem alium uideat, & quidem de numero ſubiectorum, ne dicam de periculo capitis, quod infelix ille uere naturæ hæres uix poteſt effugere ab ipſo illo qui alieni patris obtinet regnum. Dixi de patre: quid de matre dicam; neque enim Tarquinius

Digitized by Google

superbus ab ullo autore significatur illegitimus fuisse, nec regnū sibi post Seruium uoluntate patris successor illegitimus uendicasset. Eius igitur mater nihil de regno filij laborasset? At quæ mulier? nempe ad faciendos reges nata: quippe cuius beneficio duo uiri alter peregrinus alter ancilla natus Romæ regnauerint. De qua ita Liuius ait, LIV. Tanaquil inter tumultum claudi regiam iubet, arbitros eijcit, simul quæ curādo uulneri opus sunt, tanquàm spes subesset, sedulo comparat, simul si destituat spes, alia præsidia molitur: Seruio properè accito, cū prope exanguē uirū ostendisset, dextram tenens orat, ne inultam mortē soceri, neu socrum inimicis ludibrio esse sinat, Tuum enim inquit Serui regnum, nō eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere. LAV. Vbi hic mentio uel cōmendatio filiorum? an quæ umbrā Seruij multum ualituram putabat, non ualidiorem fore putasset, si tutor atque autor regiæ stirpis uideretur, adiuncta presertim sua, id est, matris & regiæ autoritate, qua pro liberis, & pro stirpe regia laborantis summa esset pro alieno, aduersus liberos nulla: neq; enim populus ex eadem domo serua, quàm regina natū regnare mallet. Ergo regina, & quod plus est, Tanaquil aut tam parum amans suorū, aut tam humili animo foret, ut uel nollet, uel desperaret & regnū defendere filiorum cum sua quoq; dignitate: nam quæ amisso uiro regnare patris loco filium uidet, adhuc regina est, & ego sic ago, tanquàm Tarquinius filius fuerit infans: quid si ostendam puerum? quid si adolescentem? quid si iuuenem fuisse? nonne id fit multo incredibilius, quod Liuius ait? Quod non dico, quia magis, consultum uelint parentes iuueni filio, quàm infanti: sed quia magis possint consulere. Vnde hoc probo? Nimirum per id, quod paulo post sequitur. LIV. Itaq; per aliquot dies, cū iam expirasset Tarquinius, cælata mor te per speciē alienæ fingēdæ uicis, suas opes firmauit. Tum demum palàm facta, ex cōploratione in regia orta, Seruius præsidio firmo

dio firmo munitus, primus iniussu populi uoluntate, partum regnauit. Anci liberi iam tum cum comprehensis sceleris ministris, ut uiuere regem, & tantas esse opes Seruij nunciatum est, Suessam Pometiam exulatum ierant: nec iam publicis magis consilijs Seruius, quàm priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquinium fuerat, talis aduersus se Tarquinij liberûm esset, duas filias iuuenibus regijs Lucio atq; Arunti Tarquinijs iungit. LAV. Hoc non modo inter initia regni Seruiani, sed propè nihil prius factum fuisse narratur: ne quis dicat nõ statim rege patre filias Seruij nupsisse Tarquinijs, sed potius circa mortem: nam primum ex hoc peruersitas coargueretur historiæ, quæres gestas præpostere narraret, quod in historico non mediocre peccatum est, nisi cum id aliqua ratione facit. Deinde fuisse diu Seruio generos probat illud, quòd aliquanto post forte ita inciderat ne duo uiolenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna credo populi Romani, quo diuturnius Seruij regnũ esset, constituiq; ciuitatis mores possent. Ergo post contractum matrimonium diuturnum fuit Seruij regnum, & constituti sunt mores ciuitatis. Quid ni statim inter initia Seruiani regni, ut ab autore narratur, nuptæ sunt Tulliæ Tarquinijs, & quidẽ iuuenibus, ut iuuenes nuncupantur. Quod cum ita sit, quid absurdius quàm uelle in his nullã nec parẽtibus spem, nec inimicis fuisse fõre midinẽ: Cur eos pater delecto in successorem genero præterisset? cum neq; impij, neq; mẽte capti, neq; perdita ualetudine, neq; illegitimi, si quid hoc ad paternum amorẽ facit, essent. Cur mater defuncto uiro diffisa foret paternum se filijs regnũ defensuramẽ nam de materna pietate dubitare improbũ est. Cur duos fratres iuuenes regis filios, & quales modo descripsi inimici, contẽnendos putassent? Cur postremo ipsi iuuenes uernã patris, in paterno regno anteponi sibi tolerassent? quos etiã patre uiuẽte, & præcipue maiorẽ natu, credibile est regnare cœpisse, & certa à patre com

tre cõmissa munia obijsse. Et hæc quidẽ repugnãtia naturæ sunt: illud uerò ipsi autori, quòd qui modo circa initia regni soceri iuuenis appellatur, is circa eius obitum, qui quatuor & quadraginta regnauit annos, iuuenis permanet, atq; adeo adolescens nominatur. Dicit enim Liuius: Si sibi eum quo digna esset dij dedissent uirum, domi se propediem regnum usuram fuisse, quod apud patrem uiderat, celeriter adolescentem temeritatis suæ impleuit. Paulóq; post. Quid te regium iuuenẽ conspici finis? facesse hinc Tarquinios aut Corinthum: deuoluere retro ad stirpem, fratri similior quàm patri. LAV. His q; atq; alijs increpando iuuenẽ instigat, nisi quis dicat nõ quum occidit socerum fuisse iuuenem, sed cum occidere persuasus est. Ita puto, dum decreuit facere maleficium, adolescens est: dum illud perpetrat senex est: nam certè sexagenarius erat, cum præsertim ut scelleratissimum, ita facillimum factu id facinus esset, cuius inter propositum & perpetrationem unum intercessisse annum etiam multum est, & alioqui ex serie rerum, atq; ipsius autoris colligitur uerbis, hæc infandæ Tulliæ instigatio non nisi extremo tempore uitæ Seruij fuit, cuius furoris causam, quia non recte autor omisit, postea reddam.

Neq; hanc increpasse maritum uidemus, quòd differret perpetrare quod cõstituerat: sed tantum, quòd hunc animum non haberet, uidelicet postquàm ab illa animatus est, nequaquàm id eum differẽdum putasse. Quare nõ intelligo, quomodo post tot Seruiani regni annos sit etiã si non iuuenis paternæ mortis tẽpore, sed puer aut infans extitisset: aut si nunc iuuenis erat, ut cũ autor uocat, & ego assentior, & alia consentiunt argumenta, nimirũ fieri nõ poterit, ut ex Tarquinio prisco tot ante annis iam mortuo sit genitus, maxime cum nõ sit postremus liberorum, & habeat saltem Aruntem natu minorem. Atq; hoc quidem argumentum à persona patris ducitur. Vehementius autem erit à persona matris, quam demonstrabo prouectiore fuisse ætate, quàm ut

Tarqui

Tarquiniorũ mater fuiſſet. Scribit enim Liuius: Anco regnante Lucumo uir impiger, & diuitijs potens, Romam commigrauit, cupidine maxime ac ſpe magni honoris. Cuius adipiſcendi Tarquinijs (nam ibi quoq; peregrina ſtirpe oriundus erat) facultas non fuerat, Demarathi Corynthij filius erat, qui ob ſeditionem domo profugus cum Tarquinijs fortè conſediſſet, uxore ibi ducta duos filios genuit. nomina his Lucumo atq; Aruns fuerunt. Lucumo ſuperfuit patri bonorum omnium hæres. Aruns prior quàm pater moritur, uxore grauida relicta, nec diu manet ſuperſtes filio pater: qui cum ignorans nurum uentrẽ ferre, atq; memor in teſtando nepotes deceſſiſſe, puero poſt aui mortem in nullam ſortem bonorum nato, ab inopia Egerium inditum nomen: Egerius. Lucumoni contra omnium hæredi bonorũ, cum diuitiæ iam animos facerent, auxit ducta in matrimonium Tanaquil ſummo loco nata, & quæ haud facile ijs, in quibus nata erat: humiliora ſineret. Et cum illi nupſiſſet, ſpernentibus Etruſcis Lucumonẽ exulem, aducnam, ferrè indignitatem non potuit, oblitáq; ingenitæ erga patriam charitatis, dummodo uirum honoratum uideret, conſilium migrandi à Tarquinijs cæpit. Roma eſt ad id potiſſimum uiſa. Paulo poſt, ubi dixit, Aquilam mariti cum uxore in carpento ſedentis pilcum abſtuliſſe, rurſuſq; repoſuiſſe, ſubiungit: Accepiſſe id augurium læta dicitur Tanaquil, perita, ut uulgò Etruſci, cœleſtium prodigiorum mulier, excelſa & alta ſperare, complexa uirum iubet. Eam alitem ea regione cœli, & eius dei nunciam ueniſſe, circa ſummum culmen hominis auſpicium feciſſe, leuaſſe humano ſuppoſitum capiti decus, ut diuinitus eidem redderet. Has ſpes cogitationeſq; ſecum portantes urbẽ ingreſſi ſunt, domicilioq; ibi cõparato, Lucumoni Tarquiniũ Priſcum indidere nomen. LAV. Interrogo nunc, quot annos hanc fœminam tunc uolumus impleſſe, cum nupſit? certè ſedecim, decem & ſeptem'uc, aut duodeuiginti, ſiquidem autor

uocat

uocat mulierẽ, hoc est quãtum interpretor, ultra puellares an-
nos, eidem prudentiam, eidem sublimitatem animi tribuens, quæ
sunt magis matronalis, quàm puellaris ætatis. Quot porrò adde-
mus annos, donec Romam demigrauit, neq; enim statim nupta è
patria sibi demigrandum putasset, neq; mulier nobilis, ita æquo
animo domũ reliquisset, neq; indignatio in suos ciues intra per-
breue tẽpus contrahi poterat. Non enim iniuria aliqua, aut into
leranda ignominia hominẽ mouebat, sed quòd sperneretur: neq;
hoc præter solitum, quippe cũ semper talis fuisset, & nihilomi-
nus si ab ea ciuitate, ubi natus ex matre ciue erat, tamẽ ut aduena
fastidiebatur: nónne id multo magis erat extimescendũ in eo po-
pulo, cũ quo nihil sibi cõmune esset. Neq; lautum sanè patrimo
nium cum emundis in externa urbe bonis facile cõmutasset? Dum
itaq; datur aliquod more hominum nouis nuptijs tempus, dum
sperantur quotidie meliora, ut fieri solet à ciuibus suis, dum an
Romã migrandum sit cõsultant, dum domos, prædia, facultates,
quæ transportari nequeunt, uenditant, neq; id per festinantiam,
ne uilius uendant: dum postremo profectionem tempestiuam &
honestam apparant, dicamus hanc mulierem ad annũ uigesimum
peruenisse. Certe glos eius iam mater erat, quæ cum esset mino-
ris fratris uxor, ut mea fert opinio, posterior quàm Tanaquil nu
psit. Non enim uideo cur uiuo patre minor filius uxorẽ duceret.
maior non duceret, licet tacite autor aliud significare uideatur.
Ego tamen non reor Lucumoni omnium bonorum hæredi au-
xisse animos nobilem uxorem, nam id parũ profuit, sed iam uxo-
rem habenti solidam hæreditatem. Ita uerò hoc ipsum, quòd hæc
mulier est autor uiro Romam migrandi, quòd tam perita conie-
ctandi auguria non ob id solum, quòd Etrusca esset, nam & ma
ritus erat Etruscus, sed & longum usum haberet, quòd ei ma-
ritus ipse homo imprimis prudens, & impiger in omnibus fe-
rè cõsilijs auscultat. Nónne uiginti saltem natam annos fuisse te-
statur,

statur, cum Romam intrauit? Quid autem Romæ? quot annos priuati degerunt? quis neget plures quàm post cõtractum matrimonium collegimus? Etenim homini aduenæ discenda erat lingua Romana, ne semper aduena putaretur, & quod expertus erat, fastidiretur, percipiendi mores, obeunda munera publica in tantam regis penetrandam familiaritatẽ, ut ab ipso rege tutor filijs relinqueretur. Deniq; in talem conditionem, statum, famam perueniendum, ut saluis regis liberis, ac propè puberibus, dignissimus regno præter Romanos omnes iudicaretur. Quod apertissime ipsa autoris uerba confitentur dicentis. LIV. Seu ex quo sui potens fuerit, Romam cum coniuge, & fortunis omnibus commigrasse, maiorem partem ætatis, qua ciuilibus officijs fungantur homines, Romæ se, quàm in patria uixisse, domi militiæq; sub haud pœnitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se iura, Romanos ritus didicisse: obsequio, & obseruantia in regem cum cæteris, benignitate erga alios cum rege ipso certasse. LAV. Omne tempus hoc demus fuisse annos decem, ut triginta annos nata fuerit, cum uir eius creatus est rex. Cum idem moritur, nam duodequadraginta in regno fuit, annum ageret duodeseptuagesimum, & circiter uiginti iam parere desierit, Ex quo necesse est Lucium, qui postea superbus appellatus est, uicenarium fuisse cum patrem amisit. Neque uerò hoc loco quorundam opinioni respondendum est, qui illam cẽsent prosperiorem corporum ualetudinem, ac uiuaciorem fuisse, quàm nostra ætate: cum sciamus peræque illos parum uixisse, ac nos uiuimus, & ab eisdem, à quibus nos, annis initium senectutis designasse, ut cum ex alijs libris, tum uerò ex Liuio ipso datur intelligi, apud quos nescio an aliquam, nisi miraculi loco repererim, cum annum quinquagesimum excessisset, partum edidisse: Tamen in hac muliere tribuere uolo non ante defuisse parere, quàm annum quinquagesimum ageret. Concepit igitur

undequin

undequinquagesimo anno Aruntem. Lucium uerò quid possum dicere minus duodequinquagesimo? nisi ut omnia in angustum coarctemus, dicat quis utrunq; eodem partu à quinquagenaria editũ: quasi uerò credibile sit, ut quæ per senilem ætatẽ concipere uix iam posset, ea conceperit geminos. Dicamus itaq; maiorem fuisse Lucium ferè Arunte uno saltem anno conceptum, matre duodequinquagesimum annum non transgressa, qui paternæ mortis tempore, quemadmodum ostendi, si propè uicenarius erat, qua ratione plus quadraginta ab obitu patris annis adolescens, ut iuuenis erit? aut si iuuenis adolescensq; erit: quo pacto filius esse poterit reginæ, quæ plus sexaginta annis ante Seruij mortem concipere desierat? Atq; ut aliam quoq; adijciamus repugnantiam, filiusne Tanaquil erit, & si non minimus liberorum, qui postquàm mater parere cessauit centum ferè annis in acie cum dictatore Romano conflixit singulari certamine, ita enim autor tradit. In posthumium prima in acie suos hortantem instruentemq; Tarquinius superbus, quanquàm iam ætate & uiribus erat grauior, equum infestus admisit: ictusq; à latere, concursu suorum receptus in tutum est. Siquidem hæc decimo, quàm è regno expulsus est anno gesta sunt, aut etiam tardius: cum ipse quinq; & XL. regnasset. Atque inauditũ est apud Romanos centenarium hominem, ac ne nonagenarium quidem, aut octogenarium singulari certamine in aciem, & præcipue cum iuuene, concurrisse, & si quis contentioſe de numero à me collecto detrahendum putat: scire uolo quãtum putet detrahendũ. An minorẽ dicet Tanaquil fuisse cum nupsit, ea quã dixi ætate? at hunc puebit minorem illam facere quindecim annis, an post cõtractum matrimonium nimium temporis esse quadriennium triennium ue prius quàm Romam migratum est? at unum interceßisse annum non denegabit: an decenne diuturnius iusto spatium, quo sub rege Anco Romæ mansum est? At quadrienne saltem concedere

cogetur;

cogetur: ita ex hac subductione palàm erit Prisco moriente de-
cem, ut parcissime dicamus, annos natum Superbum fuisse. Quæ
cum ita sint, hunc non pater successorem regni destinasset? hunc
inimici non timuissent ne patri succederet? hunc columen ac de-
cus mulierum mater, & cuius regum par, non in patris demor-
tui sede collocasset? hunc Seruius seruus natus atq; hæredis uer-
na uel libertus non sibi antepositisset? hunc populus, qui patrem
eius, & priuatum & aduenam esse regem iussisset, nō & ipsum
adiutrice regina regem creasset? hunc quisquam quum plusquàm
quinquagenarius est, adolescentem aut iuuenem uocet? hunc fer-
mè nonagenarium in aduersum hostem credamus infesto telo
equum admisisse? Huius deniq; sororem, hoc est ex Tanaquil
genitam concedamus matrem Bruti fuisse? quem in exigendis re-
bus iuuenem Liuius uocat, & æqualem consobrinorum, hæc si
minor Lucio fratre fuit augebimus pueriles illius annos ante
mortem patris. Sin maior eo incredibilius mulierem octogena-
riam ne dicam plusquàm nonagenariam esse iuuenis matrem, quæ
omnia si permultum à fide abhorrent, confitendum est Tar-
quinium Superbum cum fratre non fuisse Tarquinij Prisci fi-
lios: nec eorum sororem eandemq; Bruti matrem filiam: sed
nepotes, neptemq;, sicut Ancus Numæ, sicut Tullus Hostilius
Romuli socij nepos fuit, non filius: Vt enim Ancus à Numa. Tul
lus à Romulo tertius fuit, sic Superbus à Prisco, aut quasi nepo-
tes, aut quasi neptem: cur ita? quia neq; filium quempiam fuisse
Prisco narratur duntaxat ab hoc autore: nam apud alios quosdā
uuenio fuisse, qui adolescens ob strenuitatem militarem bulla &
prætexta à patre donatus est, & si is ante patrem decessisset su-
sceptā prole ac superstite profectò auus, & auia consultū nepo-
tibus naturæ lege uoluissent. Neq; si nepotes ex filia fuissent, ui-
deo cur Tarquinij uocarētur. Et hac, ut suspicari libet, Titus Li
uius uir prudentissimus ratione adductus est, ut hos esse nepotes,

Prisci

Prisci Tarquinij uellet. Qua in sententia ipsi ego adstipulor, ideoq; dixi quasi nepotes, eruntq; nati patre Tarquinio, hoc est Egerio. Nam sicut ipse Lucumo, quòd ab urbe Tarquinijs uenisset, Tarquinius dictus, ita Egerio ob eandem causam idem nomen inditũ est, quòd si Collatino huius filio, ut inquit autor hoc nomen fuit, necesse est, ut idem fuerit & patri, ac quàm erit inquies Superbus Egerio natus: qui fuit Collatini pater, cũ Collatinus ipse frater Superbi non fuerit, sed Aruns. Nec hoc quidem uidetur mihi T. Liuius rite tradidisse: quis enim credat Collatinum filiorum Superbi, qui iuuenes erant, æqualem, prout & ab autore memoratur? nã sic inquit: Quin si uigor iuuentæ inest, cõscendimus equos, inuisimusq; præsentes nostrarũ ingenia, patrem habere centum, & uiginti egressum annos, aut ut minimũ dicamus, pauculis annis minorem. Tot enim sunt aut ferè tot ab ortu Egerij. Adeo Superbus ipse fuisse nepos, potiusquàm filius mihi uidetur Egerij: nedum hic tanto minor natu potuerit esse filius. Probabilius itaq; fuerit Superbum, qui parens esse poterat Collatini, & ut coniectura ducor patruus erat: licet aliqui (quorum est Plinius) auunculum tradant, fratremq; Aruntem. qui nomen Auitum uidetur retulisse, à patre impositum ab Egerio traxisse ortum uel patre, uel, quod magis arbitror, auo. Ex quo illud iam sua sponte apparet, nõ timoris causa generos Tarquinios à Seruio rege adscitos, ne paternum regnum exemplo filiorum Anci repeterẽt: nam eos potius tollendos curasset, cum nullũ ius Egerianæ stirpi ad regnũ esset, si cum ipse iam senior, aut nullos filios sustulisset, aut si obierant, nullos posthac tollere speraret opinor. Nec nobiliores iuuenes inuenisse, quibus filias collocaret, & equum censuisse in eandẽ Tarquiniorum familiam potissimum referre regnum, unde illud accepisset eo quidem libentius, si filiæ suæ matre Tarquinia, & cuius gratia regnum fuerat adeptus, genitæ erant. In quo illud quoque absurdum, si

Liuium

Digitized by Google

Liuium audire uellemus, sequetur, ut qđ apud Romanos mores insuetum est, illæ regis filiæ fratribus nupserint matris: nunc autem cognatis, non auunculis, quia filiæ regis nõ erant, in matrimoniũ datæ. Hic tu quæres, si ita est, quid ergo sibi Tarquinius Superbus regnũ, uelut hæreditatẽ repoposcit? poteram dicere, quòd putabat sibi deberi, ut nepoti, pronepoti: ut Fratris Prisci Tarquinij, ut filio nepoti, ut Egerij quòd ei patruus, cui propter ius gentium patrimoniũ intercepisset, ignominioſumq; nomen immiſisset, regnum per manus tradere, aut debebat, aut destinabat, cum uirilẽ stirpem nõ haberet: quẽ pro caro habuisse illud est argumentũ, quod Liuius ait: Et forsan hic in regnũ patruo succeſsisset, nisi Tanaquil p genero in cõtrariũ fuisset annixa. Poteram etiam alia dicere, sed me ad se maxime uocant uerba autoris, qui nõ sua sponte Tarquiniũ, & si uir erat uiolentus ac ferox, ad maleficiũ acceſsisse significat, uelut agnoscẽtem ad se nõ pertinere regnũ, sed uxoris consilijs inductum, ut superius uidimus, & ex his quoq; uerbis, sed initium turbandi omnia à fœmina ortũ est, quæ uirũ tanquam mare suapte natura quietum procelloſis quibuſdã uẽtis furoris agitauit, ut regnum affectaret, ut illud per sanguinẽ, per mortẽ, per parricidiũ peteret: et quò res sit indignior, per parricidiũ senis, cuius mortem expectare, id quod Romanis Hannibal exprobrauit, longũ censerent: quod scelus cum in genero, qui fuit perſuaſus, abominandũ est, tum uero in filia perſuadẽte deteſtabilius. At hoc ipsum fidem non habet, talia in patrẽ filiam fuisse ausam, à quo nec aliquid esset offensa, & regnũ iure optimo, & quidem propediem speraret, interim satis habens felicitatis, quòd & filia regis erat, & futura regina, cũ unica esset proles patri, ac semper futura unica propter paternã senectutẽ. Reddã, quam superius me redditurum promiseram causam, quæ ut improba, ita uehemens fuit, & filiæ cum genero communis. Timuit hæc

Digitized by Google

sceleratißima fœminarum superbos & plusquam regios, imò tyrannicos spiritus habens, ne successione regni, quod suũ fore credebat, naturali iure fraudaretur, regno in rẽpub. cõmutato: quod facturus ipse uidebatur, ut Liuius ait, id ipsum tam mite, ac moderatum imperium: tamen quia unius esset, deponere eum in animo habuisse quidam autores sunt, nisi scelus inteſtinũ liberandæ patriæ cõsilia agitanti interuenisset. Et iterum postea in calce libri, LAV. Duo cõsules in comitijs centuriatis à præfecto urbis ex commentarijs Seruij Tullij creati sunt: hanc contumeliam iniuriamq; non ferens filia, ut quæ patre quoq; rege progenita, & si ratio pignorũ haberetur, regni hæres erat, ea ad priuatum cõmunemq; cæteris statum descenderet, maritum, qui & ipse spe regni exuebatur, ad occupandũ regnum instigauit, & impulit ad mortẽ patris, & quod credere libet prius ad mortẽ sororis, & pristini uiri, quibus saluis, utpote languẽtibus ingenijs regnum paternũ optineri non poterat. Ait enim Liuius, Angebatur ferox Tullia, nihil materiæ in uiro, neq; ad cupiditatem, neq; ad audaciam esse, tota in alterum conuersa Tarquiniũ, eum mirari, eũ uirũ dicere, ac regio sanguine ortũ, spernere sororem, quòd uirũ nacta, muliebri cessaret audacia. statimq; post. Nullis uerborum cõtumelijs parcere de uiro ad fratrem, de sorore ad uirum, & se rectius uiduam, & illũ cœlibem futurum fuisse contendere, quàm cũ impari iungi, ut elangueſcendum aliena ignauia esset. LAV. Nam quid attinebat incusare uirum, quòd parũ uirili animo, incusare sororem quòd ignaua esset? nõ uideo aliud, nisi quòd hic socerum illa patrem non occideret. Atqui hoc sceleratißimum est: sceleratißimum quidem, sed tamen sceleris merces, ut quod ereptum iri sibi uidebant regnum inuaderẽt. Sed ita nihil incredibilius erit. Quis enim credat hanc uelle, atq; adeo hortari germanam, trucidare communem patrem, ut illa potiatur hæreditate? illa inquam,

cuius

cuius uitam, ut exitus docuit minoris faciebat, quàm non modo coniunctæ, sed etiam ancillæ. Alia ergo fuit causa, quàm clamor sororis, quæ nulla alia esse potuit, nisi ne paternum regnum per iniquitatem patris liberis præriperetur, ideoq; sororem increpabat, quòd maior natu nihil de regno laboraret. Ideo maiorem fratrum ad hanc spem, sed non sine suo morbo erexit, rectèq; subiũgitur. Si sibi cum quo digna esset dij dedissent uirum, domi se propediem regnum uisuram fuisse, quod apud patrem uiderat. De qua nulla hic, & ad extremum (nam finẽ iam facere uolo) dicere habeo: non fuisse autori faciẽdum, ut, quam matrem iuuenem uocat, circa tẽpora uiolatæ Lucretiæ, eandem dicere nurum esse Tarquinij Prisci, ac Tanaquil, quæ iam noPeroratio Priscus naginta fermè annos liberos nõ genuerat. Hæc sunt optime rex, cur Tito Liuio non accedam, Tarquinium Priscum patrẽ fuisse Tarquinij Superbi, nec eum posteritatem uocaturam Priscum fuisse arbitror, si pater huius extitisset. Priscum enim dicimus, non qui patrum, sed qui auorum, aut proauorum memoria fuit, & hoc nomẽ illi non à sui temporis hominibus, ut autor dicere uidetur, sed à posteriori seculo inditum, ut Prisci Latini, aut cætera huiusmodi, in quibus tu, quem potissimum in hac quæstione mihi deligendum putaui iudicem, si mecum sentics, qualibet breui epistola respondebis: quòd si dissentics, longiore: ut rationes meas tuis melioribus refellas. Vides, ut tibi tacite blandior? quasi suadeam, ne laborem subeas me refellendi, id est, ut mihi assentiaris. Verũ absit hoc ab utroq; nostrũ: nam neq; meum est falso quempiam uelle accusatione damnare, neq; tuum, aut labori cedere, cuius semper uictor extitisti, aut clarissimos uiros, quorum inter primos est Liuius, quoties falsò accusantur, pati desertos. Vale. Neapoli pridie Nonarum Decembrium.

FINIS.

Digitized by Google

LAVRENTII VALLAE

CONFVTATIO PRIOR IN Benedictum Morandum Bononiensem.

Inimicorum in nos merita.

TRVM de me peius mereantur, an melius inimici & hostes mei, quòd mihi negotium exhibent, ac bellum inferunt, haud queo satis, pro certo dicere: nec utrum plus ex ea re molestiæ capiã, an uoluptatis. Nam & libros meos carpi, & famam meã inceßi, & tempus melioribus rebus debitum cogi me diluendis criminibus impendere, sanè mihi quàm molestũ est, & in magnæ iacturæ loco ponendum. Rursum stratis, fugatis, captis hostibus, multũ ex ipsa victoria uoluptatis capio: nõ quia homines de me male meritos ultus sum, quorũ uicem etiam miseror, sed quòd existimationẽ ac gloriam meã non modo restitutam, uerũ etiam corroboratam, auctam, illustratã intelligo. Quæ uoluptas & si diuturnior est, quàm molestia fuerat: tamen uehemẽtius inter initia afficit molestia, quàm uoluptas. Certe præoptarem semper, & mallem pace frui, quàm in incertum uenire victoriæ. Verum nunc laboribus periculisq; bellorum defunctus, atq; aliquot victorijs potitus (fas enim est lacessito post victoriam gloriari) non equidem habeo gratiam ijs, qui me lacesserunt: sed tamen gratias ago, quòd laudi meæ consuluerunt, cum non consuluerint suæ, quorum nemo est, quem non pœnituerit me lacessisse. Quo magis miror, nescio quem Benedictum Morandum, ut aiunt tabellionem, iure ciuili nonnihil tinctum, aliorum ruina non fuisse deterritum à me oppugnando, minus illum quidem contumelioßum, quàm cæteri, sed pro rei conditione, uel contume-

Benedictus Morandus.

lioßorem

lioſiorẽ. Neq; enim ſe à me laceſsitum eſſe, ut alij fecerunt fingere poteſt: ſed à me Liuium laceſsitum obijcit, quòd ab eo una in opinione diſſentiam, cuius noxæ (quod nunquam fando cognitum eſt) pœnam à me exigit capitis, & quidem apud ſummum pontificem, quaſi religionem prophanauerim: neq; id quia Romanus, ut ad eum de Romana hiſtoria pertineat, non quia Patauinus, ut tutanda ſit ei patriæ dignitas, non denique quia hiſtoricus, ut hiſtorici nominis doleat uicem, ſed quia notarius eſt. Notarius Notandus

Nam Liuius, ſi huic credimus, notarius eſt Romanæ hiſtoriæ: ut merito quemadmodũ Cicero conſul Murenam conſulem defendit, ſic Benedictus notarius, Titum Liuiũ notarium defendere debeat. Stulta iſta notario, & notari digna eſt ratio, unde tibi fauorem concilies. Stultum fingere te dolere, ut in me confles odium, quòd tanto uiro detraham: non enim ut tu inuidia mei, ſic ego inuidia Liuij ductus ſum, quem amo, quem ueneror, quem imitari ſtudeo. Liuij per Vellã reſtitutio.

Cuius etiam ſex libros de ſecundo bello punico, quod multi facere conati fuerant, meo maximo labore, ita priſtinæ ſynceritati reſtitui, ut ne ſyllabam quidem omiſerim. Cuius deniq; in libello meo pie ſemper, ac reuerenter feci mentionem. Quo fit, ut neſciam plus ne ſtomachi, an riſus mihi moueant tragœdiæ tuæ, qui de cauſa ciuili criminalem facis. Vtinam Benedicte potius bene diceres, quàm Benedictus uocareris, & pro Morando moratus homo eſſes, ne ue cum uites odio Bacchi incidere uis, more Licurgi, crus tuum incideres, nec latratibus tuis, ac morſibus iacentem in te Leonem irritares, adhuc ex aliorum cauum ſanguine cruenta ora habentem. An non tu latras, & ueluti canicula mordere Leonem uis? nam quid aliud eſt, quàm latrare & Leonem (nam Leonem me experieris) canino morſu appetere, ſic dicere? BEN. Vt condemnes pœna falſi delatoris, quòd Liuium iam defunctum notarium rerum Romanarum, quem omnes ſuperiores doctiſsimi

uiri laudarunt, atq; admirati sunt, mendacem & falsarium scribat, accuset, prædicet, eiusq; famam & honorem supra mille & quingentos annos hactenus illibate celebratam, minuat, mordeat, lædat, labefactet, obscuret, & propterea ad detractationem publicam cogas, & compellas me paratum offerens Talionis pœnam subire. LAV. Ego ne non dico falsi, sed delatoris nomine appellandus sum? Dissentire ab aliquo autore, id uero delatoris est, & propterea publice, & summo cogente pontifice, retractandum? Ego ne falsarium Liuium prædico? Te te ego delatorem, te falsum delatorem, te, licet tabellio sis, falsarium prædico. Siquidem delatorem te esse inficiari non potes, qui apud summum pontificem me criminaris, offerens te subire pœnam Talionis: falsarium uero te & ob id pœnæ talionis obnoxium probant ipsa opusculi mei uerba, quod ita incipit: Cum Titum Liuium quotidie Romanorum historicorum eloquentissimum aut audias, aut legas, emulator ueterum in omni genere uirtutum, uelim iudices, an recte de quodam loco sentiam huius autoris, quæ res ad regem, ut tu es, pertinet. Atq; ita finit: Hæc sunt optime rex, cur Tito Liuio nõ accedam: Tarquinium Priscum patrem fuisse Tarquinij Superbi. In quibus tu quem potissimum in hac quæstione mihi deligendum putaui iudicem, si mecum senties, breui epistola respondebis: sin dissenties, longiore, ut meas rationes tuis melioribus refellas. Vides ut tibi tacite blandior? quasi suadeam ne laborem subeas me refellendi, id est, ut mihi assentiaris. Verum absit hoc ab utroq; nostrum: nam neque meum est falsa quempiam uelle accusatione damnare, neq; tuum aut labori cedere, cuius semper extitisti uictor: aut clarissimos uiros, quorum inter primos est Liuius, quoties falsò accusantur, pati desertos. Hoccine est delatorem esse Liuij? hoccine illum appellare falsarium? hoccine eundem carpere, damnare, detestari, ut

Delator quis.

Tarquinius Priscus num pater fuerit Tarquinij Superbi.

posterius

Digitized by Google

posterius ais? BEN. Iam palam factum est, beatißime pater, Laurentium Vallam inique carpere, damnare, & detestari parentem historiæ, notariumq; rerum Romanarum Titum Liuium. LAV. Hoccine pœnam capitalem meretur? hoccine abs te tantopere rogandum fuit, ut plecteretur? hæc enim tua sunt uerba. BEN. Quamobrem supplex te imploro, precor, obtestorq; beatißime pater, ne inultum iam tot annos absentem Liuium sinas, ac patiaris tam crudeliter eius famam minui, lædi, labefactari, deijci. Etiam existima tuæ beatitudini dedecori fore, Laurentij impunitatem: quæ infamem eius accusationem in Liuium tacite uidetur homologare, & ita inclementer doctißimos & clarißimos uiros, haud toleranda affectos ignominia, turpe est inultos præterire: neq; tamen quoad lex iubet, de eo statui peto, quod tuæ diuæ clementiæ satis aduersatur. Etenim pœna capitis eũ lex damnat, intestabilemq; decernit. LAV. Ò miram animi barbariem, ò dementiam singularem, non esse contentum à se, ut sibi persuadeat, Liuium satis abundeq; defensum, & de me uictoriam reportasse ac triumphum, sed pœnam capitis aut poscere, aut poscendam putare. Atq; ut ei credatur loca iuris recitat, & quidem scite, quòd apud summum pontificem, cuius se scriptorem fuisse ait. Quem tu unquam uidisti summo pontifici iura recitantem? quasi nescienti. Sed uere tua ista iura summus potifex nescit, quæ hominem pœna capitis plectunt, qui uel in ipso iure, uel in medicina, uel in philosophia, uel qualibet arte, atq; scientia ab aliquo superiorum scriptorum, ullo in loco dissentit: ais enim. BENED. Vt lege siquis famosum libellum. C. de famosis libellis. & lege lex Cornelia. circa finem. ff. de iniurijs, & lege idem apud Labeonem. in princip. ait prætor. cod. titulo. Leges in delato.

LAVR. Famosus ne meus libellus est, an tuus, homo nequißime, qui te offers paratum subire pœnam talionis? istáne iura

Digitized by Google

factum meum puniunt? an tuum potius, uir iniuste, & nõ solum ab historiæ, sed etiam ab iuris intellectu remotissime? Quis hoc quod ego facio non factitauit? quis in iure ciuili non aliqua in parte à quopiam superiorũ dissensit? quis in philosophia? Quis in arte oratoria? & item in cæteris? Adeo non foret causa posterioribus scribẽdi quodammodo, si nihil esset in quo superioribus aduersaremur. An non est talis historia? imò nihil magis, in qua nunquam inuenti sunt duo, qui eandem rem gestam narrantes inter se omnino conuenerint. At enim pœnã exceptione temperas, inquiens: BEN. Sed omisso iuris hoc rigore, mitius in hunc libelli autorem tua animaduertat clementia, si tamen ea se dignum sua cõfessione reddiderit. Satisfaciat primum Liuio, quem offendit, damnauitq; retractando publice, quæ cõtra eum scripsit, seq; falsõ illum tandem insimulasse profiteatur. Aliàs debet edicto tua sanctitas uelut erronea scripta Laurentij contra T. Liuium decernere, cumq; falsi delatoris detractorisq; affligi pœna iubere. LAV. Et quò magis moueas religiosa ratione summum pontificem, addis, BEN. Ne cum Laurentium pro tua in eum clementia seruare uolueris, in id genus iniustitiæ decidas, quòd cum posßis non propulses iniuriam, & apud Elysios campos, & amœna piorum concilia de te Liuius queratur. Quod ut facias te omnes docti, te ipsa ueritas, te tuæ dignitatis officiũ, te morsu detractiõis ossa cõtrita Liuij te omnis historia Romana, quã Laurentius corrũpit, atq; labefactat, supplices orant, & precantur. LAV. Si ego tantã pœnã mereor, qui Liuiũ lædo, quanta tandẽ tu impie ac sceleste dignus es, qui lædis tuã religionẽ, approbans gentilẽ, in qua sunt cãpi Elisij, & amœna piorũ concilia, si tibi credimus: qui lædis maiestatẽ summi pontificis, quẽ facis gentilẽ: qui lædis omnes, q̃ audiunt ac legũt insigni blasphemia? Quo nomine te apud Calistũ summum pontificem impietatis reum facio, atq; ad pœnam capitis

uoco

uoco, non ut tu ad fálsam, ac ſtultam. Dabis itaq; duplices pœnas, Talionis pariter, & læſæ maieſtatis, læſæ patriæ, læſæ religionis, ut tibi ad ſupplicium, non una ſufficiat uita. Vide in quot laqueos te * indueris demens. Sed omiſſis utrinq; criminibus in ſpiciamus ciuiliter, quid mihi obiectas. Nempè quòd Liuiũ ſum auſus reprehendere, an tu eum nuſquam reprehendi poſſe exiſtimas? Ita uideris exiſtimare, cum inquis, BEN. Quẽ omnes ſuperiores doctiſſimi uiri laudarunt, probarunt, atq; admirati ſunt, eiusq; famam & honorem ſupra mille & quingẽtos annos hactenus illibate celebrarũt. LAV. Non dicam tibi, quòd nemo antea inuenit, id tamen à poſterioribus inueniri poſſe, cuius rei infinita ſuppeditant exempla, quæ breuitatis cauſa prætereo. Non dicam pares Liuio, atq; etiã ſuperiores aliqua peccauiſſe: quia ſicut corpora ita animi nulli reperiuntur, quin aliqua in parte ab alio inferiore ſuperentur, quæ & longa foret ad diſputandum materia. Vnde Horatius de ſummo poëtarum, ac de ſummo penè ingeniorũ, inquit: Et quandoq; bonus dormitat Homerus: & in Demoſthene, atq; Cicerone ſummis oratoribus, nonnulla deſiderãtur, & in Platone ac Ariſtotele philoſophis maximis aliqua notantur. Dicam te diligentiorem eſſe rabulam, expertiorem tabellionem, meliorem notarium maleficiorum, quàm ueterum hiſtoriarum lectorem, qui in cauſa nugatoria, tanquam in cauſa maleficij his uocabulis uteris, Erronea illibate, ſucceſſiue, nullibi, nullatenus, poſterare, anteacti põtifices, correſpondet, aliàs pro alioqui, octuagenarium, uigenarium pro octogenarium, & uicenarium. Item cogas & cõpellas me offerens, quaſi papa te offerat ſubire pœnam talionis: nam ut taceã quod grauius eſt elegantiam Liuij à Pollione Aſinio notatam, cum inquit, in Liuio fuiſſe quandam patauinitatẽ: certe ne plura afferam, Flauius Vopiſcus hiſtoricus ait: Neminem non hiſtoricorum, quantum ad hiſtoriam pertinet, aliquid

Induere. * Induxeris.

In arte. Summi uiri dormitant.

Vicenarius.

Polli. Aſin.

Digitized by Google

esse mentitum. Additq;, proderem quinetiam in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo deniq; Trogus manifestis testibus conuincerentur. An quod Vopiscus posuerit, nemo poterit? quid si locum hunc, quem ego notaui notauerat Vopiscus? At enim Vopiscus ageret testibus? nunquid deterius est rationis, quàm hominis testimonium? nam ita ais, tu autem nullius autoritate tractus, sola tua uoluntate Liuium damnasti. An melior ullus autor est quàm ratio? quanquam ut exemplari tuo, quod Romam attulisti, quod nunc penes me est, constat, nullam ego feceram mentionem Lucij Flori, qui simpliciter Superbum Prisci nepotem uocat. Tamen aliquot annis post, quod per obliuionem omiseram addidi de Lucio Floro, quem codicem, quia Bononiæ tibi uir eruditissimus Nicolaus Perotus ostendit, Tu ais plus te fidei Liuio habere, quàm Floro, quanquam sint diuersi historici: Abbreuiator Liuij dicitur Florus fuisse, qui à magistro, ut sic dicam, suo & si quodammodo magistro admirabilior est, tanquam à mētienti in hac parte desciuit. Tradit hoc idem Piso, ut testatur Dionysius Halycarnaseus. Probat Dionysius ipse ut in sequentibus probabo, quē quòd nō à principio, sed nuper legi, per deum fato quodā reor contigisse, meo prospero, ut mirarentur homines ingeniū meū penè incurrentis in eadem, quæ Dionysius, tum ex se, tum è Priscis historicis attulit argumenta, atq; documēta: tuo impro-sperо, atq; infelici, ut eo tēpore te mihi obijceres, quo ego Dionysianum nactus, fulmen in te coactus tua importunitate torquerem: quare, si Liuius is est, qui reprehendi potest in historia, si à quibusdam reprehensus est, si nec ego, ita ineruditus sum, ut non aliquid pro mea uirili (siquidem notandum est) notare possim, tibi non solum pro me, sed etiam pro rei ueritate respondebo, ut optima sit hæc nostra partitio: Primum, ut nō esse uerisimile Tarquinium Superbum fuisse Tarquinij Prisci filium

Rationis uis.

L. Florus a Liuio dissentit.

Dion. Halycarnaseus.

Tarq. Superbū nō fuisse Tarq. Prisci filium.

filium probem, conuincamq; & id meo marte. Deinde nec uerũ esse, idq; non meis, sed Dionysij copijs, quibus omnes tuæ so-
mniculosæ, ac penè phreneticæ opiniones confutantur. Neque
uero speres Benedicte, quod ad primam partem pertinet, ut so
licite anxieq; tua argumenta confutem, quæ se ipsa redarguũt,
ut te dignum putem, cum quo colluctet omnibus membris. En
tanquam Milo ille Crotoniata super scutum in circo stans por Milo
rigo dextram, qua tu duabus tuis apprehensa, si toto corpore
annixus me ab instituto uestigio moueris, uicisse te confitebor.
Stare autem eodem in loco putabor, si summatim meas eadem
rationes referam, tuasq; illis opponam, & ipsas summatim cũ
parua significatione, cur meæ ualidæ sint tuæ inualidæ, ut agno
scant spectatores, uter, Laurentius an Benedictus luctator sit
& athleta præstantior. Malo luctatorem athletamq; dicere,
quàm gladiatorem, & si tu gladiatorio animo, gladiatorijsq;
armis in me irruisti. Ego ueri simile nego esse Tarquinium Tarq. Prisci
Priscum, si duos ex uxore Tanaquilide habebat liberos gene- soboles.
ro potius, & ei Serua nato regnum, per manus tradere desti-
nasse. Tu hoc ais esse ueri similius, idq; pro ratione affers, quòd
quicquid Liuius tradit, id ab alijs mutuatus est, & ab ijs præ
sertim, quos ipse magis probauit, quod ego solus faciã, qui nul
lius autoritate ductus, mea solius uoluntate Liuium damno. Fa
teor, nullius sum sequutus autoritatẽ, sed ostendo Liuium, & si
uera loqueretur, nõ tamen ueri similiter loqui, quæ tu facis mul
to minus ueri similia, cũ sentias non admodũ senem fuisse Tar-
quinium dum interfectus est, ut cũ speraret se filios adultos ui-
surum, minus credibile sit destinasse regnum genero, uel tra-
dere, uel fiduciariũ cõmittere. Ego nego credibile esse adeo alie
num fuisse Tarquinium à caritate liberorũ, ut & Seruio extin
cto aliũ sibi generũ fuerit asciturus, cui regnũ relinqueret. Tu
ais credibile, nulla alia ratione q̃ superiore, quæ nulla est, utens.

Et hoc

Et hoc impudenti mendacio quòd dicis, cui ſummã imperij permitteret ſe uiuo: ita ut Priſcus nomine, ille actu rex uideretur, quod Liuius nec ait, nec ſentit. Nam quòd inquit illũ, & apud regem, & apud patres plebemq; longe maximo in honore fuiſſe, ne putes idem eſſe penè, quòd regnare, eundem honorẽ ait Liuius, hoc extincto quencunq; alium generũ fuiſſe aſſecuturũ: neq; eſt quòd tanquam decrepitum fingas Tarquinium mandaſſe genero huic, & cuilibet alteri procurationem regni mãdaturũ fuiſſe. Si tibi credimus adhuc uiridis ætatis rex erat. Mihi credibilius uidetur, ſi filij paruuli Tarquinio & Tanaquillidi fuiſſent, non futurum eis cariorem unum generum, quàm duos filios. Tibi contrarium credibilius, cum propter alia ridiculla auditu, tum uero, quia Tanaquil immemor filiorum, neceſsitate ducta, regnum uindictæ præmium Seruio propoſuit. Quod niſi feciſſet, actũ erat de filijs & regno. Cum ego agã de utriuſq; parentis uoluntate, atq; propoſito hæredis impoſterum inſtituendi: tu de præſenti neceſsitate Tanaquillidis, poſt necem uiri loqueris. Res inter ſe ſunt longe natura diuerſæ, neceſsitas, & uoluntas. Illa uero ſi generum non habuiſſet idem in fratrem, in propinquum, in amicum, in hoſpitem deniq; feciſſet, ne id quod rex, cum alij, tum uerò filij paterentur: quorum tu immemorem illam uocas, cum maxime eis proſpiceret. Neq; uero tuo Marchionis Eſtenſis reſpondebo exemplo, ne quid de principibus ſeculi noſtri, niſi honoris gratia loquar. Tantum dixerim, inſani eſſe hominis, credere utriq; parenti cariorem eſſe generum, quàm duos infantes, ſiue pueros filios.

Mihi uidentur ijdem parentes ſperaſſe Populum Romanũ obſequentiorem fore regijs liberis, quàm regio liberto. Et ſi teſtamentum facere potuiſſet Tarquinus, potius fidutiariã regni tutelam genero commiſsurus, quàm hæredem eum facturus. Tibi non uidetur, nec Tarquinius daturus tutorẽ filijs Seruium:

ne frau

ne fraudaret illos regno, ut ipse fraudasset filios Anci: nec Tarquil ablatura regnum Seruio, quod ei flamma, quæ circa pueri caput arserat, portendisset. Omnia cõtra naturam loqueris, ut taceam quòd genere erat seruus, & libertus Tarquinij: quod ipse Tarquinius non fuisset: Anco certe timor malæ tutelæ, & ostentum futuri regni magis causam attulisset occidẽdi Seruij, quàm hæredis relinquendi. Sed cũ esset opus tutore pupillis, nullus magis idoneus, quàm gener uidebatur. Et flamma quæ in capite fulserat, auxilium non excidiũ Tarquinianæ domui portendebat. Mihi uero circa finem, sed magis inter initia Seruiani regni contracta matrimonia uidentur inter filias Seruij, & Tarquinios iuuenes: cum scribat Liuius, tum palàm factũ, & comploratione in regia facta, Seruius præsidio firmo munitus, primus iniußu populi, uoluntate patrum regnauit. Anci liberi iam tamen cõprehensis sceleris ministris, ut uiuere regẽ, & tantas opes Seruium nactum nunciatum est, Suessam Pometiam exulatum ierant: nec iam publicis magis consilijs Seruius, quàm priuatis munire opes: & ne qualis Anci liberûm animus aduersus Tarquiniũ, talis aduersus se Tarquinij liberûm esset, duas filias iuuenibus regijs Lucio atq; Arunti Tarquinijs iunxit. Et aliquanto post, fortè ita inciderat, ne duo uiolẽta ingenia matrimonio iungerẽtur, fortuna credo Populi Romani, quo diuturnius Seruij regnũ esset, constitutiq; ciuitatis mores possent. Tibi placet circa finem regni Seruiani cõtracta matrimonia, & ingenita tibi leuitate, stultitia, temeritate, conaris probare filias non nisi regnanti Seruio genitas, hoc argumento, quòd Liuius ait Tarquinium huic filiam despondisse, non nuptum tradidisse, quia tenerior erat Seruius, quàm ut coire cum fœmina posset: cum Liuius dicat, iuuenis euasit, ueræ indolis regiæ: nec cum quæreretur gener Tarquinio, quisquã Romanæ iuuẽtutis ulla arte conferri Seruio potuit, filiamq; ei suam rex despõdit.

Hic

Hiccine tibi tenellus uidetur adolescentulus, aut puer? quòd si ut tu fateris filia regis nubilis erat, quousq; uis dilatas fuisse nuptias, cum præsertim ambo in eadem domo essent? Aut quid affers, cur non sub Tarquinio duodecim, aut saltem decem annos in coniugio fuerint, & inter initia regni Seruiani filias nubiles habuerint? Initia regni Seruiani, quod fuit quatuor, & quadraginta annorum, uoco, usq; ad decẽ annos & amplius: aut si non uis uocari hæc initia, faciam quinquẽnium, quadriennĩ, triennium: nam eo tempore poterant nubere Seruij filiæ, quo tempore si nupserunt iuuenibus Tarquinijs concedes, id quod peto, illos iam sub exitum patris adultos fuisse, & patri potuisse succedere. Hoc loco tu cauillando quæris, an ego pro obstetrice fuerim in partu Tanaquillidis: qui uolo maiorem natu fuisse Lucium, argumentaris q; potius minorem fuisse, Aruntem uero maiorem, quasi non satis aperte Liuius ipse declaret maiorem natu esse, quem prius nuncupat: minorem, quẽ posterius. At legitur apud Liuium minorem Tulliam nupsisse Lucio, ut colligi possit, & ipsum Lucium minorem fuisse Tarquiniũ. An id in omnibus editionibus legatur nescio. Ego ut alia plurima in Liuianis codicibus deprauata correxi, ita hunc locũ mutans minor in maior. Et ne plura de mendis librorum dicã, uno sum contentus, è iure ciuili, cuius te peritũ significare passim laboras, exemplo, quod ad hanc rem pertinet. Pomponius iurisconsultus de origine iuris, inquit: Quæ omnes conscriptæ extant in libris sexti Papirij, qui fuit illis tẽporibus, quibus Superbus Demarati Corinthij filius. Hic quis non uidet mendam esse libri? Ita in illo loco Liuij, qui propter similitudinem literarũ facile corrumpi potuit, & omnis Liuij narratio Lucij regnum à Seruio repetentis, tanquam maioris natu est, nihil Arunte conquerente, quod profecto nõ feciſſet, etsi miti ingenio iuuenis, ac uir potius, si maior natu fuisset. Mihi nõ fit uerisimile Priscũ Tarquinium

Lucius an Aruns senior.

Mendæ in Liuio.

quinium, dum Romam commigrauit, fuisse adolescentem, cuius frater natu minor ante mortē patris decessisset, uxore grauida relicta, & de quo Liuius scribit: Lucumo uir impiger, ac diuitijs potens, Romam commigrauit, cupidine ac spe magni honoris, cuius adipiscendi Tarquinijs (nam ibi quia peregrina stirpe oriūdus erat) facultas non fuerat. At ne puellam quidem Tanaquilidem fuisse, quae sperni uirum ac aduenam ferre non posset, quae peritissima esset augurandi: certe marito peritior, & ipso Tarquinijs nato: quae dum maritum uideret honoratum, cætera posthaberet, quae etiam autor uiro esset natale solum relinquendi. Tibi ueri similius sit, & illum adolescentem fuisse, & hanc adulescētulam, licet adeo peritam: quia tu in Hispania conspexeris puellam inter pueros pastores, nescio quid de pluuia ariolantem, quia picus tunderet arborē, prorsus rem ineptam, & te picario uiro dignā: quasi in Hispania doctiores sint puellae, quàm matronae, & fœminae quàm uiri: in quo tu magis loquēdo uisus es ariolari, q̄ ulla uel puella uel anus. Mihi placet non ita properasse Lucumonem relinquere facultates suas, ut in alienā patriam cōmigraret, cū non tenderet ad certos honores Romae obtinendos. Tibi placet omnia debuisse putare posthabenda. Primum, quia ueterū patrimonia, nō in alijs rebus quàm in pecudibus constiterant, unde sit dictum peculium, quasi non & domos, & agros, & supellectilem ueteres habuerint, præter templa & sepulchra maiorum, & solum natale. Taceo peculium non pro patrimonio à iurisconsultis utique exponi. Deinde quia hæc res ei magnopere cordi erat. Hæc enim tua sunt uerba. Et ambitio deproperare cogebat. Neque magni & liberalis animi, Lucumo tulisset, diu sperni quoad permutasset utiliter, quod auari & tenacissimi fuisset hominis, qui præter honorem, cuius cupidissimus erat, omnia posthabuit. An ignoras quàm uehementer, & efficaciter eo Lucumo.

moueat

moueat, & agitet præstabiles, & illustres uiros indignitas? si qua est fides, uideris mihi Benedicte similis infantibus, qui cum cernunt musicum citharam, aut organa pulsantem, plus uoluptatis ex suo stulto cantu, si cantus hic dicendus est, quàm ex illo erudito amœnoq; capientes. Ego tanquam musicus sum, qui rationibus naturæ cõsentaneis utor. Tu ereptam mihi è manibus citharam, sine ullo artificio uerberas. Nam quis hic nisi infantium cantus est? dicere illustrem uirum esse, qui negligeretur à suis, & nullum honorem, ne in patria quidem, assequi posset, & cuius mores ignores, eum affirmare bona sua dilapidasse, ut peregrinari posset in urbe externa, quasi aut Romæ sine diuitijs honores se assecuturum speraret, aut Tanaquil de regno propediem obtinendo ex augurijs aquilarum, aut picorum picaruḿue certior facta esset. Vt in hoc puer, ita in illo delirus extitisti: cum dicebas Lucumonem fuisse seditiosi, & parricidæ Corinthij Demarati filium: Cum Liuius tantũ dicat ob seditiones illum domo profugum fuisse, non seditionum significans autorem, quem Dionysius Halycarnasseus principẽ Corinthiorum tradit. Mihi placet aliquot annos Romæ fuisse sub Anco Lucumonem, aut decem, aut certe quatuor, ut disceret linguam Romanam, ut mores & ritus, ut se dignum redderet, qui potißimum ab rege deligeretur filijs tutor: cũ eum faciat Liuius locutum his uerbis, se ex quo sui potens fuerit Romam cum coniuge & fortunis omnibus commigrasse, maiorem partem ætatis, qua ciuilibus officijs fungantur homines Romæ, se quàm in patria uixisse. Tibi magis placet decem eum menses, aut decem dies Romæ fuisse. Ego nego huius & Tanaquilidis filium potuisse infantem esse post duodequadraginta annos, quàm regnare cœperat pater. Tu bimulum, aut trimulum maiorem: minorem uero anniculum significas esse potuisse. Et cũ Macrobium in testimoniũ afferas dicentem, bello Sabino, quod

Lucumo.

bellum

Digitized by Google

bellum, ut è Liuio non solum è Dionysio constat, gestũ est circa principia Tarquiniani regni: filium Tarquinij annos quatuordecim natum bulla prætextaq; à patre donatũ fuisse, qua ratione putare potes eiusdem matrem post triginta amplius annos enixam fuisse? aut sexagenarium uelis puerperã extitisse. Me admiratio subit, uirum plusquam nonagenarium, prima in acie suos hortantem, infesto telo in dictatorem Posthumum incurrisse. Tu admirationem meam derides, quasi quotidianum hoc sit, & more tuo refers quædam exempla, ut impropria, ita falsa. Et ridicule interrogas, inquiens: respondе hic Laureti, si nunc iuuenis erat, ut eũ actor uocat, & tu assentiris, quẽ dixisti uigenarium antea fuisse tempore mortis Tarquinij quatuor & quadraginta annis iam præmortui, quomodo centum annos agere poterat, dum concurrit in aciem cum dictatore Posthumo? Quid tua ineptius interrogatione Benedicte? Ego dicebam, si iuuenis erat Superbus cum Seruium ciecit, non fuisse Tarquinij filium: si senex, non recte à Liuio appellatum fuisse iuuenem, nec à patre exhæredari tradito tutore potuisse, quia ipsum pater hæredem potius destinasset. Ego absurdum dico, & Romanis moribus insuetum, fœminas nubere auunculis. Tu negare non potes insuetum, sed absurdum negas, quia absurdius sit rapere uirgines, & hospitij iura uiolare, quod Romulus fecit: Socerum, fratrem, uxorẽ interimere, quod fecit Superbus Tarquinius, clarissimum rerum Romanarum scriptorem præter morem aliorũ à ciue Romano damnari, quod ego feci. O præclarum iurisconsultum, ò eximium Liuij aduocatũ? Vbi sunt tua iura, quæ toties inculcas? cum abs te iuris exẽpla poscam, tu profers exempla iniuriæ. Scio ut apud alios populos, sic apud Romanum fuisse cædes, uenena, incesta, sacrilegia, parricidia, rapinas, proditiones, calumnias, ac cætera facinora. Verum ego de bonis moribus ago, nõ de scelestis factis. Quis

Digitized by Google

enim sic defendit crimen, ut quia sunt alia maiora hoc, ideo crimen non esse. Romulus tamen excusat necessitatẽ. Tarquinius negat fratris uxoris q; necem, soceri uero iustam esse defendit. Ego nego me damnare Liuium, sed aio una in re ab eo dissentire, ut alij plurimi ab alijs dissenserunt, ut à cæteris historicis Piso, ut Dionysius Halycarnassæus, ut Lucius Florus, ut Vopiscus, & ante omnia ipsa ratio, tu pro te Aul. Gellium affers, qui de hac re non disputat, sed tantum nominat Superbum superioris Tarquinij filium, qui autor non est tam argutus, ut sibi uidetur, qui multa potius, quàm multum lectitauit, quem ego cum alibi, tum uero in dialecticis meis, tanquam falsò sententem reprehendi. Affers præterea pro te Eutropium, historicum quidem, sed gregarium, & qualiacunq; in Liuio reperit colligentem. Affers insuper Virgilium, hic ego hæreo, hic uictũ me fateor, ad huius nomẽ hiscere nõ audeo, iam do manus, iã causa cedo, & tecũ ius facere planè cõfiteor. Ait enim, uis & Tarquinios reges: qd' tu interpretaris de patre & filio Tarquinijs dici: elegãs profecto interpretatio. Quid affers uir eruditissime cur de patre & filio Virgilius sentiat, potius q̃ de patre & nepote? quanq̃ ipse de uno cino Tarquinio superiore, ut egregio rege, possum accipere dictũ in numero plurali, ut de alijs. Extulit hæc Decios Marios Magnos q; Camillos. Deniq; ut partis primæ finẽ faciã, mihi placet neminẽ uocari Priscũ, nisi nepotẽ ætate, huius q; rei attuli exẽpla: Tu nullius autoritate, sed tua peruicacia fretus, asseueras Priscũ etiã antea potuisse uocitari, nunquã nec uera, nec ueri similia loquens, ut nesciã, an unquã mihi uidear hominem magis audisse præposterũ. Habes Benedicte, cur Liuius non ueri similia loquatur, hoc est, cur tu nõ ueri similia defendas. Accipe cur non uera ex Dionysio Halycarnasseo, qui fuit Romæ eisdem, quibus Liuius, temporibus uiro doctissimo atque eloquentissimo, summæq; apud omnes autori

Historicorũ dissensio.

Aul. Gellius tacatur.

Priscus qui dicatur.

Dion. Halycarnasseus libertus. M. Terẽtij Varronis.

Digitized by Google

autoritatis, & si Libertus fuit M. Terentij Varronis, quem aiunt Romanorum fuisse eruditissimum, huius orationem è quarto Romanæ antiquitatis libro ad uerbum transferam.

Volo ante eorum quæ animaduerti rationem reddere, quam ob rem neque Fabio acceßi, neque historicis alijs, filios fuisse Tarquinij pueros ab eo relictos, ne qui illorum historias nacti me aberrare suspicentur, scribentem pueros eos non filios illius fuisse, sed nepotes. Omnino enim inconsiderate atque indiligenter prodidere, qui hanc de illis historiam conscripsere, non rimati res impoßibiles esse pariter atque inconstantes, quæ se ipsas euertunt. Quæ singula paucis ego plana facere conabor. Tarquinius è Tyrrhenia demigrat, compoßita omni re familiari, cum esset in optima ad sapiendum ætate. Siquidem administrandæ reipublicæ, & magistratibus gerendis, & muneribus ciuitatis obeundis idoneus fuisse traditur, & illinc ideo demigrasse, quòd nihil in ea urbe honoris adipiscceretur. Et alius quidam aliquis hunc saltem triginta natum annos constituerunt, cum à Tyrrhenia demigrauit, ab hac enim ætate leges ferè uocant eos, qui magistratus gerere uolunt, & rempublicam capessere. Ego uero quinque & solidis annis minorem constituo, & quinque ac uiginti natum annos eum facio illinc profectum, quem adhuc patre uiuente duxisse uxorem Tyrrhenidem uniuersi, qui Romanas conscripsere historias, confitentur. Commeat autẽ Romæ Anco Martio rege, ut Gellius quidem in historia tradit, primo illius regni anno. Vt uero Licinnius scribit octauo. Esto sanè ut hoc ipso anno, quo Licinnius scribit, non prius uenerit (nam certe posterius nõ aduenit.) Quòd si nono Anci imperij anno, ut ambo scriptores aiũt, præfectus equitũ bello Latino ab rege mittitur, nec minor natu quinque & uiginti annis Romã commeauit, & Anco regi circa octauum imperij annũ amicus exti

Anci regnum.

extitit, profecto decem & septem reliquos annos apud ipsum diuersatus est. Quatuor enim & uiginti annos regnauit Ancus, ipse uero (ut confitentur omnes) regnũ duodequadraginta annos tenuit. Ita octogenarius erat, cũ obijt. Ex supputatione nanq; hæc annorũ summa colligitur. Eius uxor quæ quinquẽnio minor erat, quemadmodum consequens est, quintum & septuagesimum accedebat annum sub exitum Tarquinij, quæ si minorem natu filiorum ultimum enixa est, quinquaginta annos nata, quippe post hoc tempus non concepit mulier, sed hic est ipse pariendi terminus, sicuti scribunt, qui ista indagauerunt. Non igitur erat hic quidẽ minor annis quinq; & uiginti sub obitum patris, Lucius uero maior natu, non minor septẽ & uiginti. Quo fit ut eos non reliquerit paruulos pater ex hac muliere genitos. Qui si in uirilem adoleuerant ætatem, dum pater oppetijt mortem, profecto neq; mater eorum ita fuisset infelix atq; uesana, ut quod imperiũ pater filijs reliquisset, id ipsa mater eriperet, & ex extero ancillaq; nato gratificaretur: neq; ipsi paterno imperio fraudati, iniuriam segniter, ac lente tulissent: idq; cum essent in ætatis robore, tum ad dicendum, tum ad agendum, neq; enim Tullius ut nobilitate eos antecellebat, utpote serua natus, aut ita multum differebat ætatis dignitate, sed tribus omnino annis altero maior natu erat, ut nõ fuerint huic regnum libenter illi cessuri. Habet autem & alias quasdã hoc negotium absurditates, quas ignorauerunt cuncti, qui res Romanas condidere, præter unum, cuius paulopost efferam nomen: nam constat post Tarquinij necem Tullium, quod cæpit regnum ad quatuor & quadraginta tenuisse annos, ut per id tempus maior Tarquiniorum, cum septem & uiginti annos natus regno fraudatus esset, septuaginta annis grandior fuerit, dum Tullium interemit. At eũ robustissima in ætate tũc fuisse scriptores tradidere, Inquiunt, è Senatu sustulisse Tullium, so-

Partus anni.

Tullius.

Digitized by Google

rasq; portantem è gradibus deturbasse: ipsius uero ex imperio deiectio uigesimoquinto post hæc anno extitit. Eoq; anno in expeditione agens aduersus Ardeates inducitur, omnia per se ipsum belli munia obijsse, quod ab ratione abest in bellis uersari, sex & nonaginta annos natũ. Quinetiam amisso imperio, etiam bella cum Romanis non minus quatuordecim annis gessisse, per sese negocia exequentẽ, ut aiunt, præter cõmunes est omnium opiniones, & tempus uitæ eius esse maius, centum & decem annis, quod spatium uitæ non ferunt loca nostratia. Has absurditates quidã Romanorum scriptorũ animaduertẽtes, conati sunt alijs absurditatibus soluere, negantes horũ puerorũ Tanaquilidem matrem, sed Geganeam quandam fuisse: de qua nullam accepimus historiam, & nihilominus immaturum foret rursus coniugium Tarquinij propè octogenarij. Et uiris tanto natu facultatem adesse gignendi fide caret, neq; uero orbus liberis erat, ut quomodo liberos concupiscceret, cui forent filiæ duæ eæq; uiris iam locatæ. Horum singula & impossibilia, & inconsiderata colligens, nego filios Tarquinij fuisse, sed nepotes, accedẽs Lucio Pisoni Frugi, qui in annalibus solus hoc memoriæ prodidit: nisi forte pueri erant, stirpe quidem nepotes, adoptione uero filij, quæ fuit causa erroris cæteris omnibus Romanarũ historiarũ scriptoribus. LAV. Hæc Dionysius Halycarnasseus, qui paulo ante, cuius hi filij fuerint tradit, inquiẽs de Tanaquillide, post necem Tarquinij. Erat autẽ ei iuuenis filius, nõ ita pridem defunctus, ex quo duo filij relicti erant paruuli, de quibus ita eandẽ loquentẽ, apud Seruium Dionysius facit. Tarquinius rex Tulli apud quẽ educatus es, atq; eruditus, & ex omnibus amicis atq; cognatis maximo in honore habitus, nobis ille quidẽ indigna passus fato suo functus est, nullis rebus neq; priuatis dispositis, neq; cõmunibus ac publicis delegatis, qui nec salutare quempiam nostrum, & alloqui extremis

Pisonem sequitur.

mandatis potuit, hi autem pueri desolati, & pupilli infelicis relicti sunt, non minimum uitæ discrimen adeuntes, & cũ multa dixisset, in fine orationis inquit, Debes autem Tulli educatus à nobis, & eruditus, & omnibus bonis impertitus, quæcunq; filij à parentibus accipiunt, & nostra filia in matrimonium ducta, etiam si rex Romanorum, me quoq; tibi in hoc annitente, paternam his pueris beneuolentiam exhibere, & cum in uirilẽ adoleuerint ætatem, & idonei ad rempublicam administrandã extiterint, eorum maiori natu imperium Romanorum reddere. Hæc loquens & utrunq; puerorum in ulnas generi, ac filiæ porrigens, ingentem ex ambobus exciuit lamentationem. Aliquantoq; post autor, idem facit Tullium orantẽ ad populum, tanquam tutorem puerorum, & penè sola illorum miseratione, ad parendum ei populum fuisse inductum. Quæ quoniam erant longiora, missa feci, satis hæc sperans abundeq; sufficere, ut constaret Liuium, ut non ueriſimilia, ita nec uera dixisse, meq; cum merito, etsi uerecunde id feci, notare potuisse. Quod si quis me, qui multa, quæ apud Dionysium sunt, quasi diuinaui, putat legisse tunc istum autorem, cum illud opusculum cõdidi: is erit qui neque me diu cognitum habet, neque illos aduersarios, qui post editum illud opus quod supra iam decem annos, iam læsisse famam Liuij Benedictus ait, obijciebãt mihi, non nisi tinctum me Græcis literis esse: neque locum ubi illud composui, id est, Neapolim, qua in urbe Dionysij Halycarnassei historiæ nomen nostro seculo ne auditum quidem unquã fuisse arbitror, quanquam siquis animaduertat ipsum meum libellum, intelliget planè conditum ab homine esse, qui Dionysium non legerat: nam alioqui, cur non eius, ad sententiam meã confirmandam, feciſſem mentionem? An ita demens essem, ut si eum autorem compilassem, crederem furta mea celatum iri potius, quàm cũ meo dedecore deprehensus? siquis ita non credit,

iuro

iuro me hunc autorẽ sex amplius annos, ab editione illius opu sculi nunquã in hac parte legisse, neq; ab alijs quippiã de hoc loco audisse, & meo solius ingenio fretum ea disputasse. Intelli gis nũc Benedicte, id quod crimini das mihi quanta sit laude di gnum, quod admirabilius est, quàm ut credi possit. Quare non expectes ut dicã me ex hac pugna discedere uictorẽ: non est, ut de uictoria tui glorier: nõ est, ut me mediocribus iam uiris com parem: nõ est, ut magnis autoribus, aut ipsi Liuio cedam: iuuat me, quasi poëtico inflatũ spiritu, cum Horatio dicere: Sume Su perbiam quæsitam meritis, & mihi Delphica lauro cinge uolẽs Melpomene comam. Non sum, nõ sum Benedicte in hac parte Liuio minor, etiã si rumparis uerũ dico, nõ sum in hac parte Liuio minor, nec minoris ingenij minorisq; iudicij. Rumpere inuidia, non sum inferior historicis omnibus, quos hoc non de= prehendisse Dionysius ait, non ipso deniq; Dionysio, qui non ullius, ut ille adminiculo adiutus meis pedibus cursum istius, qui equo uehebatur æquaui, & tu non tabellio sed tabellarie, ob rem penè miraculo dignã accusas apud summũ magistratũ, & actionem capitis intendis, & me abs te uictũ damnatum q; etiam carmine gloriaris, ut ex epistola constat, quam ad prælu strem uirũ superioribus diebus Iacobũ Gratum Bononiensium legatum dedisti, dolens, quòd tam ille de me bene sentiret, atq; loqueretur: iussistiq;, ut mihi eam ostenderet in hæc uerba:

Si tibi damnatum gliscit dementia Vallam
Tutari, quid falsa refers conuicia? solue
Argumenta tuum quæ concussere magistrum:
Si ratione potes nulla est defensio causæ. & reliqua.

Hæc quanquam barbara metra, tamen quia Bononiæ facta mul tisq; ostensa, & huc ad tantum uirum missa, ita me irritarunt, ut uiris egregijs, & inter primos doctis Antonio Tridento, & Valerio Bononiensi communibus amicis, admodũ succenserem: quòd

Valla se Li uio æquat.

quòd tam diu totiesq; promissum accusationis tuæ exēplar, non repræsentarent. Itaq; adij hominem penes quē dicebant illum codicem esse. Quo impetrato duas refutando ei lucubratiuncu las impendi: neq; enim ad te conuincendum maiori temporis spatio opus fuit. Vigilaui itaq; in te puniendo binoctium: cum antea securus in utranq; aurem dormirem, & credere te rem ipsam, defuncto Nicolao Pontifice, pro derelicta habiturum. Excitasti igitur leonem canicula dormientem, ut in te sæuiret. An tibi ego non uideor leo? certe tu mihi uideris tanquā leoni canicula: si canicula iam appellanda est, quæ ita leoninis dētibus unguibusq; lacerata est, ut uix in ea iam canis figura, aut animalis appareat. Exigebas à me canicula iam pœnam capitis, quòd famosum libellum in mortuum scripseram, si ille famosus libellus est: en in te uiuum uel magis famosum libellum scribo, nec tu tamen posthac audebis, & si te iuris peritum ostentas mecum agere iniuriarū, & mentionem facere famosi libelli.

Leo Valla Castel Benedi.

FINIS.

LAVRENTII VALLENSIS IN BENEDICTVM MORANdum confutatio altera ad Bauerium medicum.

LECTA, quam uix perlegere potui, Benedicti Morandi altera inuectiua, quam ille relucitationem uocat, in qua seipsum impudētia, ac temeritate uicit, nō minus stomachi, quàm ex superiore contraxi: quòd homo tanquam ipse nihil habens negocij, toties mihi negocium faceſsit. Cui si respondeam, tot uerbis blacteranti, & ut uerbosissimo, ita perplexissimo atq; intricatissimo, & ut mihi uidetur nunquam finem blacte

Digitized by Google

blacterandi facturo, nimirum non paucis uerbis, sed grandibus uoluminibus agendum est, quæ non legant homines, sed deridеant, uelut de lana caprina cõcertationem: unde ego mẽtienti Benedicto similis uidear. Rursus nisi respondeam, tanquam deliranti, uereor ne qui meam diffidentiam causæ interpretẽtur, & hic apud suos, ut iam facit, uictorem agat, quasi me in hac colluctatione prostrauerit. Quid igitur agam? quid consilij in eam? nisi ut mediam quandam teneam uiam, paucisq; ostendam, eum indignum esse, cui à me pluribus respondeatur, & quem directò in eum sermone compellem, medicumq; aliquem aduocem (si modo alia medicina, quàm mors, sanare uecordiam potest) qui huic curationes adhibeat (Debent enim boni uiri etiã aduersarijs bene consultũ uelle) eumq; ad sanitatem, si unquam sanus hic fuit, reducat. Qui falsa pro ueris, uera pro falsis, incredibilia pro certis, certa pro incredibilibus, stulta pro grauibus, grauia pro stultis, praua pro rectis, recta pro prauis, parua pro magnis, magna pro paruis, deniq; mala pro bonis, bona pro malis habet. Ad quem morbum curandum te potissimum Baueri delegi: uel quia medicorũ nulli secundus es, uel quia concius illius. Itaq; accipio ea, quæ dixi pauca, tanquam capita errorum eius, ac uecordiæ signa, seu malumus dicere cerebrositatis. Quia ego negaui Tarquiniũ Superbum Prisci filiũ esse, sed nepotem, id quod etiam tradunt, cum alij, tum uero Piso frugi, Dionysius Halicarnasseus, Lucius Florus historici præstantissimi: ob id me Morandus homo moderatus supplicio dignum statuit, & apud summũ pontificem capitis arcessit, quia Titus Liuius fuisse filium tradit, & nisi me ille, Christianæ religionis caput, capitis damnauerit, metũ ei ostendit: minaturq; fore, ut à Tito Liuio apud inferos in Elysijs campis incusetur, tanquam illuc peruẽturus: & cũ propterea à me increpetur, ait se in hac re perstiturũ fuisse, si ille adhuc summus põtifex uiuеret,

Tarquinius nõ est Prisci filius, sed nepos.

ret, quasi hic qui nunc est, non sit longe illo in iure, et ciuili & pontificio peritior. Quia nisi hominem, qui non semel Titum Liuium Romanæ historiæ appellaret notarium, & idcirco detensionem illius ad se arbitraretur iure optimo pertinere, qui notarius foret, ait me dignitatem tabellionum, notariorumq; læsisse, & ob id illorum in me conatur inuidiam cõflare. Quia eum notarium maleficiorum, quàm historiarum peritiorẽ dixi, de Tarquinijs opinantem, contumeliosissimum me uocat, cum ipse totus in me contumelijs scateat. Quia Dionysium Halicarnensem confutare ratione non potest, putat eum ex hoc iri confutatum, quòd Græcus sit, quasi Græcum esse sit loco opprobrij ponendum, Homerumq;, Plato, Aristoteles, Demosthenes pro nihilo habendi: & seruus fuerit, quasi non & Aesopus, & Diogenes, & Plato serui fuerint. Hæc enim illius sunt uerba. BEN. Neq; uero uerisimilius adhibẽda fides homini liberto q̃ libero. Siquidem liberales artes, ex quibus historia nõ eximitur, à liberis, non à libertis hominibus dicuntur, quæ cum proprie sint liberorum, probabilius est de his liberos, quàm libertos transigere. LAV. Ergo Morandus melius historiam scribet, aut de liberalibus artibus loquetur, quàm Dionysius, quem hic pro Libertino libertum uocat, quasi Libertini, siue liberti liberi non sint. Hic cum nihil tribuendum Dionysio putet, at quanto autoritate tamen Guarino Veronensi repugnari nephas putat, erudito illi quidem uiro: sed quia uiuus est, nondum inter diuos reponendo: & nequaquam ad maiestatem Dionysij aspiranti, q̃ in quadã oratione mẽtionẽ Tarquinij Superbi facit tanquam Prisco geniti, quasi debuerit illic Guarinus à recepta, & trita opinione dissentire, quem reor, & si Græcarum literarum peritissimus est, tamen nondum eo tempore legisse illud Dionysij opus, quod etiam paucissimi Græcorum legerunt. I nunc & dic me tũc illud opus legisse, cum eum libellum com-

Dionysius Libertinus

posui

posui, de quo nũc controuersia est: quæ res cũ ex alijs multis, tum uero ex quibusdam à Dionysij probatione dissentientibus cum constet, quia in causa coniecturali omnem, ut aiunt, lapidẽ mouebam, tamen hic mentiri me ait: & quoniam iusiurandum interponebam, peierare: quasi omnes, sicuti ipse, deum non timeant: & nullum sit ratum, nisi per Stygiam paludẽ iusiurandum: & Orcus apud Græcos (quos tamen iste contemnit) iusiurãdum dicatur & Pluton, seu sedes inferna, ut nisi per Plutonem & infernam sedem iurare non liceat, ad quam se iturum, & ubi Liuius agit ad Elysios campos, & amœna piorum cõcilia, ut uere sit Benedictus & optat & sperat. Sed caueat moneo, ne illic à Dionysio, uel accusetur, uel Scutica uerberetur: qui barbarus Græcos quales sunt inferi iudices, contempserit. Cuius Dionysij probationem, quia me dixi tanquam fulmen incum torquere, ipse uelut Laurentiana simia ait se fulmen Tullianum in me contorquere, quod Cicero in Bruto meminit Prisci Tarquinij: tanquam aui Tarquinij Superbi, quasi non dicat Dionysius posse putari superiorem Tarquinium patrẽ posterioris, quia hunc nepotem adoptauit: & quasi non idem Terentium Varronem patronum suum nõ multo deteriorem Marco Tullio, & in notitia uetustatis longe peritiorem notauerit: nedum Ciceronem: & quasi non maioris sit in historia autoritatis Liuius quàm Cicero. Vt taceam nonnunquam Ciceronem in historiarum, ac fabularum cognitione non satis fuisse approbatum. Idem ut me impugnet, negat, Lucium Tarquinium, qui postea Superbus est appellatus maiorem natu fuisse Arunte, quod cum omnes historici ueteres, tum ipse Liuius ait: quod iste cæcus non uidet se improbare Liuium, quem aduersus me defendere, & cuius uicem dolere uideri uult. Non ne hæc uecordiæ, atque cerebrositatis signa sunt maxima? id euidentius ex ipso confutationis genere licet intelligas, ut

gas, ut eius principia quædã attingam. Ait autem. BEN. Duo-
Thesis seu po- decim positiones affers, quas summatim duxi refellẽdas. Et pri-
sitio prima. mum mihi refers, quòd ego ueriſimilius affirmem Tarquinium Priſcum filijs extantibus ſibi duobus ex uxore: deſtinaſſe gene ro potius ſerua nato regnum per manus tradere, quàm filijs. Hic niſi fuiſſem tecũ agere ſiue iniuria pollicitus, exclamaßem te Laurenti peruerſorem: nam id minime dixi: quinimò Priſcum poſt acceptum uulnus uerbum negaui protuliſſe, quem ſi loqui potuiſſet, filios hæredes dimiſſurum fuiſſe rebar. Idcirco falſas intuli rationes tuas eſſe, quòd affirmares ei non fuiſſe liberos dum moreretur. LAV. Quam paucis in uerbis quot deliramẽ ta? primum quid ad rem attinet dicere, ſe negaſſe Tarquinium poſt acceptũ uulnus uerba protuliſſe? nõ magis quàm negaſſe eundẽ dormire, aut comedere, uel bibere potuiſſe. Taceo quòd ait, Rebar dimiſſurum filios hæredes, quaſi ipſe tũc fuerit cum nondum Tarquinius uulnus accepiſſet. Taceo uerborum quoq; abſurditatem: dimittere filios hæredes, et filijs extantibus. De- inde cur arbitratum illum filios hæredes fuiſſe facturum: quem Liuius ſcribat, fuiſſe facturum ut uidebatur occiſo Seruio hære dem regni quemcunq; alium generum delegiſſe. Poſtremo cum hoc ego negem ueriſimile eſſe, quod Liuius ait, idemq; hoc ipſe Liuij patronus ueriſimile dicat, quæ tandem Veſania eſt excla- mare me peruerſorem, qui dixerim id ab eo dici: quod ab ipſo Liuio dicitur. An eſt aliud, deſtinare regnum tradere cuipiam, quàm eſſe facturum quempiam regni hæredem? Vter ergo no- ſtrum eſt, ego ne uerborũ peruerſor, an ipſe mente peruerſus?
Secunda. Venit ad alteram, ut ipſe appellat, poſitionem meam, inquiens, BEN. Vnde pari iure tua ſecũda ratio uelut inanis eſt ſublata, dum negas, extincto Seruio Priſcum alium ſibi generum fuiſſe aſciturum, cui regnũ relinqueret. Hic, ut uideo, ſurdo narratur fabula: nam de Priſci uolũtate negaui compertũ aliquid haberi:

licet

licet Anci filij ſuſpicarentur id fore, quod tamen facturum inſi-
ciabar Priſcum quia non relinquitur futurum neceſſario, quod
alius quiſpiam putauerit. Quam ob rem ſi mentem Liuij pari
iudicas ratione, uehementer erras. Non ſignauit hunc in Topi-
cis locum Cicero, non Boëtius, non Ariſtoteles, ut ſi dixerit
hiſtoricum quenquam imaginari fore aliquid, neceſſario ſit ea-
dem ſcribentis opinio. Non'ne legiſti, quot capita, tot ſentẽtiæ?
LAV. Non'ne hoc ſummæ Veſaniæ ſummum argumentũ eſt,
ut obijcias alteri peruerſitatem, ipſe peruerſor? Quæ enim ma-
ior peruerſitas eſt, quàm cum dicat Liuius quòd Priſcus uideba
tur facturus occiſo Seruio quemcunq; alium generum, quẽ dele
gißet hæredem regni: negare hoc uſum alijs, niſi ſoli Anci fi-
lijs. Hoc uerba Liuij non dicunt, hoc ſermo publicus nõ ſentit,
ut ſi dicam ideo Cæſar interfectus, quia uidebatur ſe regem fa
cturus: non id dico, quod ſolis interfectoribus uidebatur, ſed qđ
omnibus. Ita nunc Priſcus omnibus uidebatur facturus generũ
regni hæredem: nam cur id ſolis filijs Anci, quod nullis alijs ui
debatur fore? an ita demẽtes erant? hoc nemo tradit: imò quã-
tum uideo ex eorum conſilio, prudentißimi fuerunt: quibus niſi
uaframentum mulieris obſtitißet, regnum paternum recupe-
raſſent. Ergo demẽs Liuius fuit, qui facit hoc uſum eſſe illius?
Minime: quia & illis, & omnibus Priſcus uidebatur Seruio, uel
cuicunq; alteri genero regnum relicturus, ob id uidelicet: quia
filios non habebat. Nec uero relicturus generum regem, ſed
regni adminiſtratorem, ſub fidutiaria tutela nepotum infan-
tium Lucij & Aruntis: itaq; per hanc fidutiariam tutelam, &
adminiſtrationem ſucceſſor regni atq; regnator erat futurus
Seruius, id quod maxime dolebat filijs Anci. Ergo non ueriſi-
militer dixit Liuius ſi filios habebat Priſcum fuiſſe facturum
non filios hæredes regni, ſed ſerua natum, aut quẽcunq; alium
generum: id eſt, deſtinaſſe huic potius, quàm filijs regnum per

manus

Digitized by Google

manus tradere. Annon hoc mi Baueri ualidiſſimũ argumentũ eſt? & Ciceroni, Boëtioq;, & Ariſtoteli cõprobandũ? Melius argumẽtũ eius, Morione dignũ, quot capita tot ſentẽtiæ: quaſi rationis locũ obtineat, id quod alicui capitoſo, cerebroſoq; uideatur: aut fuerit hiſtoricæ grauitatis, atq; prudentiæ, eam opinionem, ſiue ut hic Ciceronianus noſter ait, eam imaginationem attribuere filijs Anci regis, quæ abſurda, quæ capitoſa, quæ incredibilis fŏret. Hoc autem & opinari & dicere. Morandi ſeu Morionis eſt. Sed ne plura repetantur, ueniamus ad
Tertia. tertiam, ubi ait. BEN. Tertio mihi das uitio, quòd eſſe affirmauerim credibilius Tarquinio & Tanaquil cariorem generum unum quàm duos filios. Non queo me Laurenti continere toties prouocatus tuis in me confictis mendacijs. Extat enim libellus meus apud te, ſicut ais, cuius exemplaria plura ſunt ſcripta. Vnde commentum hoc tuum liquere poteſt. Imò dixi futuros cariores filios quàm generum, atq; dimiſſurũ fuiſſe Priſcum illos hæredes, ſi teſtari potuiſſet. Et quidem uehementius me agitant iſta tua mendacia, quàm contumeliæ qui riſu totus effundor. Verum indignitate moueor cum hæc offendo tua de me commenta. LAV. Siqua fides mi Baueri, uereor, ne tua ars par non ſit huius Langori atq; morbo, ea loquentis, quæ non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes. Ait futuros cariores Priſco filios quàm generum. Si futuri cariores, ergo nõ erant. At fuiſſent ſi teſtari ille potuiſſet. Stultæ propoſitionis ſtultior ratio: quaſi facultas, poteſtasq; teſtãdi faciat patri filios caros, non quia filios quis inſtituit hæredes, ideo caros habet, ideo hæredes inſtituit. Non potuit cum uulnus accepit inſtituere hæredes? quin antea inſtituerat? certe quia caros non habuit. Hoc naturæ repugnans eſt. Ergo dicendum, quòd nullos filios habebat. Eſt ne hoc mendacia dicere? eſt hoc confingere? Hæccine erunt commenta? & quæ moueant homini indignationem

tionem, & ut ipse barbare ait indignitatem? atq; etiam addit.
BENED. Eodem item in loco inquis, cum ego agam de utri- Indignatio aliud quã indignitas.
usq; parentis uoluntate, atq; proposito hæredis instituendi, tu de præsenti necessitate Tanaquilidis loqueris. Existimabam me ad hominem Liuio nec minorem ingenio, nec minorem iudicio, qualem te ipsum prædicas, habere sermonem: qui cum dixissem de paterna uoluntate non esse cautum, quia uulnere accepto loqui non potuit, neq; quenq; salutare, sicut Dionysius asseuerat tuus, neq; antea constitisset de matris mente, nisi cum necessitas coëgit, affirmaui Seruio Tanaquil regnum cessisse necessario: quod alioqui filijs seruaturã esse nõ ambigebam. LAV. Taceo stulta ironia usum, quòd putarit me Liuio maiorem: taceo stulte etiam dixisse, se affirmasse, quod affirmare non attinebat, cum id ex historia, non ex ipsius autoritate constet. Taceo stulte dixisse cautum de paterna uoluntate. Nam quid sibi uult hæc oratio? nisi sentit cautum pro compertum accipiendum esse, in his uerbis mi Baueri nisi tibi hic mente captus uidetur, quominus ipse tibi talis uidear non recuso. Iam nunc eleborum præpara, quo aut me purges ut insanientem, aut Morandum. Ego negaui Tanaquilidem si mater Lucij & Aruntis erat, passuram fuisse, ut duobus filijs maritus anteferret generum, uel serua natum, uel alium quemcunq;. Iste respondet non constitisse de matris mente: quasi uocari in dubium queat, facile passura fuerit hoc Tanaquil nec ne: non constabat de mente matris. Id apud moriones insanos que non constat, sed apud homines rationis compotes, simul ac constiterit fuisse Tanaquilidem matrem, & de illius in filios pietate constabit. Quod etiam hic instantißime confitetur, cum inquit, quod alioqui filijs seruaturam esse non ambigebam. Si seruatura erat, cur ita filios tractat? ut credat ad homines alienos regnum eius

non

non ad filios peruenturum. Plurima in hominis ſtultitiam dici poſſent, ſed eum plurimis confutare propemodum ſtulti eſt. Ideoq; tantum quartam eius poſitionem addam dicentis. BEN.

Quarta. Quarta ſimiliter ratio tua de me falſa mẽtitur, quòd ponã ſperaſſe Priſcum & Tanaquil Seruio Romanum populum obſequentiorem fore, quàm proprijs liberis, etſi teſtamentum facere potuiſſet Tarquinius, Seruium potius reliquiſſet hæredem, quàm ei fidutiariam regni tutelam commiſiſſet. In quo, quàm manifeſte delires, audi uerba mea, quæ apud te in depulſione mea priore comperies. De patre autem ſecus exiſtimandum, qui ſi poſt acceptum uulnus aut teſtari aut fari potuiſſet: quippe affirmauerim dimiſſurum filios hæredes fuiſſe ſub tutore Seruio: niſi forte timuiſſet fraudem, quam præſtitiſſet ipſe relictus tutor filiorum regis Anci. Hic licet uidere, quot uelis ſubterfugere figmentis, quamq; boni uiri de te mihi fidem minuiſti. LAV. Eſt mi Baueri (ut tu optime noſti) genus hominum ſtultiſsimum, & idem malitioſiſsimum, id eſt, quod ob mentis peruerſitatem maxime cupiat fallere, ſed propter inopiam conſilij minime poſſit. Talis eſt Morandus, qui & fallere ault iudicem, mihi ſuum uitium tribuens, & tamen ab ipſo honeſte, ut falſus deprehenderetur. Ita enim loquitur quaſi ipſum ego impugnare inceperim, non ipſe me. Ego contra Liuium loquens aliquot argumentis colligebam, non eſſe credibile Priſcum potius generum, quàm liberos hæredes ſuiſſe facturum. Quam argumentationem deinde, cum huic Liuiano patrono reſpondebam, contraxi, & item eius defenſionem his uerbis. BEN. Mihi uidentur ijdem parentes ſperaſſe Populum Romanum obſequentiorem fore regijs liberis, quàm regio liberto, & ſi teſtamentum facere potuiſſet Tarquinius potius fidutiariam regni tutelam genero commiſſurus, quàm hæredẽ eũ facturus. Tibi nõ uidetur nec Tarquinius daturus

turus tutorem filijs Seruium, ne fraudaret illos regno, ut ipse fraudarat filios Anci, nec Tanaquil ablatura regnum Seruio, quod ei flamma, quæ circa pueri caput arserat, portendisset. Omnia contra naturam loqueris, ut taceam, quòd gener erat Seruius & libertus Tarquinij, quod ipse Tarquinius nõ fuisset Anco: certè timor malæ tutelæ, & ostentum futuri regni: magis causam attulisset occidendi Seruij, quàm hæredis relinquendi. Sed cum esset opus tutore pupillis, nullus magis idoneus, quàm gener uidebatur: & flamma, quæ in capite fulxerat, auxilium, non excidium Tarquinianæ domui portendebat. LAV. Ex his uerbis nónne quod ego in Liuio nego esse credibile, id iste credibile ait esse? Priscum ac Tanaquillidem speraſſe populum Romanum obsequentiorem fore regio liberto, quippe quẽ facere regni successorem destinauerãt, quàm filijs. Et cum hæc ita sint, tamen me falsum, mendacem, delirum, fictorem subterfugientem, & immentiendo impudentem appellat, quasi ipse, ne quid aliud dicam, nihil subterfugiat, qui contra tot, ne dicam quales meas rationes, nihil aliud respondet: nisi se non ita dixisse: stolidißimus tergiuersator, improbißimusq; dißimulator, qui uulnera sua mauult occulere, quàm fãteri, in rebus necessarijs mutus, in nugatorijs loquacißimus. Cuius nisi cætera stultiora sunt, quàm ista, quæ protuli, non abnuo quin hæc pro sapientißimis habeantur. Huic ego pluribus respondeam, & eius singula quæq; deliramenta confutem, aut rerum aut uerborum? Nam ut aliquid tantum de uerbis dicam, ait: In quo quàm manifeste delires audi uerba mea, cũ dicere debuerit, in quo quàm manifeste delires, intelliges è uerbis meis. Item præstare fraudẽ, eodem modo dixit quo præstare quis bonam rem dicitur. Item si aut testari, aut fãri potuisset, quorum alterum superuacaneum est. Quippè etiam barbarißime posuit. Hic itaq; ineruditus, & à me uictus atq; exossatus, tandem cum alibi, tum in calce libri sui de me, tanquàm uicto insolentißime

gloriatur. Et quia eum mihi quasi leoni latrantem caniculam di-
Benedicti conclusio. xi, hoc suam inuectiuã fine concluſit. BEN. Et in quãcunq; dor
miturus aurẽ, te posthac uertes tuo magis infortunio, quàm meo
dedecori, uelut cœlestem tibi canem improspera, & infelicia tibi
portendentem me caniculam compellabis. LAV. Non intelli-
gens: quid enim male sanus intelligat? canem seu caniculam cœle-
stem in ore leonis esse, nec si cupiat, illinc se eximere posse, id est
sese in ore Laurentiano uelit nolit & esse & semper fore.

FINIS.

LAVRENTII VAL-
LAE IN BARPTOLEMAEVM
Facium Ligurem, inuectiuarum seu recrimi-
nationum Liber Primus.

Aenei. xj.

VANE Ligur, fruſtráq; animis elate ſuperbis,
Nequicquàm patrias tentaſti lubricus artes,
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Vergilianis te uersibus ideo compellare uolui,
quòd te Ligurem, me Romanũ profeſſus, no-
mine iſto Liguſtico mihi inſultaſti: & quaſi te iuuet cũ Romano
pugnare, nulla prorsus à me laceſsitus iniuria, bellũ intuliſti: uir
litigioſus ſemper & durus, ac certaminis ubiq;, quàm pacis amã-
tior. Vtq; antehac in alios, ita nũc in me inuectus es: caſſas quaſ-
dam & inanes irarum cauſas fingens, quo fulgorem meum ob-
teras, quo uiã tibi ad lucra munias: quo deniq; aliquid gloriolæ
compares: more ueterum aduleſcentum in cauſis forenſibus au-
ſpicãdis. Qui ut ſe diſertos, ut probos, ut reipub. ſtudioſos oſten
derent, claros uiros in iudicium uocabant criminibus reſponſu-
ros. Quo deterior mihi certaminis huius conditio proponitur:
quòd colluctandũ habeo cum aduleſcente, non annis aduleſcente,
ſed ſen-

Digitized by Google

sed sensu, sed usu, sed temeritate: & qui cum victus erit (quemadmodum est apud Ouidium) mecũ certasse feretur, ut maior gloria secutura sit eum victum, quàm me victorem.

Turpe quidẽ contendere erit, sed cedere uisum Turpius, ut idẽ inquit. Vtcũq; tamen etsi parem semper bello præoptaui: cuius rei fides est: quòd scriptis meorũ temporum læsi neminem, facile patior me ad pugnã esse prouocatum: nam (ne ab eiusdẽ gentis mentione discedam) ut ligur hostis natus erat ad cõtinendam Romanis militarẽ disciplinam (sicut à Liuio scriptũ est) nec alia prouincia militẽ Romanum magis ad uirtutẽ acuebat: ita Ligur iste mihi materia & cõtinendæ oratoriæ disciplinæ, & acuendæ uirtutis erit: quãquam Ligures hunc nõ agnoscunt: etsi ex uiculo non ex urbe est, sed ad Scythas ortũ ipsius referunt: ut illud Ciceronis in eum aptissime cadat: Quorum hominũ esset nescire- Facij origo & opificium.
mus, nisi se Ligurẽ esse diceret. Nam pater Scythes esse fertur, necnõ (ut Græco uerbo utar) Scyreus, id est, sutor: Piscatoribus, è quorũ corpore ipse est, calceos faciens: à quo præ inopia uix puer hic, ueluti mancipiũ, ut parens mancipiũ fuerat, Spinolæ familiæ traditus est. Quod absit ut exprobrandæ fortunæ causa dicam. Dico causa notandæ insolentiæ, qui nõ intelligit quanto deformius sit huiusmodi hominẽ superbum esse atq; petulantem. Secũdas fortunas (ut ait Plautus) decent superbiæ. Nam illud minus deforme ipsius generi est, ꝙ furto, ꝙ proditione, ꝙ scelere aggressus, bellũ non indixit mihi, sed intulit: nullaq; humanitatis ac amicitiæ ratione habita, prouinciã meã, consuetis sibi latrocinijs, infestat. Ex quo victo captoq;, & si triumphũ nõ merebor, tamẽ importunũ magis, quàm insignẽ latronẽ, atq; piratã coërcuisse, tum iucundũ, tũ utile erit. Qui nisi me post alios inuasisset, profecto non tantũ mihi sumo, ut cæterorũ quoq; uicem ultus fuerim. Nunc illorum pariter, ac meas ulciscar iniurias: ultimo quidem, sed grauissime omniũ lacessitus, ut omnis belli huius

Digitized by Google

inuidia penes eum sit, qui prouocauit: si prouocasse dici potest, qui non suo magis cõsilio ad hoc descenderit, quàm alterius iussu atq; persuasu. Neq; enim debeo sic læsus irasci, ut grauiorẽ uideri uelim plagam, ac uulnus quod accepi. Sua ille quidem sponte ad me lædendum inductus est, & fatuo consilio. Quid mi cum nõnunquàm pro Facio Fatuus uocetur? sed ab inimico meo Antonio Panhormita, qui se ex Bononia appellat. Licet quidam ex Bona, id est, ex Hippona Africæ oppido oriundum dicant, impulsus, præcipitatus, incensus, & ex fatuo planè insanus, furiosusq; factus, qualis ipse magister est. Cuius (ut cæteros mores impræsentiarum omittam, de quibus postea dicam) ea natura est ut Romæ, Alfinus quidam, imprimis solers medicus, ei, nescio quid consulenti dixerit, si Faber Ferrarius fuisses, furiosus eras futurus. Multi hoc de ipso referente audierunt, non solum ego. Neq; à Medicorum iudicio uulgaris dissentit opinio, ac sermo: negoq; usquam gentium esse quempiam qui hominem norit, nisi uel consuetudine, uel morum similitudine isti coniunctum, qui non idem & sentiat, & loquatur. Nam quod ad uitam attinet, pleriq; mirantur, cur non hunc aut deus olim ad inferos detruserit, aut homines ueluti omnis memoriæ teterrimum monstrum, uel in ultimas terras deportauerint, uel noua aliqua morte mulctauerint. Peream, si cuiquam illud Plautinum de milite glorioso magis cõuenit: Eũ odere, tam uiri, quàm mulieres. Nefandissime Panhormita multum te, multum decepit opinio, qui fatuo histrione speraßi in me agere tragœdiam, qui te lanista, me ac Fatuum in harena, ut par gladiatorum dimicaturos, tibi promisisti, cum uoluptate summa cum aliorum quorundam, tum præcipue tua. Dedisti fuscinam tuo Mirmillonι, dedisti harenaria Fatuo arma, instruxisti furiosum telis, ut me in theatro quiescentem inermemq; inuaderet. Non abnuo pugnam, ne fugere uidear, certabo equidem quando ita uis, sed te uicissim de spectaculis detraham, & in

Facius, Facetus, Fatuus. Panhormi mores.

Alfinus.

medio

medio consistere compellam, non prius dimissurus, quàm utrũq; petendam ad ueniam male multatos adegero, ac circũ ora confessus mihi plaudentis uos deridentis atq; exibilantis uictos, uinctosq; traduxero. At ne diutius legentes expectatione suspendã, ac differam, quàm atrox ista iniuria sit aperire, ad rem ueniam. Sed quo liquidius ijs, qui inter nos iudicaturi sunt, ius & iniuria patescat, repetam altius, illud affirmare ausus, cum me Barptolemæus & prior & atrociss:me læsisset, non modo nihil in eum à me irato, uel factum uel dictum esse, cuius ultionem ille expetere deberet, sed etiam si id esset quod ab eo prætenditur, neq; à me potuisse leuius offendi amicum, cum iam hic esset inimicus, neq; à se grauius lædi inimicum cum adhuc essem ei amicus, quantum in ipso fuit, quàm me læsit, si tamen Fatuus lædere, & furiosus iniuriam facere potest. Qui nisi illam ipsam, quàm sui ulciscendi causam allegat, falsam dissimulare nescit: palamq; ostendit inuidiam mei, & Panhormitæ persuasionem fuisse non recuso, quo minus animum lædendi, non habuisse uideatur, quod solum Fatuus ac furiosus potest. Itaq; non tam alieno, quàm suo ipsius testimonio iugulandus est. Hic igitur grauis, atq; moderatus uir, ante paucos admodum menses, quàm historias regis, ab illo iam aliquoties epistolis iussus, inciperem: exegit à me ut historias suas, quas Genuæ inchoauerat de bellis Genuensium cum Venetis (nam quæ scripserat de bellis Genuensium cum Catalanis suppressit) perlegerem, annotaremq; si quid displiceret. Ostendisse enim se illas nonnullis, quorum nemo ultra primas sanè paginas euoluisset, pigritia (ut ipse dicebat) lectitandi. Ego, ut qui nunquam in huiusmodi genere fui fastidiosus, acceptos ab isto libros perlegi, idq; eodem biduo, cum plus quinq; milium uersuũ esset: neq; hos modo, sed etiam inuectiuam aduersus nescio quem Genuensem contumelijs, ac cõuicijs plenam: quòd diceret sibi ab illo obiectum in quadam epistola, quòd esset ingratissimus, & totus

Digitized by Google

ex inuidia factus, & dignus suo genere, suisq; maioribus. Cuius inuectiuæ, quid alia uitia dicam, cum uersum quendam triuialem, cuius nunc non memini, & partem alterius, quæ uerba sunt astrologi Ptolemæi, Sapiens dominabitur astris, uellet esse Vergilij. ut mihi, qui ex ineptijs familiarium molestiam contrahere soleo, risus excusserit. Huius rei cum cæteri, qui legerũt, testes sunt, tum ipsa oratio: nam eam (ut audio) emisit, ubi uersus isti aut falso autore, aut nullo nominato reperientur. Sed redeo ad historiam, in qua quid attinet enumerare, quot ego mendas emendarim, amice tamen & molliter, cum meo consilio illam, & correxerit, & nondum emittere sit ausus: recte utrũq; nec enim sua laude fraudabo. Correxit quidem duabus orationibus, quæ totidem principibus in eandem penè sententiam tribuebantur, in unam coërctatis, non est autem ausus emittere, quòd cum in describendis prælijs, neq; tempus, neq; locum, nec modum compertum habens, ac ne bellorum quidem causas, atq; origines omnia ex se plus quàm poëtica licentia excogitasset, etiam atq; etiam à me admonitus est, ne cõmitteret, ut scriptores rerum Venetarũ, non modo se refellerent, uerum etiam deriderent. Quanquam sunt qui affirment nõ antea emissurum, quàm historiam bellorũ quæ Genuenses cum Catalanis gesserunt, emittere liberum erit.

Cataloniæ rex

En qui historias regis Cataloniæ scribendas suscipere audeat. Illud uerò ut se retractaturũ promitteret, impetrare non potui, licet ab eo uehementer contenderem: nam citius isti uitam, quàm maledicentiam dempseris, ne in Venetos tanta uerborum petulantia inueheretur. Licet autoritatem Raphaëlis Adorni, tunc

Raphael Adornus.

Genuensis ducis, cuius filij præceptor hic erat, attulerim, planè grauis Iurisconsulti atq; oratoris: quarum doctrinarum alterius professor atq; antistes est, alterius admodum studiosus. Is cum priuatus Mediolani ageret, quodam die apud me negauit, ullam se magis insulsam orationem uidisse, quàm Antonij Panhormitæ

exhorta

exhortatoriam ad Genuenſes de bello Venetis inferendo. Nam præterquàm quòd nota eſt Venetorum dignitas, dicebat ſi quando uobis fuerunt in prælijs ſuperiores, eo deformius ciuitati ueſtræ uideri debet, à talibus uos hoſtibus fuiſſe ſuperatos: ſin uicti à uobis, quod tandem decus ueſtrum, imbellem, & qualẽ ille ſe ait, uiciſſe gentem? Hac in re maluit Fatuus noſter Panhormitæ factum, quàm aut ducis ſui, aut meam ſequi autoritatem. Hæc ſunt quæ ego feci fideliter, grauiter, & amice. Referã nunc quæ iſte uiciſſim egerit. Non ita multos poſt dies, miſi ad hunc libellum quendam, quem nulli dum recitaueram, oſtenderaḿue: utpote nondum ſatis detextum, atq; purgatum, ut quid de ueritate diſputationis illius ſentiret, diceret: & ſi diſſentiret, rationes quæ ſe ad diſſentiendum inducerent, aperiret, ſi me ad ſuam reuocare ſententiã uellet: ut moris eſt, inter doctos atq; amicos fieri. Soleo quibuſuis operum meorũ iudicibus hunc honorẽ deferre uerborũ. In eo libello erat uerbũ parciturus, certo deſuper ſigno notatũ, ut ſoleo (quoties in opere nondum exacto, de uerbo aliquo dubitatio incidit) facere. Hunc librum ut poſtea cõperi, amicus egregius ad inimicum meũ, Antonium Panhormitam detulit, cõmunicq; conſilio tranſcribendum curauit, ne mihi quod peccaſſem emendare integrum foret. Deniq; rumorem diſſipant, me (qui de grammatica ipſum quoq; Priſcianum reprehendere non uerear) in uerbo notiſsimo, proinde turpiſsime eſſe prolapſum. Rem toti ciuitati cognitam dico. Sunt qui ex illo furtiuo exemplari alia tranſcripſerint: tandem cũ remiſſo codice hominẽ forte habuiſſem obuium, quid inquã de mea ſentis opinione: nihilum, inquit, pro comperto habeo. Ideoq; ad Guarinum præceptorem meum iſtam quæſtionẽ retuli: cõmotus ea re nonnihil ſum, haud ignarus peruerſo eũ animo feciſſe: & cur ita inquã? nam ad tantũ uirum opus nondũ expolitum mittere immaturum fuit, certè non expolitum eſſe ſignificatum opportuit, etſi meariã

Parciturus.

Digitized by Google

Parcirurus.

laudum illum scio cupidissimum. Cæterum audio Panhormitam reprehẽdere quòd parciturus scripserim, quod aliunde, quàm ex te sciisse non potuit. Hic iste, ut solent irasci, qui se iure defendere non possunt, præterea instigatione Panhormitæ, qui dolens me parare omnia ad regis historiam componendam, Fatuum suum ad eam spem solicitabat, non scripsisses inquit, si reprehendi nolebas. Atqui inquã non uerborum te, sed rerum iudicem fecerã, nec publice reprehendere oportet, quæ publicata nõ sunt: tamen hæc nihil uolo momenti habeant, nisi sæpe aliàs Parsum scripsi, & istud si uitiũ est, ipse uobis prior animaduerti. Quippe quod nota suprascripta signaui, quæ nota uos ad istam considerationẽ euocauit. Non signasses, inquit ille, sed emendasses. Quid si dubitabam? Non dubitasses ait, in eo quod apertum est. An apud memetipsum mihi dubitare non licet? Tenuisses apud temetipsum, non alteri exhibuisses ut iudicaret. Vtrum exhibui ut apud me solum, an ut ad populum iudicares, ac buccinares? Admonuisses me istius rei: hoc est, errorem tuum planè confessus esses. Quid ais, malim ne uideri erasse, idq; ipse confiteri, quàm domi locum emendare, ne erasse uidear? Quid tu malis facere, nescio: certè in hoc uerbo apud me alios q; peccasti, Ita ne peccaui, quasi nescirem à parco fieri parsum, cum hoc ipsum apex ille testetur. At istuc inquit peccasti, quòd dubitaris parcitum non repereri, quod nec inter homines, nec inter inferos unquàm fando est cognitum. Vnum enim supinũ parsum ex duobus præteritis parsi, & peperci, aut ex solo parsi formatur. O te improbum inquã, & à moribus alienum meis: ista ne ego aduersus te in emẽdanda inuectiua, atq; historia, ratione sum usus? ita decet inter literatos, inter amicos, inter bonos agi? Verum si uis modeste audire, & æquior esse iudex, quàm adhuc fuisti, fateberis nõnulla me ratione dubitasse, ut non modo intra parietes, sed in luce quoq; debeat tolerabile uideri factum meum, tum arte, tum Analogia,

tum au

tum autoritate. Etenim Seruius grammaticus, ita scriptum reliquit, sed multa alia usus contra antiquitatem uendicauit, illi enim parsi dicebant, nos dicimus pepci. Seruius pro arte tradit. Quid si igitur parsi in usu non est, nimirum nec parsum, quod ab illo descendit. Quod cum ita sit, ad supinum præteriti alterius recurrendum est: quod quale sit, analogia docet, quod est parcitum, sicut à popoſci poſcitum, à didici diſcitum, ut est apud Apuleiũ, quem ipsum Apuleium si Priscianus autorem habet in diſcitum, cur ego quod ad autoritatem attinet Hieronymum non habeam Hierony. autorem, qui sic ad Heliodorum scribit, Qui te iurasti non patri parciturum esse, non matri. Vix hæc dixeram cũ ille insanire cœpit, & Hieronymum carpere, tanquàm indignum quem imitemur, An eum lectitasti? inquã. Ne uellem quidem, inquit, Afrũ & Barbarum lectitasse. Si non legisti, inquã, quo pacto damnare potes? Sed facile laberis in notitia clarorum scriptorum: in inuectiua uolebas Vergilium esse, qui nõ erat. Et tunc Hieronymum, qui non Afer, seu Africanus, sed Augustinus. Verum nequaquam barbarus fuit, quorum neutrum, quantum intelligo, satis cognitum habes. Ac ne cognitum quidẽ inquit habere uelim, nec ecclesiasticum aliquem, quorum autoritas nullius in grãmatica momenti est. Quid? maioris ne inquã Apuleius, ne de eo dicam ope, quod de asino aureo blacterauit. Quid blacterauit ais, inquit? Hieronymus potius ipse blacterauit, eiusq; similes, q parcitum dixit. Sub hæc ad alia magis stomachosa cum pergeret. Non est inquã causa, cur Hieronymo conuicium facias, quasi cõtra te dixerit, q neq; inter homines, neq; inter inferos est, quod tute ipse dixisti. Cumq; ad hæc uehementius excandesceret, cum & multi iam cõfluxerant, cum sua ipsum iracundia reliqui: cum quo nihil aliquandiu colloquij habui, nisi apud prælustrem ex Aragonia uirum, Ioannem Scerensem: cum iste conaretur multos ætatis nostræ scriptores præponere Senecæ in notitia atque

Digitized by Google

usu linguæ latinæ, neq; hunc latino ore locutum uellet: Ego contrà, nõ modo quòd scirem latæ uenerationi Senecam esse, cũ cæteris Hispanis, tum præcipue Ioanni, sed etiã ratione defendẽdæ ueritatis affirmarẽ, apud neminem non eorũ, quos ipse nominabat, aliqua me inuenturũ minus latine dicta. Cũ apud Senecam nonnullus quidẽ locus sit non latinus. Hanc postea nostrã disputationem, nescio an regi, certe nonnullis alijs Ioannes ipse narrauit: haud dubie inter nos exortam, cũ ex natura, tum ex inuidia hominis. Siquidem cum audisset, me acceptis ultimis ab rege literis quotidie adire primarios uiros, qui gerẽdis rebus Ferdinandi regis nõ modo interfuissent, sed etiã præfuissent, adire eosdem ausus est. A' quibus (ita mihi ipsi retulerunt) reiectus est, quòd dicerent se citra regis iussum res illius domesticas neminem edocturos, nisi me, de quo scripsisset. Neq; tamẽ post has lites, inter nos salutare intermisimus, nullumq; signũ dedimus amicitiæ nostræ iam dissutæ, nedum sciscæ. Cuius rei uel hoc argumentũ est, quòd pridie quàm iniuriã, de qua conqueritur, ei feci ssem, bellaria quæ manu sua inter proceres rex mihi porrexerat (ut solet post Liuij, aut alterius autoris auditionẽ) cum hoc diuisi, qui tum forte mihi stabat à tergo. O' ignaram rerũ hominum cogitationẽ: porrexi cibum ei, qui iam me prodiderat, & inimicis meis in modũ Iudæ uendiderat, ut postero die apparuit. Sed hæc paulo post. Nunc institutum ordinem sequar: ubi tres libros de uita regis Ferdinandi prima manu feci, ut quibus componendis, duos omnino menses impendissem. Raptim manu librarij eosq; nõ in membranis, sed in chartis transcriptos, regi tradidi, id ipsum testatus, ut audacius adderet, demeretq; quod uellet. Ita enim se futurum constituerat, quòd res paternas ipse ex omnibus maxime notas haberet. Id quò facilius ageret, summas rerum in marginibus, quos de industria spatiosiores feceram, rubrica subnotaueram. Neq; hoc meo solum consilio, sed etiam grauissimi uiri

Ioannis

Ioannis Olzinæ secretarij. Nec est in re notissima mendacij locus. Adeo num soluti quinterniones offeruntur, an compaginati, dubitauimus. Quid plura? cum multa loca uacantia in illis libris inspiciantur, & præcipue de nominibus urbiũ, regionumq; Hispaniæ, quæ regi Hispano sperabam notiora esse quàm mihi sunt: qualis est Granata, quæ olim Bethica uocabatur. Neq; uerò attinet aliarei huius testimonia conquirere, cum optimus omniũ testis, ut mox ostendam, rex ipse testimonium dixerit. Hoc ideo dico, quòd si quid illis in libris errati reperiatur, ut isti sacrilegi mentiuntur, suam potius insciti am probantes, quàm meam, nephas sit id uelle reprehendere. Nec deprecor, quin omnia quæ mihi obiecerunt uera planaq; sint, si quẽ nominare possunt, præter unum Olzinam, cui libros illos (sicut in alijs semper factitaui) legendos exhibuerim. Rex eos perlubenter cum accepisset, recogniturumq; se respondisset, porrexit bibliothecario suo, qui forte tum aderat: iussitq; ut ocioso sibi subinde, noctu præsertim, exhiberet, nec multis postea diebus Neapoli discessit. Frequenterq; illis mensibus (ut superioribus fecerat) ab urbe abfuit. Interea libri mei in manus istorum peruenerunt. At quomodo? nempe eo quo res bonæ in manus malorũ, ut sacra in sacrilegorum, ut publica pecunia in peculatorum, ut innocẽtes uiatores in predonũ perueniunt: delenito enim ac persuaso bibliothecario, à quo rem erat edoctus Panhormita, utpote compater, opus meũ complures per dies domi suæ tenuerunt: annotationesq; in illud cũ conquisissent, tanquàm aliunde exemplar habuissent, me apud regem secreto malignissime uituperarunt, promittentes multo præclarius illam materiam à Barptolemæo scribi posse. Deniq; (ut coniectura est) regem ad perlegendum tardiorem reddiderunt. Et hæc omnia me insciẽte: donec is dies, quẽ supra promisi, aduenit: quo die, sicut superioribus frequenter consueueramus, inter me & Panhormitam apud regẽ exorta cõtentio est de intel

lectu &

lectu & emendatione, cum scriptura mendosa est, Liuij: ut nunc aliquando contingit inter me legentem, & assidentes, assistentesq; quos facile patior (imò rex facile patitur) dicere quid sentiant, ac mouere quæstiones. Fuit igitur eo die contentio de nomine Leontini, cum ille uellet nihil significari, nisi homines, hac uoce: ego uerò etiam ipsam urbem, idq; non modo ex inspectione autoris palàm esse affirmabam, sed etiam aliorum testimonio confirmabam, apud quos legeram sic dici Leontinos pro oppidanis pariter, & oppido, ut Delphos, coq; modo cum Plinium Ptolemæumq; cosmographum, tum uerò Thucydidem esse usum dicebam. Neque dissimulauit sapientissimus rex, mecum facere rationem. Altera quæstio fuit, quòd uolebam statum sacrificium, non statutum legendum esse: de quo uerbo cum procederet longius controuersia, impatiens ac dolens Antonius, uerituscq; ne non ita palàm ut clam uideretur audere reprehendere, hic (inquit) qui me, qui codices, qui Priscianum reprehendit, plusquàm quingenta uitia in historijs suis admisit, tot enim Barptolemæus Facius collegit: tum ego ad tantam rei indignitatem sanè commotus, propè exclamaui, quomodo ad thesaurum meum fures peruenistis? Sed mihi temperans, quis inquam fecit uobis copiam inspiciundi aliena secreta? Verum generosè, non furtiuè bellum gerundũ est: nec ueneno, sed ferro: ille uerò pergat, non enim magni facio, quòd mihi detrahat minutorum minutissimus: hic finis illo die altercationum. Postridie ecce tibi iste iubatus Draco tum suum, tum Panhormitæ uirus ore illo uasto anhelans cum aliquot aduocatis, cum petulanter in me esset inuectus, Panhormita eum uera commemorasse confirmat: seq; plusquàm quingenta uitia in lingua latina ex meis historijs collegisse, tantumq; annotasse, non ausus tamen literatè loqui, qui me minus belle locutum uideri uolebat: & (quod deformius erat) me idipsum exprobrante. Attulerat iste præterea se-

Leontini.

Delphi.

Statum sacrificium.

cum Prisci

Digitized by Google

cum Priſcianum quo probaret, à ſto fieri ſtatum, non à ſiſto, de quo uerbo cum ad obiecta reſpondebo ſatisfaciam. Vbi de eo diſputatum eſt, ita diſceſsimus, ut nunquàm ab eo die colloquuti fuerimus, nec de Barptolemæo apud regem mentionem fecerim. Illi interea notationes in libros referre, neq; hoc cõtenti, omnia maledictorum genera in me congerere, ut ipſum indicat opus. Ego uero expectabam quotidie ut libros ederent, quibus reſponderem. Sed quid expectarem? cum ipſi me propediem ire Romam cum ſummo pontifice locuturum conſtituiſſe ſcirent, & (ut eſt auiditas credula) non reuerſurum ſperarent. Itaq; me uix profecto, libri inuectiuarum circunferuntur, paßim oſtentantur, publice recitantur. Sic neceſſarij mei ad me ſcribebant, hortantes ut primo quoq; tempore remearem, & ſi nihil aliud, hac certè ratione remearem. Veni altero à profectione mea menſe. Cognito illi præter ſpem aduentu meo, libros ſupprimunt: comperio multos uidiſſe, neminem habere. Quid agerem? curandum mihi erat ulcus ad quod nulla uia peruenire poſſem: tandem, quod ſolum ſupererat, mitto quendam cõmunem amicum, qui meis uerbis à Barptolemæo, adhibitis honeſtis hominibus, poſtularet, ut librorũ ſuorum mihi faceret copiã, ut æquo campo certaremus, nec è muris uellet, ſi ſibi fideret, cum hoſte pugnare. Sed ne ſic quidẽ aliquid profeci. Reſpondit enim ſe facturum copiam cum uellet, non cum poſtularetur: poſt hæc quum acciperem ab his qui notationes legerant quædam reprehendi, quæ non agnoſcebam, ob hanc & alias quaſdam cauſas in frequenti hominum cœtu popoſci ab rege, ut ſi cognoſcendos ei libros de uita patris emendandosq; tradidiſſem, iuberet Antonium (aderat autem homo) mihi reddere quos per bibliothecarij quoq; culpam interuertiſſet, quos diligentius elimatos, ſi maieſtas eius annueret, publicarem. Et ille, recte tu, inquit: moxq; Antonio imperat, codicem reſtituat, quod hic poſtridie ſe facturum reſpondit, prout & fecit: Statũ an a ſto.

Digitized by Google

fecit: sed quo nam modo, operæprecium est audire. Veniunt postero die duumuiri literarum utroq; cum codice, suo & meo, planè furtum suum confitentes, exiguntq; ab rege, ut liceat sibi coram omni frequentia recitare notas in historiam meam, & rege admittēte, Bartholemæus incipit locum illum, quem premere se maxime posse sperabat, legere, quasi perquàm fœdum dictu esset, atq; abominandum, quòd rex Martinus propter obesitatē corporis, præq; ualetudine cum uxore uirgine coire, nisi aliorum adminiculo nequiuisset. Quā ego furentis hominis animaduertens uesaniam, & similem illi Antonianæ, qui furtum impudentissime manu teneret: quàm decorū est, inquam, eos qui suarum notationum inspiciendarum potestatem non fecerunt, sæpius rogati, nunc postulare, ut in hoc tumultuario iudicio respondeam, si modo ut respondeam postulant, & non rixari uolunt. Vides rex ut mihi reclamant. Ad conuiciandum, huc omnes isti uenerunt, quod indignum est tua maiestate: scriptis aduersus me egerunt: scriptis & ipse agere debeo. Et rex, tu uerò inquit probe, neq; hic locus, neq; hoc tempus, neq; hi iudices satis idonei sunt ad discutiendam hanc litem. Neq; ciuile est, quos autor ipse non promisit in publicum libros, in publico eos carpi. Tanquàm retractandas tibi iterum Laurenti historias, mihi ut cognoscerem tradidisti, ut tibi iussseram, quas legi, nec per occupationes potui perlegere, ut tibi iam bis respondi, mihiq; illas placere admodum. Easdem nunc si retractare uis tibi tradere debeo. Simul hoc dicens, sumptum ex Antonij manifestarij furis, ac sacrilegi manibus codicem, dolentis una cum suo Fatuo, ac lugentis, mihi porrexit. Alia multa ultro citroq; iacta ta sunt, quæ referre non attinet, cum ad extremum rege iudice uictoria penes me fuerit, penes eos duo inter se contraria, rubor, & pallor. Quis non putaret, post hæc istos ab editione suorum librorum temperaturos fuisse? At hi quartum addiderunt:

Digitized by Google

runt: Descriptumq; in multa exemplaria opus per Italiam dimiserunt, ita ut propinqui mei, quod Neapoli habere nequieram, ad me Porcelij beneficio Roma transmiserint: ex eo exemplari transcriptum, quod isti ad Pogium miserant. I nunc, & dic non oportere contumelijs respondere, non esse illos à forti animo asperius insectandos: hæc est rei gestæ expositio, ex qua constat unde conflatum sit bellum, quæue mea, quæ fuerit illius iniuria. Quæ quanquam constant, tamen respondendum est ijs, quæ de iniuria sibi Barptolemæus per me facta conqueritur. Sed huic confutationi parumper illam præuerti ratio postulat, narrationi coniunctam maxime, atq; cognatam, ex ultimæ inuectiuæ principio, quod interpretatur diffidentiæ signum esse, libros me ab rege repetisse (sic enim aiunt). Erras Laurenti si putas ueniam esse datam erroribus tuis, quod librũ tuum à rege repetieris, & quòd illum non editum, & nondũ correctum dixeris. Ista enim libri repetitio planè cõfessio est erroris tui, nõ purgatio. Quã tametsi impudens es, ipse negare nõ es ausus præsenti rege, cũ ego errata tua coram maiestate sua proferre contenderem, neq; enim passus es ista à me legi & recitari, quæ turpe sciebas à te nulla uia, nisi solita ptinacia tua, defendi posse. LAV. Duplex ad hoc mihi responsio offertur: una simplex, aperta, mitis. Nõ ideo me repetisse libros, quòd à uobis reprehẽsi fuissent, sed quòd ea lege tradidissem, ut recognoscerentur, recognitiq;, ut sic dicã, redhiberentur mihi ad retractandũ, poliendũq;. Neq; enim si donassem regi, fas erat ulla ratione repetere. Itaq; etiam si nulla inter nos altercatio interceßisset, illos fuerã ab rege repetiturus. Quid dico repetiturus? imo iam aliquoties repetierã. Repetere enim nimirum est exigere, an qui libros quos recognoscendos accepit, recognouerit. Altera asperior, ut concedam uestra me prouocatũ causa repetisse, ideo me id feciße, nõ dico ne libri, id est, labores mei, diutius hostiũ manibus polluerẽtur: utq;

Libros cur reperterit Valla.

Digitized by Google

utq; patris ope quàmprimum poſtliminio redirent. Nõ dico, ne quid uobis furunculis ſubtrahere ex illis, neue quid mutare, aut addere liceret, utq; res ipſa, ſi quid à me ſcriptum aut non ſcriptum eſſet, præſenti fide probaretur: ſed ut uos (ſicut eſtis) inuidos, furaces: malignos, & ante omnia ſtultiſsimos eſſe conuincerem. Et hoc cum alijs proceribus, tum ipſo rege teſte & iudice. Sed fac diffidentia me feciſſe, non te pudebit uerecundiã meã inſectari, urgere pudorem, confeſsionem errati non donare uenia? Dixi illos me non ſatis repurgaſſe, tanquàm prius ab rege reſormandos. Ideoq; nulliſdũ recitaſſe, nemini copiã inſpiciũdi feciſſe. Sub hanc uocẽ, tuũ erat, ſi quid humani tibi ſanguinis foret, ſtrictum gladiũ deponere, atq; in uaginam recondere, iterũ cum libros edidiſſem reſumpturus, & ſi quid in corpore corrupti fuerit, reciſurus. Sed uidelicet ira impatiẽs res eſt: dolor ingens regi neſcit, cupiditas ulciſcendæ iniuriæ cæcum facit. Quotus enim quiſq; habet affectus in ſua poteſtate? Videamus igitur quenam à me ſibi facta ab hoc profertur iniuria, quã uindicandam gladio exiſtimat, ut non modo corpus meum petat, ſed etiam umbram, tanquàm Turnus inanem Aeneæ imaginem perſequens, nec ferre uidens ſua gaudia uentos. Opinor laceratã à me eius famam, aut libros reprehenſionibus notatos, aut ſaltem inuitum me hoc eſſe facturum. Ait me abſenti ſibi contumeliam feciſſe, quòd eum dixerim inimicorum inimiciſsimum. Nullum eſt aliud crimen meũ, ullam aliam à me ſibi factam iniuriam, nec fingere quidem poteſt. Hoccine ultionis hæc merebatur oratio? Tantum'ne tibi de aliquo ſupplicij ſumendum fuit, ut duo leuia uerba tribus grauiſsimis ulciſcenda uulneribus exiſtimares? quod de nullo unquam, quamlibet truculento atq; immani, & plusquã Atreo audi tum eſt: ut qui tantam indignitatem in ulciſcendo legent, haud dubie exuiſſe hominem, ſi unquam homo fuit, hunc & canem induiſſe ſint iudicaturi. Cuius canis rabiem, ut breui complectar

omnia,

Digitized by Google

omnia, quæ in me potuit oblatrauit, donec rauceſceret, credẽs mordere, cum latraret. Non igitur tantam merebatur ultionem talis offenſa. Quid ſi ego non niſi propulſandæ iniuriæ cauſa hoc dixi? Id eſt, ſi ille lædere prior cœpit, & quidem grauiſſime, ut probatur ex aduerſarij uerbis, optimo probationis genere, ſic enim circa principium ſcribit. FAC. Et ſanè nondum tela è pharetra mihi depromenda exiſtimaſſem, niſi tam impudenter coram inclyto rege noſtro, in tot clariſſimorum procerum uirorumq; conſeſſu, te locutum de me eſſe nuper accepiſſem: apud quos cum in Antonium Panhormitam uirũ ingenio, doctrina & exiſtimatione præſtantem inueheris acerbius, & ille à te laceſſitus, me forte nominaſſet, ea de me dicere non puduit, quæ ne de indoctiſſimo quidem homine ſine ſummo rubore quiſpiam ſanus diceret. Sed profectò regis cauſa minus grauiter eam rem tuli, quoniam pro ſua ſumma ſapiẽtia, ac ſingulari iudicio, ſatis intelligit quãti ſis, quantum'ue abſis ab eo homine, quem te facis. Cæterum id fuit multo grauius ac moleſtius, quòd illud perſuadere conatus ſis alijs quibuſdam qui aderant, qui propter paruam literarum ſciẽtiam, nõ tam bene, neq; tam rectè poſſunt de ingenijs ac ſciẽtia iudicare: à quibus neſcio quomodo ſuſcepta eſt, teipſo de te prædicante, ac refellente nullo, falſa quædam de te opinio: quam profecto, ſi quid erit in me in dicendo facultatis, totam euertam, atq; eruam. Patefaciam igitur in primis tuam literarũ ignorantiã, & cæterã.

LAV. Taceo cæteras tuas uerborum rerumq; ineptias: quòd dixiſti procerum uirorumq; conſeſſu, quaſi proceres uiri non ſint, & cuncti qui aderant, aſſederint regi, nullusq; aſtiterit: quòd coram & apud confudiſti, de quorum differentia poſtea dicam: quòd ue pro q; ponis: quòd quem nõ puduit nõ aperis? quòd ſanos uis ea loqui de alijs, ob quæ ipſi erubeſcãt, præſertim cũ de doctrina loquũtur: quòd regis iudicium ſapientiſſimi

Ineptiæ aduerſarij.

Procerum uirorumq.

Coram & Apud.

singularisq; nõ reformidas, reformidas eorũ qui de eo audiũt, nec recte possunt iudicare, nec bene: quòd ab eis de me præsumptam, ut de perdocto homine opinionẽ uis, sperasq; cõuellere, profecto nil aliud laborans, nisi ut imperiti nõ de me, sed de te bene sentiant, fatui nimirum capitis, insaniq; propositum: quòd negas te scire, quomodo hæc de me susceptа sit opinio, & tamẽ ais quomodo sit susceptа, quia ego de me prædicem, & nemo prædicãtẽ refellat. Quis adeo rerũ imperitus, quis adeo hebes ac stolidus crimẽ quod uelut capitale obijcit, idq; in iudicio, nõ exponat? iniuriã quã nõ aperit iure se uideri uelit ulciscí? propter rei indignitatẽ quã nescit ostẽdere terras ac maria miscet? Verum nõ fatuis modo, sed etiã prudentibus solet excidere simulatio, erumpẽte per obstantia ueritate. Simulat enim iste à me sibi factã iniuriã, quæ nulla fuit, nõ conuiciũ, nõ cõtumelia, ideoq; nihil aperte cõmemorat, aperte ostendẽs prius se in me composuisse, q̃ ego lacessitus dixi ea quæ ipse (ut est præpostерus) circa finẽ huius inuectiuæ nõnihil tñ deprauate refert. Me uero, ut etiã aliquid de me dicam, qui nullã tibi iniuriã fecerã, quod sciã, cõuicijs insectaris, minutissimũ appellans inter minutissimos. Hæccine sunt propter quæ erubescere debebã, si sanus eram. Sed omittamus imminuere nostrã, si qua est, offensam, et tuæ aggrauare ultiõis immanitatẽ. Sileamus quoq; iniuriã illã, quam mihi in libello meo carpendo, ut te Panhormitæ uenditares, ꝑditoris ritu feciſti. Prætereamus etiã, quòd te hic aliena, non tua causa significas ad accusandum descendisse. Quid est quamobrẽ ad hoc ego cõuiciũ, si conuiciũ est, cruperim? taces? Cũ Antonius inquis Panhormita à te lacessitus, me nominasset: nõ est, nõ est hominis lacessiti cõtra eũ qui in ipsum inuehatur acerbius tantũ nominare aliquẽ. Necesse est, ut sic de te aduersus me ille mentionem fecerit, ut se ulciscereturꝰ. Hoc profecto nihil aliud est, q̃ dixisse de uitijs te meis in historia scribere.

Nam

Nam quis credat, si de re nō planè cōstaret Panhormitā aliter tui mentionē feciſſe? & te nō conſulto nominaſſe, ſed forte (ut ais, quod impudētiſſime ais, ut cætera) qui altercatiōi nō interfuiſti: ſed Panhormitæ credis aduerſario, niſi ipſe fingis ad tēpus. Quanq; ò uere Fatue, ac fatuorū princeps, ſi te quis nominat, ego protinus in te inuehar? ego te carpam? quaſi uero tu plectendus ſis alio delinquēte. Tametſi cur aut ille delinquat, ſi te nominet me præſente? aut tuū nomē, qui nunq;, ſi tibi credimus, iniuriam feceris, mihi ſtomachū moueat? Quid ſi quis me referat abs te laudari, prædicari, diligi, cōtinuo ne tibi male dicam, ac conuiciū faciā? Incredibile eſt, ſine fide eſt, dictu ſtultiſſimum eſt quod loqueris, atq; cōfingis. Fatere igitur, fatere minutorum minutiſſime cū tuo præmonſtratore Panhormita, me prius accepiſſe abs te, & per te ab illo iniuriā, & ideo aduerſus inimicos cū contēptu tui locutū: nec te pudet hoc diſſimulare ſycophanta, quod ipſo meridie, ut aiunt, eſt clarius, cū tot ſint teſtes qui interfuerūt, & tu in primis demētia ipſa demētior, qui poſtridie tanq; ad ulciſcendā iniuriā cū ueniſſes, te infinita prope uitia ex primo libro collegiſſe dixiſti, quæ qa nōdum pure cōſcripta eſſent, nō poſſe tūc exhibere, ſed exhibitu rum propediē. Vides, ut probo, nullā me maledicētiæ tuæ præbuiſſe materiā, ſed peruerſum ingeniū tuū, ſed cæcū liuorē, ſed ueſanā ambitionē, Panhormita uel impulſore uel addēte calcaria. Cuius de inimicitia, quæ illi mecū eſt, locus ſuus in ſequētibus dabitur dicēdi. Vides ut ultio mea nō modo neceſſaria, uerum etiā lenta, mollis, & prope nulla fuit. Volo enim imminuere crimen meū. Nam quid aliud facerem? Mirum eſt non etiam me dixiſſe, te furere ſolitum, te bonis doctiſq; detrahere, gloriæ tibi ducere te in regem, cum à parte hoſtium ſtares, quàm petulantiſſime ſcripſiſſe, ſcripſiſſe etiam uictorias Genuenſium contra Catalanos. Quid ultionis eſſe ſatis debuit? cum ſubtracto

tracto ex regis bibliotheca meo codice, quem nulli nisi regi cognitum uolebam, ac ne ipse quidem Antonius ut me repelleret apud regem procereſq; diceret te libros de erratis meis cõ ſcribere. Vides ut de ſecũda iniuria loquar, ut ultio tua, ſi ultio, & non odij ſaturatio fuit, inhumana, crudelis, truculenta, & uere canina ſit. Debeo enim poſtquam probaui nullã penes me iniuriæ culpam, ſed penes aduerſarium, omiſſo reo agere accuſatorem, & illorum crimen exaggerare. Adeó ne nõ ſatis tibi fuit furioſe quæ poſtero die in me oblatraſti, enumerauiſtiq; in ultionem cõtumeliæ acceptæ, nunquid ego uitia operũ tuorum aut ſcripſi, aut alijs patefeci? cum facere poſſem. Num cũ longe abhorrens à modeſtia mea uitium, ut tu ais, in opere meo deprehenſum, inimicis meis ac populo oſtentaſſes, tibi talionẽ reddidi? nedum quadruplũ, ut tu nũc facis, aut potius cẽtuplũ, ac pluſquam centuplũ. Et ego tantũ de inſectatione literarum loquor. Quid illud, quòd in uitam, moresq; meos capitali odio inuecti ſunt? Quid attinebat cũ certamen inter nos, & ſi placet, iniuria mea, de literis ſit, ad inſectationẽ morũ prorũpere? at quos homines? quàm probos, quàm innocẽtes, quàm caſtos? & ferrũ armare ueneno, ut inquit Vergilius. Nã quid iſtud ad victoriam proficit, ei cum quo pugnes ingerere conuicia? Niſi fallor, diffidere uiribus eſt hoc genus aduocare certaminis. Cuius diffidẽtiæ, ut hæc differamus, ubi meos tuendo, iſtorũ mores attingam, illud quoq; eſt ſignũ, quòd peßimo exemplo, ex multis meis operibus id ſolum inuaſerunt, quod nondũ publicatum eſt. Quod crimen neſcio an ſacrilegiũ, an peculatũ, an expilationem, an plagium uocem, an ſimul omnia. Nam ex ſacra regis bibliotheca ſurripere libros, ſacrilegium eſt: ex domo principis, arcanoq;, peculatus: theſauros opesq; cuiuslibet, expilatio: alienos liberos, id eſt libros, plagium. Quæ cũcta quanquã à uobis admißa ſunt, & (quod ad me attinet) maxima me iactu

ra affi

ra afficitis, multo tamen est ipso damno maior iniuria. Perinde ac si mortuum meum in sepulcro religiose iacens, ac quiescens protrahatis, & deforme spectaculum populo ostentetis. Cõditi libri mei sunt & sepulti, siue (ut magis idoneo utar exemplo) intra uterum parẽtis sunt, seu adhuc implumes in nido, euolare nondum queũt: adhuc cibos quos uolitando comparo meo allatas ore illis impertio. Hos, ô facinus indignum, uos parente in pastus deferẽte exturbabitis è cubili? fugitantes persequemini? assequuti pedibus conculcabitis, & conteretis? atq; ut immanitati cumulus accedat, etiam hoc egisse gloriabimini? ut nemo nõ (nisi uestri similis) ista facta ac dicta improbet, ac detestetur. Quot sunt enim quæ post interiectũ tempus scripsisse nos pœnitet? quæ quantũ placebant cũ inuenirentur, tantum retractata displicent, ut ait Ouidius, Cũ relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno, Me quoq; qui feci iudice, digna lini. Habeo recitare, primũ paucis, mox pluribus amicis, habeo mittere ut de multis operibus feci ad principes Latinæ linguæ: horum ego si cui libros meos cognoscendos misissem, uos in Bibliothecam illorũ adulterinis clauibus introcundũ uobis putaretis? & quod scelleratius est, uos introisse surripuisse, nolle sublata reddere, & omnia loci illius arcana fortassis, inepta, & ridicula passim hominibus monstrare gloriamini: nisi uero quod in priuata domo facinorosum sit, id in regia minus meretur ultionis: imò, nisi fallor, & regis & meo nomine grauissime est coercendum. Nihil igitur ex meis libris, uel meo, uel amicorũ iudicio detrahã? nihil immutabo? nihil ad eos adijciam? ut non autor, sed inimicus in publicando plus habeat potestatis. Neq; tibi Barptolemæe nouum hoc est, impudentissime proditorũ, libros nondum publicatos inuadere: idem auso facere in libello cuius superius memini. Sed nunc multo deformius, quòd ea quæ te inspicere, nedum iudicare, nolui, iudicas, licet illius criminis Panhormita quoq;

Retractãda cuilibet multa.

affinis sit. Publicasti itaq; opus meum inuito me: & per urbes alligatum cum carnifice dimisisti, id est, accusatione tua. In quo illud magnopere demiror, & si nihil de tam peruersa mẽte demirandũ, cũ ad me scribãtur libri illi accusatorij, nõ ad me, qui reus agor, eos mitti: sed ad alios, quò prius reus peragerer, quòq; prius cõdemnarer, si qui modo cõdemnare uelint altera parte nõ audita, quàm audirer. Qua in re isti, ne ob improbitatem suã nimis sibi placeat, uicẽ reddam. Hactenus de infandissima aduersariorũ mente, qua ad me cõfodiendũ incubuerũt, dictum sit. Nunc superest uidere, an uere confoderint, an & ipsi cõfodi possent obnoxios se opportunosq; præbuerint. Itaq; ut illinc, unde accusator exorsus est, ordiar, ad confutationẽ obiectæ mihi imperitiæ uenio: dum meminerint legẽtes, non cũ uno mihi, sed cũ duobus esse certamen, Scytha & Afro: quis crederet tam disiũctis patria hominibus, qui pariter (ut docebo) tela conijciunt, alter propalam, alter ex abdito, siue alter à fronte, alter à tergo. Venio aũt ea præfatione, ut nõ recusem, quin omnia pro ueris habeãtur, si uel unũ uerum sit: & nisi uicissim quadruplũ in eis peccatorũ probauero, quàm ipsi obiecerunt.

Pendo frigeo in præteritis.

Quos putarẽ forte negligẽtia quadam cecidisse, nisi scirẽ ante sæpius in huiusmodi rebus erratũ esse. FAC. Quẽ me teste & contradicẽte defendere nõ puduerit. Nec à pẽdo, is, præteritũ pependi, sed pendi: nec à frigeo es, frixi, sed frigui fieri. LAV. Primũ uidete hominis eximiã stultitiã, siue malumus ut de fatuo dicere fatuitatẽ, qui ait se teste id factũ esse, eodemq; cõtradicẽte. Idẽ ergo potest & testis esse, & actor? tu tibi de te, & cõtra aduersariũ postulas haberi fidem? Nõ hoc in aliquo meorũ operum dictũ est, non rege, non cœtu hominũ, non paucis, non duobus deniq; audiẽtibus, sed te uno teste, qui & tũc cõtradicebas, & nũc accusas. Quod & si uerũ fuisset, tamẽ plusquã stultissimũ est id obijcere, & quidẽ primo loco, quod probare nõ

possis

poßis, ubi quantopere mentiaris, et ſi amicum eſt tibi mentiri, uel hinc probari poteſt, quòd (ut de primo uerbo reſpõdeam) nonnunq; alijs in libris pepẽdi à pendo, & hic in ſecũdo hiſtoriarum ſum uſus, ſicut ut ipſe teſtaris. Et nihilominus nemo eſt qui libros ueterũ legit, qui nõ euoluerit Salluſtiũ, cuius hæc uerba ſunt: Et quas uicti ab hoſtibus pœnas meruerãt, ipſi uolẽtes pependere. Taceo cæteros, apud quos idẽ reperitur, à me diligentißime lectos, cũ de elegãtia linguæ latinæ cõpoſui: qđ etiã omniũ artes præcipiunt. At à frigeo frigui fieri, nõ præcipiũt: nec eo autores utũtur, ſed frixi. In hoc neſcio mẽdaciũ ne potius obijciam an ſtultitiã. Si enim legit meminitq; in elegantijs à me ſcriptũ à frigeo & frigeſco frixi fieri, mendaciũ dixit, ſeu quod turpius quidam uolũt eſſe, mentitus eſt. Sin neſciuit, ſtulte uel alicui dicenti credidit, uel ex me audiſſe ſe opinatur: ſi modo ex animo loquitur, & non dolo. Nam ex me audiſſe qui potuit contrarium eius quod ſcripſiſſem? Cuius operis pluſquam centũ exemplaria multis iam annis conſcripta, calumniã hominis coarguunt. At frigui quoq; fieri confeſſus ſum: ſcribendo ne? at tu de ſcriptis meis non ſentis: an loquendo? Si apud alios nihil habes præter auditum, quod nunc in accuſando ſequi calumniæ eſt, ſi apud te mentiri conuinceris, cum à me ſemel ratione ſuperatus, quam mox proferam non fueris ad certamen reuerſurus, niſi te fatuum planè, & pluſquam pertinacem, iuuet oſtendere. Habes igitur Fatue, quod eſt accuſatori maxime optãdũ, præſertim ei qui probare nõ poteſt confitentem reum, ſed ita confitentem, ut ſtultitiæ ſit hoc obieciſſe, peritiæ argumentum non negare. Lege Priſcianum in XI. dicentem: Pleraq; neutrorum ſecundæ coniugationis in ui diuiſas deſinentia præterita, deficiunt in ſupinis: ut horrui, rubui, tepui, ferbui, ſenui, egui, frigui, rigui, durui, ſtupui. Hunc tu locum apud grãmaticorum culmen non legeras. Hunc ego contra te, ſi una controuerſia

Pependi a pendo.

Frigui & frixi a frigeo.

Digitized by Google

inter nos fuisset, attulissem: sed mentiris fuisse. At non sunt usi autores frigui: imò si quæras, ferè nec frixi, sed in composito re frixi, perfrixi. Neq; ipse usus dicendus sum, qui cum de grammatica loquerer, illud exempli in loco attigi, dicens: Inchoatiua mutuari præteritũ à primitiuis, ut calesco calui, tepesco tepui, frigesco frixi, uel frigui, ut peßimi hominis sit me sic locutum uelle reprehendere. Eo quidem magis, quòd frixi à frigo uidetur proprie proficisci: cuius supinum erit frixum. Siquidem frixum cicer legimus, et alia huiusmodi. An frigo negas reperiri? Audi Plinium libro XII. Græci perfusum aqua ordeum siccãt nocte una, & postero die frigunt, dein molis frangunt. De quo cur Priscianus non præceperit ipse uiderit. FAC. Et à parco parsi parcitum, & ex eo parciturus participium trahi, in qua quidem hæresi te adhuc perstare deprehendi, in hoc tuo præclarißimo opere. LAV. Cur dißimulas quamobrem, quóue modo altercatum inter nos est de isto uerbo? cur ita unde rem incredibiliterq; proponis scythice orator? Sed de eo superius in rei narratione satisfeci, ut hic nihil tibi respondere debeam, nisi te ubiq; tui similem esse: qui cum à me in hac ipsa disputatione fueris cõfutatus, tanquã tu uictor inde discesseris, insultas, Græco uerbo utens, quod apud paradoxa Ciceronis inuentum cum non intelligas, prauè ut alia infinita posuisti: ille enim de Catone loquens, ait: Estq; in ea hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neq; dilatat argumentum. De Stoicorũ loquitur Cicero secta, quæ Græce dicitur hæresis, quod nomen tu pro opinione accipis: quippe meam huius uocis opinionem reprehẽdis, non aliquam sectam. FAC. Præterea sisto, is, statum supinum facere. LAV. En stilus limatus tersusq;. Quid attinet dicere à pendo, is, à frigo es, à parco is, à sisto is: quasi uero non intelligatur quod uerbum sit ex prima persona, pueros te adhuc docere existimas, qui nisi adiuncta secunda persona, nesciũt cuius sint

Frigo

Hæresis

Sisto.

Frustra exprimitur secunda persona uerbi dum una est.

sint hæc uerba coniugationis, quod apud iam doctos cum loquimur scribimus ue, facimus in uerbis ancipitibus, ut lego is, lego as, appello is, appello as, colligo is, colligo as, educo is, educo as. At in tuis istis uerbis non est prima positio, nisi singulorum uerborum, ideoq; nec in loquendo nec in scribendo ambigua. FAC. Cum autore Prisciano nullum ex eo neq; ex sterto, oriatur supinum, dicaturq; status, a, um, eodem Prisciano teste, à statum statu eius uerbi supini quod est sto. LAV. Priusquam de re ipsa respondeo, quam hic minime probabiliter refert, ut multa quoq; alia peccat, nonnihil, ut modo feci de loquëdi ineptia dicam ipsius correctoris: in eo ubi uoluit elegantijs loqui, infantius locutus est. Quid sibi uult eius uerbi quod est sto? non'ne fateris statũ statu ab alio quoq; uerbo fieri quàm à sto? Siquidem non nisi in ambiguis dictionibus ita loquimur. Quale est nostrum in elegantijs ex A. Gellio. Mei te rogandi & tui mihi respõdendi. Mei hoc in loco Plautus non ab eo dixit quod est meus, sed ab eo quod est ego. Vides ut in mei, quod ancipitem significationem & originem habet, A. Gellius dixit ab eo siue eius pronominis quod est ego, cum esset aliud pronomen unde etiam ille genitiuus oriretur. Igitur tu necesse est doceas, quo ex alio uerbo quàm ex isto oriatur supinum, statum statu. Atqui hoc ipsum negas. Ergo tecum tua confessione dissentis. Sed non est quod timeas, te enim ego, quem tibi fingis inimicũ, subleuabo, doceboq; ex alio etiã uerbo fieri statum. Ait præterea, autore Prisciano, cũ sciamus Priscianum cæterosq; grãmaticos, & propè omnes artifices ab alijs petere præceptorũ suorum, non ipsos habere autoritatẽ, hoc est, non esse autores. Ideoq; quæ tradunt ea omnia superiorũ testimonijs cõfirmare. Quod siquando locos aliquos rationibus probant, tunc ipsam eorum rationẽ sequimur, non autoritatẽ. Ac ne (teste quidẽ Prisciano) recte dici affirmarim, nisi si quid ait ille se apud eos legisse

Sterto.

Eius uerbi quod est &c. frustra dicitur, ubi unũ dũtaxat est.

Mei.

Grammaticorũ quæ sit autoritas.

Teste Prisciano.

giſſe, quos ipſi non legimus, quale non eſt quod apud hũc inue nimus, teſte Capro, teſte Diomede, teſte Donato. Nunc ad ſen tentiam Priſciani reuertamur, Cuius hæc uerba ſunt: In iſto unum ſiſto, Cuius præteritum quando actiuam habet ſignifica tionem tam in ſimplici quàm in compoſito deficit, quando abſo lutam & ſimilem ſto uerbo, commune cum eo habet præteri tum, ut reſiſto uel reſto reſtiti, Paulo poſt. A ſtertui enim ſupi num non inueni, nec à ſiſto. Aperi Fatue, aperi tuum iſtud ua ſtum & agreſte quiddam, ac rude & barbarũ ſonans os, atq; oblatra mihi, reclamaq; Priſcianum impugnanti, ſicut apud re gem reclamaſti, ubi uictus cum fueris rebellas ac proſtratus in terram, ſurgere conaris de genuq; pugnare, inuidia ueſanus & rabidus, ut appareat te, non de ſtatus participio, ſed de ſta tus conditione pugnare. Priſci. alloquitur Vallæ. Prius tamen Priſciano me purgatum uolo, quòd aduerſus eũ locuturus ſum. Ego uero Priſciane ni hil admodum quod præcepta tua conuelleret, duntaxat in hac parte, dicere conſtitueram, nunc quicquid dixero, iſtis aſſigna to, qui initium introduxerunt, non tam ut te protegant indu cti, quàm ut me impugnent, tuis, niſi fallor, ueſtigijs inſiſtentẽ. Priſciani laus. Vt enim tu de lingua latina optime meritus es, ſic ego quod cũ bona uenia tua dictum ſit, pro mea uirili mereri ſtudebo. Ais ſiſto quando actiuam ſignificationem habet præterito deficĩ, ſupino etiam quando abſolutam. Cur ita? quia non inueniſti. Sen tentiam igitur mutes oportet, ubi inueneris. Indicabitur autẽ tibi per me in quibus utrunq; inuenias locis: Celſus iuriſconſul tus apud Iuſtinianum lib. XLIIII. digeſtorũ ſcribit tit. de ſti pulationibus & uerborũ obligationibus: Si ita ſtipulatus fue ro, te ſiſti, & niſi ſtiteris, hippocentaurum dare, perinde erit, atq; ſi te ſiſti ſolũmodo ſtipulatus eſſẽ. Et eodẽ loco Paulus: Ita ſtipulatus ſum, te ſiſti certo in loco, ſi nõ ſtiteris quinquaginta aureos dare ſpondes. Hoc de præterito actiuo. De paſſiuo autẽ Stiti.

cuius

cuius fons est supinum. Idem lib. II. de diuisione rerũ & quali
tate: Si plurium seruorũ nomine iudicio sistẽdi causa, una stipu
latione promittitur, pœnam quidẽ integram cõmitti, licet unus
status non sit. Labeo ait: quia uerum sit, omnes statos nõ esse. Status passiue.
Et alijs etiam locis participium passiuũ à statũ supino, de quo
lis nostra est, licet ꝛeperias in iure ciuili. Cuius iuris caput duo
decim tabulæ, ita scriptũ habent, teste Ciceron e, atq; Varrone:
Dies status cum hoste, quem locũ quidam legũt, statutus, quasi Status dies.
constitutus, sic legendum negante Plauto in Curculione. Quo
te hoc noctis dicam proficisci foras cũ istoc ornatu, cumq; hac
põpa Phedrome? Quo uerius Cupido imperat, suadetq; amor.
Si media nox est, siue est prima uespera. Sic status, cõditus cum
hoste intercedit dies, tamen est eundum quo imperat ingratis.
Quæ uerba Festus Pompeius exponit cũ inquit, Status dies uo
catur iudicij causa constitutus. Nec nõ in eadẽ penè uerba Ma
crobius: Iam uero stator ab eodem nascitur fonte, ut apud Li- Stator.
uium, Iupiter stator, uidelicet à sistendo, uel (ut apertius dica-
mus) à stata fuga Romanorũ. Quod non minus lucide Cicero
declarat, inquiens: Tu Iupiter qui eisdẽ quibus hæc urbs cõdita
est auspicijs, à Romulo es cõstitutus, quẽ statorem huius urbis
atq; imperij uere nominamus. Et alibi: Te ait Iupiter stator,
quem uere huius imperij statorem maiores nostri nominauc-
runt. Certe à sto non diceretur stator urbis & imperij, cum
natura huius uerbi repugnet. Ergo erit à sisto, equidem ser-
monis actiui, quasi firmator urbis, & stabilitor imperij. Vnde
statæ res, quæ firmæ sunt ac stabiles & certæ, suoq; tempore Statæ res.
sæpius redeuntes. Vt idem Cicero de responsis aruspicum, quæ
uerba Valerius Maximus in principium operis sui transtu-
lit. Maiores nostri statas solennesq; ceremonias pontificum,
scientia rerum bene gerendarum. & reliqua. Statas atq; solen-
nes pro eodem penè accipiens. Nam solennes frequentissime
legi

Morbi stati.

legimus pro fixas, & ut sic dicam, anniuersarias. Etiam febres morbosq; ut statos, ita solennes, quòd certo ac rato tẽpore hominem repetant. Vnde Pompeius Festus exponens, inquit: Solẽnia sacra dicũtur, quæ certis temporibus fiunt. Age uero quod aliud exemplum, meliusq; quàm Ciceronis pro Milone? ubi eadem uerba sunt, de quibus nostra extitit cõtrouersia, quæ nusquam praue scripta reperiũtur, Lanubij stata sacrificia nosset.

Stata sacrificia.

Quod congruit cum illo apud Ouidium de Fastis: Et stata sacra facit. Pompeio quoq; Festo exponente, Stata dicebantur sacrificia, quæ certis diebus fiebant. Cato sacra stata solẽnia sancta seruasti. Ideoq; legendũ apud Tusculanas quæstiones lib. 1.

Locus in Tusc.

Solenne & statum sacrificium, non statutum. Ita apud Liuium illud de quo rege disceptante contendimus. Quod cum ita sit, profecto obtinui palmam, liquetq; uos & tunc iniuste contendisse, & nunc me improbe accusasse. Adde ex abundanti ut materiæ satisfaciam plenius, quòd Priscianus Lucani uerba ponit stata tempora status, quasi constituta & non aberrantia unquã à suo ordine, quale est apud Liuium: Et fretum ipsum Eurypi non septies die sicut fama fert temporibus statis reciprocat, sed temere in modũ uenti, nunc huc, nunc illuc uerso mari. Et apud Plinium patrem, ubi titulus de statis tempestatibus. Et alibi milies. Et apud Plinium filiũ ad Licinium, ait enim de fonte quodam sic: ter in die statis auctibus ac diminutionibus crescit, decrescitq;. Statimq; ille certis dimensisq; momentis uel subtrahitur, uel aßurgit. Et iterum paulopost: per quasdam oblectantis animæ moras crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt. Vides ut aperte hic autor ostendit à sistendo fieri statum. At enim Priscianus uult hoc non à sisto fieri, sed à sto. Vult ille quidem, sed nec à sto uenire docet, nec à sisto non uenire, cum ratio hoc uelit, tum quam dixi, tum uero hoc, quòd statum à sto siquid probat analogia sui deriuatiui staturus, habet pri-

Statũ a sto si sic ꝓducat priorẽ.

mam

nam longam, hic breuem. Vt à sisto uenire dubium non sit. Verum quid rationes consectamur? cum tot tantorumq; scriptorum abſit autoritas? Ideo ad reliqua pergamus. FAC. Illud enim est omnium uitiosissimũ, quòd dicis horresco horrui præteritum emittere, & inchoatiua præteritum habere, cum solum desciſco autore Priſciano præteritum desciui faciat, quod tamen (& id est ueriſimilius, cum cætera eius fermè uerba præteritis careant) à desciscio magis fieri putat. LAV. Vbi tecum, aut, quando de isto uerbo contendi? non respicis fatue nequaquam te loqui apposite ad faciendam fidem? nam si tecum hac de re contendissem, profecto non alia, quàm quæ scripseram, protulissem, eaq; defendissem, quæ te nunc potius quàm uerba mea, quæ negari impune poßunt, redarguere dicebat. Itaq; si meum de elegantia opus legisti, quid ita de inchoatiuis à me ais dictum, quasi non scripserim? cur rationes meas non refellis? cur non euertis omnium scriptorum autoritates? nec de præterito tantum, sed quod maius multo est, de significatione. Vbi probaui nullum (quod dicitur) inchoatiuum significare inchoationem, quod ne Priſcianus quidem ipse, si excitetur ab inferis, uel refellere poßit, uel negare audeat. Sin non legisti, quid tibi faciam? niſi ut iubeam ire ad ipsum opus, ut sciam uelis ne poſt hac desistere, an litigare. Et tamen breuiter sic habeto. Horrui si ab horreo ueniret, significaret idem, quod horridus fui, quod falsum est, cum significet quod horridus factus sum, talisq; aliquandiu permaneo. Ergo ab horresco descendit, quod significat horridus fio, ut acesco acidus fio, cuius præteritum est acui, id est, acidus factus sum, non autem incepi talis esse, quod ad significationem inchoatiui, aut acidus fui, quod ad primitiui confutandam attinet: cuius ipsum primitiuum aceo me legisse non memini: sicut nec saneo, cuius deriuatiuum saneſco posuit Cornelius Celsus sæpe, ut ibi. * Arteria inciſa neque coit neq;

Verborũ in sco præterita. Horrui.

Aceo. Saneo. Saneſco. * chartilago.

neq; ſaneſcit, id eſt, ſana fit, uel ſanatur, non autem incipit eſſe ſana. Et apud Columellam & Plinium, hærbeſcit, arboreſcit, grandeſcit, & alia complura, quorum nec primitiua uſquam leguntur, nec ſignificatio eſt inchoatiua. Atenim tu ais Priſcianum uelle unum deſciſco habere præteritum ex inchoatiuis. Deſino pluribus in illum argumentari, qui ſi foret in rebus humanis, non contra me hoc in loco ſentiret, ſed contra te. Quid eſt quòd tu aut facias inchoatiuum deſciſco, cum non facias ſciſco ſimplex, aut ſi hoc quoq; facis, præterito priuas, quod eſt ſciui, & inde ſcitum, ex quo plebiſcitum. Negas? Audi uerba legis duodecim tabularum: Creatio magiſtratuum, iudicia populi, iuſſa, uetita, cum ſuffragio eo ſciſcentur, optimatibus nota, plebi libera ſinito, & mille in locis legimus, plebs ſciſcat, plebs ſciuit. At hoc præteritum à ſcio mutuatum eſt? Eſto, & ſi alius ſignificationis eſt ſciui à ſciſco, alius à ſcio. Cur non etiam deſciui à deſcio, an quia deſcio non reperitur? At iſtud cõtra ſuperiorem tuam rationem facit: ſed ut ita ſit, fateare neceſſe eſt, conſciſco, aſciſco, reſciſco, quæ eiuſdẽ naturæ ſunt, habere ſua præterita conſciui, aſciui, & reſciui. Quòd ſi adhuc in ſententia ac pertinacia permanes. I (ut dixi) ad elegantiæ opus ubi latius iſta diſſerui. Sin uero ne ſic quidem acquieſces, perge, & moribus tuis utere, dum ſcias te non poſſe mihi refragari, niſi doctis omnibus, à quibus illi probati ſunt libri, refrageris, præcipueq; Guarino, quem præceptorem tuum facis: atq; Auriſpæ, qui primi de laudibus ad me operis illius ſcripſerunt: quorum alter inter cætera inquit: Vt Pallas oleæ fuit inuentrix, ita me inuentorem eſſe elegantiæ linguæ latinæ: quale quiddam in alio opere fecerat ad me ſcribens his uerbis: Laurenti, laurea & Valla, uallari corona ornandus es. Alter cum multa alia, tum uero illud, ſe permultum argenti ex opere meo ſi uoluiſſet potuiſſe lucrari. Sileo Leonardum Aretinum, cæterosq;

Deſciſco.

Sciſco. Scio.

Guarinus. Auriſpa.

Leonardus Aretinus.

Digitized by Google

rosq; necui forte præter necessitatẽ causæ uidear uelle gloriari.
FAC. Sed his omissis, ad operis tui disquisitionem ueniamus. Bene tibi habẽt principia, strennue tibi præluso acta est. Quo maiori cura & studio excogitasse & confecisse te uerisimile est, quàm ea quæ disputationis causa aliquando in medium protulisti.
LAV. Disquirere opus meum uis? quasi non possim tua uerba uicissim ego disquirere, atq; rimari, ego uero & in superioribus rimatus sum, & in sequentibus sic rimabor, ut nulla prorsus rima me fallat. Itaq; ut superius te uolentẽ percutere percussi prior, ne dicam tot uulneribus sautiaui, ipse adhuc ut spero absq; uulnere: sic nunc toto irruentem impetu præueniã, & ut confido uulnerabo. Quæro enim, nunquid accurate an oscitanter ista uerba protuleris, quæ disputationis causa in medium protulisti? Quorũ uerborũ, id est, proferre in mediũ, hoc significatum est, aliquid non dissimulare, sed ex animi conscientia quadam in commune proferre, qualecunq; sit alijs cognoscendum ac iudicandum. Neq; enim præceptor dum apud discipulos, aut disputator apud eos quibuscum disputat docendi aut uincẽdi causa quid profert, sicuti tu ais, dicitur proferre in medium. Adde quòd uis ea quæ in disputando dixi excogitasse, & confecisse. An non ita sunt tua uerba intelligenda? quod maiore cura & studio excogitasse, & cõfecisse te uerisimile est, q̃ ea excogitasti & cõfeceris quæ disputationis causa aliq̃n in mediũ protulisti. Quid est istud cõfecisti disputatiõis causa? Agnoscis nõ esse uerba eruditi, et q alios ut ineruditos possit incessere? ut quo ingenio quaue doctrina sis et eloquẽtia, à doctis hominibus iudicari possit. Superius de indoctis loquebaris, quos à me decipi aiebas, nulla habita mẽtione doctorũ, cũ illa adderes, ut posthac fallere indoctos homines ista futili uaniloquẽtia & loquacitate desinas, nũc oblitus quid dixeris de doctis solum facis mentionem, quos, O cerebrum fatuũ, docere uis, quasi uero

Proferre in medium.

sine te præceptore nequeant docti de ingenio meo doctrinaq; iudicare. Quod opus dicere non potes à te non esse editum, cũ illud iam regi obtuleris, & in eius bibliothecam, iampridem re ponendum dederis. Cur nõ inquisti, quod opus dicere nõ prodest tibi à te non esse editum, non emendatum id quod in quarta facis inuectiua: sed tamen inquis, dicere non potes à te non editum, quasi inquias, si forte respondebis à te nõ esse editum. Ego nondum sic responderam. Quo patet te prius contra me scripsisse hæc, quàm ulla à me contumelia affectus esses. Sed ut omissa iniuriæ materia præsenti obiectioni respondeam, quàm uerum est prouerbium illud, conscientia mille testes. Quia scis non esse editum, ideo ad sic loquendum inductus es. Edideram? Cur non ab alijs accommodato accepisti? in bibliotheca repo nendum dederam? cur non ab rege legendum petisti? Sed quid argumentis colligo, quod regis pronunciatione finitum est? Primo autem loco quod ad elegantiam, secundo quod ad dignitatẽ historiæ, & ad artem pertinet, errata tua demonstrabo. Non de dignitate orationis, qua de & elegantia Cicero adhuc iuue nis præcipit: sed de dignitate historiæ loqueris. Esto, lapsus sis, de dignitate quæ pars eloquutionis est dicere uolebas, aut superuacuum est illud, historiæ. Atq; ut hic supererat, ita illic uerbum deest. Ais enim, artem, quasi sine apposito intelligatur oratoria. Est'ne hic purus & integer sermo, quod tu in me re quiris inquiens? FAC. In operis tui titulo, qui esse debet omni uitio purus & integer, sic scribis. LAV. Agnosce hic quoq; quàm pure dixisti & integre. Non scribo titulum, sed in titulo. Quid in ipso scribo? nempè titulum. Quid hoc sermone minus purum, quanquam quæ pars operis debet esse non omni uitio pura nec integra, uel minus quàm titulus? Quid? illud integre dicitur, quòd uerba ista quæ mox reprehendis, ais tituli esse, cum longe absint non modo à tituli natura, quòd sunt

plusquã

plusquam sexaginta numero, ut ipse scis, uerum alia in pagina scripta sunt, quàm qua historia incipit unà cum titulo, qui hic est, Gesta Ferdinandi regis, est autem pagina hæc nuda, præterquam subscripto circulo quodam, uelut orbis terrarum, tumultuariè facto. FAC. Tres libri historiarum Ferdinandi quæ gesit. Vt omittam hoc loco quod ad explanationem attinet, in latinitate abs te uehementer peccatum est. Antecedenti enim, quod est fœminini generis, relatiuum quod est neutri generis reddidisti, quod etiam turpe esset puero prima elemẽta discẽti. LAV. Stultitia uestra singularis facit, ut non maligne uos facere existimem, & ita maligne, ut non stulte. Sed quia omnis malus stultus, stultitiæ uos pariter ac malignitatis accuso. Stultitiæ quidẽ, quia uitio datis, quod non uitiose dictũ, queat defendi: accipiendo nõ fœminini generis antecedens quasi quæ relatiuum ad historias referatur, sed ad neutri generis subintellectum antecedens, quod est eorũ: ut sit eorum, id est, earũ rerũ quas gesit. Malignitatis autẽ, quòd non modo mentimini de nomine ac loco tituli, ut dixi, uerumetiam disiungitis quæ iuncta sunt, & quæ disiũcta copulatis. Non ne spurcissimi delatores, punctum intercedit inter quatuor priora uerba & sequentia? Non ne ipsum Quæ maiuscula litera scriptũ est, tanquã principium sequentis orationis quæ est hæc? Quæ gesit & antequã rex esset, & factus rex & reliqua, ut ipse est indicio codex, quasi superior exponeretur oratio. Tres historiarũ libri Ferdinandi, id est, gesta Ferdinandi, siue ea quæ gesit ille & antequam rex esset, & factus rex. Nam historiæ etiã gesta dicuntur, quia in eis gesta cõtinentur. Vt si quis legens Liuium, nihil intersit an gesta Romanorũ se legere dicat, an historias Romanorum. Verum ineptij sit pluribus ad ineptias respondere. FAC. Europam tertiã orbis terrarũ esse partẽ ferè traditum est, eamq; Africa, haud multo maiorẽ quàm Asia minorẽ. Ma- Historiæ. Gesta.

Digitized by Google

gistrum te grammatice profiteris, & ignoras hoc latine dici non posse. Vt enim dicimus, Cæsar quàm Pompeius felicior, aut sic dici necesse est, si infinito uti uolumus, quod ante se quartũ casum postulat, dico Cæsarem feliciorẽ fuisse quàm Pompeiũ. Aut ego tardus sum, aut mei Aristarchi dormitant. Quid enim attinet de infinitiuo & accusatiuo loqui? LAV. Ad hæc quid simile uestro exemplo cum uerbis meis? præterea nihil apertæ reprehensionis affertis. Id tamẽ significare uidemini, uno mihi comparatiuo fuisse utendũ, ut uno uos usi estis in emendando.

Comparatiua geminata.

At Priscianus nõ uetat duo cõmitti cõparatiua, in suo præcepto utens hoc exẽplo: Tam iustior quàm felicior Aeneas Hectore fuit. Qui si dixisset tam iustior Paride quàm felicior Hectore fuit Aeneas, nihil admodũ à superiore forma receßisset. Quale fuit illud nostrũ, quod paulopost sequitur, Petrus multo maior cæteris fuit, tanto minor Maria quanto maior Helianore sororibus. Quem locũ si probauistis non reprehendendo, & hunc probatum uos iri necesse est. Qui nequaquã insolẽtior modus loquendi est, quàm ille quẽ idem Priscianus codẽ in loco affert, exemplo Ciceronis in Philip. Quis interpretari potest, impudẽtior ne qui in senatu, an improbior qui in Dolabellã, an impurior qui patre audiente, an crudelior qui in illam miseram tam spurce tam impie dixeris? Aut ille Liuij: Eo magis ruere in suos beluæ, tantoq; maiorẽ stragem edere, quàm inter suos ediderant, quanto acrius pauor cõsternatos agit quàm insidẽtis magistri imperio regũtur. Aut ille Cornelij Taciti, Calistus prioris quoq; regiæ peritus & potentiã cautius quàm acribus cõsilijs tutius haberi præstitit. Sed quid plura in uos magis dormitantes quàm loquentes? FAC. Horum lingua similior est mediterraneis Castellanis, quàm Catalanis aut Valentinis. Magis latine si dixisses q̃ Catalanæ aut Valentinæ, quoniã subaudis linguæ, nõ hominibus aut linguis. LAV. O Fatue, quũ dicitur Catalanæ

tulanæ aut Valentinæ quomodo ſubaudiri poteſt hominibus, id eſt, numerus pluralis? At dicere uolebas, quoniã hic quidẽ ſubaudis linguæ, ibi uero hoĩbus. Et ideo es fatuus, quanq̃ nondũ ſcio qd dicas. Subaudituŕ ne an nõ in meo ſermone hoĩbus? Ais, qd ergo inqs quoniã ſubaudis liguæ nõ ſubaudis hoĩbus? negas? At iſtud omnẽ ſuperat ſtultitiã, cũ adeo ſubaudiatur, ut iã pro ſuo quacuo ꝓpemodũ habeatur, apponi, nihilq; differat an dicatur Romani an Romani hoĩes: atq; ſignificare uolebas, linguã linguæ ſimilẽ, nõ hoĩbus ſimilẽ à me fuiſſe dicẽdũ. I nũc te alios patrũ pure, parũ integre, parũ latine locutos accuſa, qui tã inqnate loqueris. Magis latine inquis dixiſſem. Nõ igitur præter latinitatem dixi, ſed poterã latinius, ita ne uero hoc ſatis eſt tibi, præſertim in opere nondũ caſtigato, & expolito? Quis unquã ita totus ex odio & inuidia factus, hoc cuiq̃ crimini dedit? Ex quo quidẽ quãtopere caninã eloquentiã in me exerceas, datur intelligi. Ex quo quidẽ aũt quod ſubiungam, q̃ uere arguas, Cæſar ita inquit: Quoniã ad hunc locũ peruentũ eſt, & nõ alienũ eſſe uidetur, de Galliæ Germaniæq; moribus, & quomodo differãt hæ nationes inter ſe proponere. Cur nõ dixit Gallorũ Germanorumq;? Nũquid Gallia & Germania, quæ loca ſunt, mores habẽt? Cur natiões? Quid nomẽ homines ſignificans, cũ locorũ nominibus cõfundit? Quod ego nõ facio, qui linguã hominum cũ ipſis hominibus miſceo. Cæterũ ut hanc pecudẽ doccã, exẽplarepetã ex elegãtijs, ubi de hac re trado præcepta. Tu maiorem laudem aſſecutus es patre tuo tuisq; maioribus, quaſi laus tua ſit maior, quàm tuus pater, & nõ potius quàm patris laus. Vergilius: Non ſecus ignipotens, nec tempore ſegnior illo. cõparatur homo tempori. Cicero: Maiorem opinione cæpi dolorem, quaſi maior ſit dolor, quàm opinio, & non potius quàm ille dolor quẽ omniũ opinio fert me habere: quod ſermonis genus habet neſcio quid plus latinitatis & elegãtiæ. Et tu

Comparatio ad rem nõ uere ceſſam, imo ut Bad. notat n. alien.

peruersissime uis me, qui sic locutus sum, minus latine locutum. FAC. Quibus ob spem potiundi oppidi hactenus parcitū erat. Nunquam ulla ratione abduci à pertinacia tua poteris, quin perstare in eo uelis ut parco, is, contra Prisciani autoritatē & omnium ueterum ac iuniorum usum parcitum supinum faciat, cum à parsi parsum, à peperi uero nullum oriatur supinum. LAV. Imò uero tu nunquā poteris abduci, neq; à pertinacia, quin autoritatem Hieronymi arte & analogia fulctam nullam putes, nam Prisciani ut ostendi nulla est: neq; à temeritate qui mihi libertate doctos consulendi de hoc uocabulo interdicis, su prà, quod solitam iterum notam asperisti. quæ te ab ista temeritate retinere debuerat. Nunc postquā tibi respondi, te inuicē interrogo, quid opus fuit addere tua, quasi posim abduci ab aliena pertinacia? Quid etiā addere, quin perstare in eo uelis, quasi nō satis esset, abduci à pertinacia nō poteris, quin perstare in eo uelis. Cur etiā Prisciānū sequi malueris dicentē, quāto iuniores, tanto perspicaciores, quàm cæteros, qui iuniores acciuiunt in ætate iuuenili positos, ut si seniores in senili. Igitur no uos recētesq; debuerā, aut alio (multi enim sunt) modo dicere. Et sperabas, me quòd Prisciānū non utiq; sequar expauescere fateri, qui te, quòd illū sequaris, coarguere non reformido. Nec uideo cur hanc reprehensionem tos alijs ordinis primoribus præuertendam putaueris, circiter è medio libro traductā. Quo minus dubitabo unā & ipse, nec lōgius quatuor gradibus præuertere, nō ferens incredibilē etiam in homine cerebroso uesaniam, ut carpere audeat quæ à me scripta non sunt. FAC. Vt dimidium regni, qua parte ad hostes obiectum est, uelut fiduciarum pignus cedat fidei. Non fiduciarum à te dicendū fuit. Fiduciam enim nō pro fide, sed animi fortitudine à tuis hominibus usitatum inuenies grammaticorum princeps. LAV. Quænam sentētia cliceretur, malefice Scytha, ex ijs uerbis ultra fiduciarū

duciarum pignus, si sic scripsisſem? legisti'ne in illo tu codice pignus, quod scriptum non erat? legisti fiduciarum, quod scriptum erat fiduciarium? an non aperte scriptum erat, & quidẽ mea manu supraſcriptum, cum librarius omisisſet? neq; est te quòd errasſe in legendo causeris, quod aperte lucideq; scriptũ est. Nam uere poßum in hoc gloriari, si in minimis gloriari fas est, cum plurimi in figuris elementorum ducendis me antecellant, uix tamen aliquẽ planius, apertius, distinctius describere. An fortaßis ipse lapsus sum in scribendo? Nec ueriſimile est in uno uerbo, cum præsertim genitiuos plurales primæ ac secũdæ declinationis figurarum semper scribam, ut tertiæ nũquam, & testis est ipse codex, eritq; perpetuo, quem non modo quamplurimis ostendi, sed ijs etiam quos certum haberem utriq; falsario renunciaturos, quanquam, ut aiunt, gloriæ tibi ducis calumniari, utens ea sententia, quæ est in Vergiliano uersu: Dolus an uirtus quis in hoste requirat? Neq; enim solum quæ scripta non sunt legit, sed etiam quæ sunt scripta non legit, ut eodem tempore adijciat & demat. Nam sic scriptum erat, ut dimidiũ regni, qua parte ad hostes obiectum est, uelut fiduciarium ditioni ac procurationi Ferdinandi reddat. Imitatus enim sum T. Liuium, qui ait: Abidi Leoni Lacedæmoniorũ tyranno uelut fiduciariam dare, ut uictori suo restitueret. Et iterum Cæsaris commentarios, Paratam omnem ualetudinem esse confectam tædio puellæ fiduciario regno, donatione crudeliſima Ganymedis. Et iterum: Obstructum fide, eo quòd esset officij legati, qui fiduciariam operã obtineret, & in iure ciuili fiduciariã tutelã. Sed quia de iure ciuili fecimus mentionem, quis C. Aquilius aut Seruius Sulpitius, aut Sceuola, alius'ue, qui his succeſſerũt iuris consultorum, tam scite ac perfecte diffinire te docuit, fiduciam pro animi fortitudine usurpari à sanis, id est, à tui diſsimilibus? An cũ imperator in militibus negociatur, in pecunijs: mulier in Aeneid. ij.

forma fiduciam habet, sicut tu in mẽdacijs, qui sunt milites tui? in furtis, quæ sunt pecuniæ tuæ? in dolis, quæ est formositas tua? Animi fortitudinem habere diceris? minime, quia maior etiã sine his, quàm cũ his fuerit animi fortitudo. Nec tu fortis fuisti, qui tantam fiduciam habuisti in tua malitia, nunquã codicẽ meũ in manus meas reuersurum. Ideo etiã quod sequitur, ut ad tuũ ordinem redeam, eadem fiducia deprauasti. FAC. Res primo prospere ire, neminẽ præsidiariorũ cũ armis obuiam se ferre, pastores & eos raros ad primum incursum diffugere. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. Est enim maximũ uitium, & puerilis error. Quæ enim latine per nominatiuũ casum efferre debuisti, ea contra per accusatiuum protulisti. Sic enim dicendũ fuit, res enim primo &c. Finxisses saltem rem apud eos qui legerẽt credibilem. LAV. Taceo, quòd istud ipsum ego præcepi, debere nominatiuũ dari huiusmodi infinito, quod uim habet imperfecti temporis indicatiui. Quod ante Priscianum Quintil. quẽ propè ad uerbum teneo, de figuris uerborum tradiderat: desinam cætera de cõiectura loqui. Non ne plus decies isto loquẽdi modo in ipsis historiarũ libris usus sum? mentior nisi tu barbaro potito stultior, ut ait Plautus: unum illorũ locorũ in alium usum repetisti. Nostri stupere, dolere de quo posterius faciã mentionem. Quòd si hic somniculosa stultitia imperfectam orationẽ, sicut proxime, reliquisti cũ ita à me scribatur diffugere uident: id ego cordi tuo aut cerebro uitiato attribuo. Nisi quo tecum minus acerbe agam, incuriosis uerba mea collegeras ad reprehensionẽ, & in hoc, & in superiori loco, quæ postea recupera to à me codice, cũ illo tibi cõferre nõ licuit. Sin, quod uerius est, malitia, obtorto te collo in iudiciũ traho, & apud Paulum iurisconsultũ cõuenio. Itaq; uelut ad præsentẽ Paulũ ac iudicẽ loqui uolo. Scribis Paule ad legẽ Aquiliã, corrupisse tabulas rectè dici, & qui eas interleuerit. Posum ne contra Fatuum agere

Infinit. pro imperfecto indicatiui.

Quintil. de figuris.

actione

Digitized by Google

actione falsi, qui huius testamẽti mei tabulas clausi atq; signati, non modo aperuit, sed etiã falsò transcripsit, parte uerborum omissa? Interleuisse quid ni dicendus est, qui idem uitij tabulis imposuit, quod quid interleuerit, nisi fallor, falsi te Paulus, ni fa tuitatẽ excuses, omnibus bonis approbantibus cõdemnaret, ut hoc loco falsarius ita in sequẽtibus ineptissimus extitisti. FAC. Tubicines aũt cũ fremitus hostiũ ac tumultũ misceri cœpisset. LAV. Ego semper hic tumultus masculino genere legi: tu uero ubi hoc tumultũ inueneris nescio. Sed illud magis puto somniaueris. Cur tu te ipse diligẽtiæ magister in eo exẽplari qd recognouisti, & manu tua emẽdasti (quod nũc penes me est) te licet inuite nõ emẽdasti illud in quarta inuectiua, siue tuũ siue librarij uitiũ, mihi quoq; persuadeo q̃uis multa correpserim, cũ scribendum fuerit correxerim, illudq; à correpo ueniat hoc à corrigo, nisi pro corripuerim posueris correpserim. Verũ hic fortè magis abs te ipso peccatũ est, q̃ à manu oculoq; erratum. Quæramus aliquid simulius nostro. Inquis in secũda inuectiua, miserando cõspecto, ubi abs te inuicẽ quæro, ubi gentiũ, cõspectũ generis neutri inueneris? aut si masculini uis esse, ubi secũdæ declinationis? Quã insciti& etsi inscitus es, cadere in te non existimo, sed librarij incuria accidisse, aut fortasse tua, dũtaxat errãte manu oculoq;, nõ animo, quẽadmodũ interdũ lingua fit. Quod nõ modo cuilibet frequẽter usu uenit. Sed etiã Ciceroni leginus accidere solitũ. Ideoq; scripta sua illum Tironi liberto relegenda fere tradidisse, admonitũ fere aliquo huiusmodi erra to, quale est quod in prima cõtra Verrem actione, intra primos statim uersus (ut Pedianus notat) admisit solœcismũ inquiẽs: Si quis iudices aut eorũ qui assunt forte miratur, me q tot annis in causis iudicijsq; publicis ita sim uersatus, ut defenderim multos, læserim neminem, repente mutata uoluntate, ad accusandum descenderim, cum dicere deberet, ad accusandum descendisse.

Errata manus, oculorũ aut linguæ etiam Cic. Contra Ciceronem qui solœcismum commisit fecũ nunc aliter legitur.

Quòd si huiusmodi error in tantos uiros cadit, non ignorãtia (quod absit) sed securitate quadam, ut in loco perfacili: quãto tolerabilius erit in librario celeriter scribente, & in me celerius legente: præsertim tam facili occasione mutandi ultimam literam dictionis præcedentis, in eam à qua inciperet sequens, quod est usitatissimum, ut in tuis uerbis, finiendi eadem uocali substantiuum qua suum adiectiuum iunctum finiebatur. Quo fit, ut si uis me tibi tui peccati dare ueniam, des inuicẽ mihi tu mei, si quod meum est, dum intelligas multo te stultius in hoc labi, qui scias tua scripta in manus aduersarij uentura, & illũ in tali genere insectaris: quàm me qui prima deformatum opus manu, ei uiro priuatim ostendi, cuius sapientiam non elegantiã multam sciebam. Illud autem librario aut incuriæ, quod planè obsoletum & barbarum est, assignare non potes, in quo non semel laberis, quòd subiũctiuum ponis pro indicatiuo. Sed illud puto magis somniaueris, quod dicere debebas somniasti, nã ne mo aliter locutus est, aut adiecta coniunctione, puto quòd somniaueris. Sed ut suspicor cum hæc diceres, uere somniabas, at etiam pergis ad ineptias. FAC. Per id tẽpus temptata. Vbiq; hoc participium per m, & p, literas scribis, nescius illud non à temno, sed à teneo duci, quod supinũ facit tentum, per n, solam, sic etiam tento absq; p, scribi debet, quod ipsa uerbi significatio demõstrat. Tentare enim experiri est, uel inquirere, & uerbo uel re quasi manu tenere. Cicero in Paradoxis: Tentare uolui, an ita dicere possem ut probarentur. Idem in officijs: Tentata res est ab omni genere hominum. Vergilius in secundo Aeneidos: Vix primi prælia tentant Portarum uigiles. Idem in quarto: Tentarunt aditus ecquæ mollissima fandi Tempora. Nam si à temno ueniret spernere utiq; non experiri ac exquirere significaret. LAV. Si uelim huius nebulonis (cum hoc dico, de Panhormita etiã dico) uitia in scribẽdo persequi,

Coniunctiuus pro indicatiuo perperam.

Temptatus.

Tento.

rem

rem faciam legentibus odiosam, unum tamen dixerim, qui Græca ignorant, ut isti duo, eos nequaquam posse recte scribere duntaxat ex se. Affert mihi opinionis suæ hic & rationes & exempla. Ad utrunq; respõdebo. Ais à teneo fieri tento, eiusq; me uerbi participium semper, quasi nunquam nisi participio utar, scribere per p, & per consequens cum m, quæ litera non est in teneo, unde formari frequentatiuum hoc significatio ipsa demonstret, quæ est experior, & inquiro. O simia quid magis contrarium quàm experiri siue inquirere, & manu tenere? Quod inquirimus non tenemus, manu præsertim, & quod tenemus minime inquirimus, ut amator Clinia apud Terentium, cum peregre ad amicã rediisset inquit, Teneo ne te Antiphila mea? hoc est non inquiro te amplius. Et Liuius, capto à Sabinis Capitolio inquit. Tenuere arcẽ Sabini. Sed quid in solẽ lychnorum lumen inferimus? At exempla tecum faciunt, imò uero mecum: per p, enim & m, scripta negas: Et ipse inuicem nego sine p, & m, esse scripta, ut intelligas te aperte nil aliud quàm simiã esse, qui autores pro librarijs in testimoniũ citas, & uocc uteris, cum sit oculis opus. Siquidem exhibenda sunt uetera exemplaria, quibus, si emendate in cæteris scripta sunt, in hoc fidem habeamus. Quorum ego multa uidi, & ferè omnia cum mea opinione facere. Adeo his diebus Vergilij decem exemplaria uetustæ literæ inspeximus, in quibus erat cum in istis ipsis uersibus, tum in cæteris scriptum p, litera, & tu mendacio patre genitus, audes mihi inculcare exempla, tanquam tecũ facientia. Confutatis obiectis ostẽdam tibi magister sapientissime, si sine p, scribendũ sit tento aliam longe meliorẽ reddi potuisse rationem, quæ sese ingerit oculis nostris, tibi uni uelut cæco obscuram. Tendo rite facit tentũ, unde tentigo familiare Panhormitæ nomen, & tentorium & eius composita intendo intentum, unde intenti nerui uel cithararum uel arcuum. Extẽdo extẽtũ,

Tempto.

Tendo tento

Tentigo.

Digitized by Google

ut Vergilius, ut ſiquem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga ſolis iniqui. Contendo contentum, unde apud Ciceronem, Contenta uoce dicendū. Prætendo prætētum, ut Vergilius, –Prætentaq; littora uelis. Oſtendo oſtentum, unde hoc oſtentum. Portendo portentum, unde hoc portentum, cū haud dubie, intineo, extineo, pertineo, oſtineo, portineo, nō dicātur. Et ſi qua ſunt alia quæ à tenco uenire non niſi ſimia dixerit. Aſtipulatur huic quoq; analogia uerbi ipſius ſignificatio. Qui enim tentat quaſi manum tendit, aut aliam corporis partem in id quod experiri uult & exquirere. Hæ mihi rationes cum forent probe notæ, melior tamē ea uiſa eſt, quæ probat hoc uerbum per p, ſcribendum, quam probabo, non qualibus tu excmplis. Tempto. Etenim qui temptant quodammodo temnunt, audendo, experiendo, nec refugiendo quod ipſa exempla tua & cætera omnia confitentur. Temptare enim prælia, & aditus, & ſimilia, proprie eſt contemnere harum rerū periculum. Et ſi nonnihil fortaſſis ab origine ſua obliquatur ſignificatio, ut fit in tracto quod à traho, in nuto quod à nuo, in delecto quod à deligo uenit. Sed exempla rem magis patefacient, quibus diſtinguentur frequentatiua à temno, & tendo, uel potius à temno & teneo, de quo noſtra eſt cōtrouerſia. Plinius de naturali hiſtoria libro nono: In eodem genere cocleæ aquatiles terreſtresq; exerentes ſe domicilio, binaq; cornua protendentes, contrahentesq;, oculis carent; ideoq; corniculis prætemptant iter. A tempto hoc uerbum componitur, & à temno uenit, non à tendo, quia cornicula prætenduntur, nō iter. Quintilianus: Veſtigia plura ſemper errantium quæ non ualēt ſuſpenſis prætemptatisq; greſſibus librare corpus. Greſſus quoq; non prætenduntur, nō iter, ſed pedes ut faciant greſſus. Et hæc de temno & tendo: Audi apertius de temno & teneo: horū alterius compoſitū retineo facit frequentatiuum retento, cuius aperta ſignificatio eſt, ut

Significata primig. mutantia.

Delecto etiam a delicio.

apud

apud Vergilium, —Pars corpore tarda Retentat, qualis ne=
quaquam est in illo Ouidiano: Officioq; pedum nymphæ cõten=
ta duorum Erigitur, metuitq; loqui: ne more iuuencæ Mugiat Retento.
& timidæ uerba intermissa retemptat. Et iterum: Concidit &
digitis morientibus, ille retemptat Fila lyræ, casuq; fuit mira=
bile carmen. Addis alia magis inepta. FAC. Supter dextrum
femur. Supter per p, enuncias, quod per b, apud ueteres scribi= Supter.
tur, & apud eruditos ætatis nostræ. LAVR. Quos tandem
ueteres? eos ne quos superius ementitus es? At in eorundem li= Optinet.
bris lego optinet, opturus, & similia: & in multis suptus, er= Optutus.
go non aliter apud ueteres scribitur, licet tu, ut es hebes, dicas
à me enunciari alia litera dictionem hanc, quasi sic enunciaue=
rim, non scripserim. Scripsi itaq; magis belle dictionẽ hanc sine
b, quam tu illã cum b, in principio primæ inuectiuæ, substinui,
cum b, redundet, quod necessarium est in substitui. Transeo qđ Sustinuĩ.
sustinui pro continui accipis, ita enim inquis. Meq; substinui ad Substituĩ.
hunc diem ne quid omnino in te scriberem. De hac ipsa re post
duo capitula, iterũ me reprehẽdis tanquam magnum fuerit, hæc
duo loca cõiungere, quod ego pro te faciam. FAC. Quos dux
ipse putauit supticendos, ego quoq; supticebo. Tu utrunq; per
p, literam Teutonicorũ more, ego uero per b, antiquorũ more
enunciãdum puto, quem errorem ubiq; seruas. Sub enim quãdo
componitur cum dictione incipiẽte a, c, uel f, uel g, uel m, uel p,
in eas transit literas, ut succino, sufficio, suggero, summitto,
suppeto, in reliquis uero manet integra autore Prisciano. Sic
dicimus subblandior, subduco, subijcio & subtraho, licet Quin
tilianus dicat b, sequente t, sonum habere p, quod non debet
mirum uideri, cum Caius, Cnæus & Amurca, ut placet Seruio
quamuis per c, literã scribantur, tamen per g, proferri debeant.
LAV. Speraſti te mihi contumeliam facturum ex Teutonicæ Teutonicos de=
gentis similitudine, quasi deforme sit aliquid cum illis simile fendit Vallã.

habere

habere: at ego tibi apud illos inuidiam conflabo. Exiſtat igitur ex eis aliquis, qui te calumniatorem ut barbarum reprehẽdat, tum natura, tum lingua, tum in eo quòd ais hunc errorẽ à me ubiq; ſeruari, quod uitium nullus unquam Teutonicus admiſit, cum error non dicatur ſeruari, ſed admitti uel nõ uitari. Quid ais Teutonicorũ accuſator? ego ne cũ Teutonicis barbare ſcribo? Ergo Quintilianũ quoq; barbarũ facis, qui idẽ & facit & præcipit, nõ enim præciperet niſi faceret. At enim tu Quintiliani mentionẽ facis. Hoc ſtultius, hoc inſanius, qui & tibi nõ cõſtas, & cũ impugnas, quem nolles impugnatũ. Si Quintilianus hoc præcipit, ſi ita eſſe nõ debet, mirũ uideri, quid eſt quòd me illius præceptũ ſequentẽ accuſas, quẽ plurimi ſequũtur, ut uetuſta autorum exemplaria indicant, ſi modo ſequũtur hũc, & nõ prius ita ſcriptitabatur. Et Priſcianus cũ ait, ſcribo, nubo ſimiliáq; mutare b, in p, in ſupino, euphoniæ gratia, uelit nolit, idem debere fieri in cæteris confiteatur, cũ non plus loci habeat euphonia in ſcriptũ, nuptũ quàm in optimo, quo exẽplo Quintilianus utitur, aut in ſubticeo quo ego ſum uſus. Nã quod ais de Caius, Cnæus, Amurca, fatua ratio eſt, quoniam de ſcribẽdi differentia agimus, nõ de proferẽdi: nemo enim negat iſta aliter proferri ac ſcribuntur, ut apud priſcos etiã iamma, quòd uidelicet g, litera carerent. Hic aũt cõſtat ſic pronũciandum eſſe ut ſcribitur. At quomodo ſit ſcribendũ, id eſt in cõtrouerſia. Ego Quintilianũ ſequẽs dicentẽ magis audire aures illud p, & ſic ſcribẽdũ quoq; ut ſonat præter illa uetuſta, ut Caius, ut Cnæus, per p, ut pronuncio ſic ſcribo, quod tu negas eſſe faciendũ, imò pariter negas & ais, aduerſariumq; accuſas & purgas, in eadem re, quod nunquam fando eſt cognitum, & calumniator, & præuaricator. Quod tamen mihi cauſam ſcienti, minime mirum eſt. Scripſerat enim hic cõtra me, cum p, ſupter ſupticeoq; ſcribentem, nulla Quintiliani mentione habita: quid ni? quem

Error nõ ſeruatur ſed admittitur & non uitatur.

B, in p, uertitur ante c.

G, caruerunt priſci Latini.

nunquam

nunquam legit, eoq; nusquam eius alibi meminit. Is locus, cum cum Zombus Tauromontanus, uir bonus, & literarũ amator, qui inuectiuas rogatu autorũ ad Ioannẽ Olzinã attulerat, me tunc Romæ agente, legerat illi, notatus est ab adolescente quodam, quem ego Romam proficiscens, per manus Ioanni tradiderã, allataq; Quintiliani autoritas ex lib. primo. Ab illo enim quod ab his reprehenderetur, pro arte tradi, meq; hoc præceptum ubique seruare, & Olzina se & præcepti meminisse & usum in scribendo meũ agnoscere cõfirmauit. Hæc ubi Faccius accepit, nec tollere reprehensionem uolebat, ne perperam reprehendisse uideretur, & me uulnerare duobus ictibus, in supter & supticeo cupicbat, & tamen tollere stultitiæ suæ testimonium necesse habebat. Tandem fecit quod maliuolus, quod pertinax, quod fatuus. Iratorum infantium ritu maluit inutile telum iacere in longe positum hostem, quàm continere. Addidit itaq; Quintiliani ultimo loco mentionem, & in ipso codice, qui legebatur ad marginẽ, ut multi uiderunt, qui etiã sine adiectione uiderant. At enim Priscianus hoc tradit. Nunquid te, qđ illum imitere, reprehendo? ut tu me, quòd Quintilianũ, ut ostẽdi? Quòd si de facto utriusq; nostrum uis dijudicare, uter maiorem in grammatica sequatur ducem, sic habeto. Priscianum uix idoneum esse qui sit Quintiliani, uelut Agamemnonis, aut Achillis, aut Aiacis, aut Diomedis, aut Hectoris auriga. Plusq; hunc artis grammaticæ, dum oratorem instituit, per transitum aperuisse, q̃ ex suo ingenio illum omnibus suis libris, omni suo studio, omni sua ætate. FAC. In ceruicibus suis imminentẽ: male usus es ablatiuo casu, non enim hic locus imminet in capite meo, sed capiti meo dicimus, si grammatice loqui uolumus. LAV. Ergo & Liuius male usus est, parumperq; grãmatice, qui ait lib. XXIIII. Non castris metuens, sed urbis prodendæ occasionem nimis multis in eam imminentibus daret. Idem lib. XXV.

Quintilianus quanto sit Prisciano maior.

Immineo in rem.

Digitized by Google

xxv. Hannibal nõ Capuam neglectam, neq; ut in tanto discrimine, desertos uolebat socios, sed prospero ex temeritate unius Romani ducis successu, in alterius ducis exercitus q; occasionẽ imminebat. Ergo non per solum datiuum sic loquimur, sed etiã per accusatiuũ. Accipe nũc etiã per ablatiuũ. Idẽ lib. xxxiii. Nam Thauro magi à pilis sinuq; maliaco per lamiam eunti loco alto siti sunt in ipsis faucibus imminẽtes, quas cochle uocãt. Neq; ab hoc differt illud Ciceronis in primo de natura deorũ. Itaq; imposuistis in ceruicibus nostris sempiternum dominum quem dies & noctes timeremus. Cuiusmodi multa sunt uerba, quod genus hæreo. Vergilius: Hærent parietibus scalæ, & tamen Curtius: Hærebat in tergis fugientium uictor. Et Liuius: Et hærente in ipsis uisceribus utemur bello. Incũbo, Vergilius, -Incumbite remis. Cicero: Pergite adolescentes, & in hæc studia in quibus estis incumbite. Adsum, Quintilianus, Adfuisse Ciceronem huic causæ inuenio. Marcus Tullius: Adfuit in his omnibus prælijs Dolabella. Adscribo. Idem in Rullum. Illũ sibi collegam adscribentis. At pro archia: Cum fuerit in alijs quoq; ciuitatibus adscriptus. Hæc autem ideo retuli, ut intelligat hic, qui me grammatice admonuit, tale loquendi genus, quod ipse ueluti insolens admiratur, & corrigit, usitatissimum esse. FAC. Excitabatur machina duo de xx. carris imposita, procera scalam sustinens. Tu qui grammaticus es, & tot milia librorum (ut dicis) euoluisti, profecto ignorare non debuisti scalas singulari numero non proferri, sed plurali tantum, ut minas & calendas dicimus. Sallustius postquam unæ atq; alteræ scalæ comminutæ sunt, qui superfuerant afflicti sunt. LAVR. Euoluisse multos libros (ut tu cauillaris) magis indicat (si sapis) me hoc alicubi reperisse, ut uerum est, tibiq; monstrabo, quàm instruit accusationem tuam. Et tu hoc me uis ignorasse, non dico quòd ipse tot libros non euoluisti, non dico quòd hoc

Impono in re
Hæreo tibi & in te.
Incumbo rei in rem.
Adsum rei & in re.
Adscribo rei & in re.
Scala.

nescire

Digitized by Google

neſcire nõ potui, qui ſcirem à Quintiliano ſic ſcribi libro primo: Scala tamen & ſcopa, contráq; ordea & mulſa, licet literarum mutationem, detractionem, adiectionem habent, non alio uitioſa ſunt, quàm quòd plurima ſingulariter, & ſingularia pluraliter efferũtur. Non dico quòd de his uerbis in elegantijs ſcripſi. Scala à quibuſdam in ſingulari uſurpatur. Salluſtius cũ alijs quibuſdam oſtendit pluralem tantum habere, cum dixit in Iugurtino, Deinde ubi unæ atq; alteræ comminutæ ſunt ſcalæ, qui ſuperſteterant afflicti ſunt. Non dixit una atq; altera. Ex quo credibile eſt uos ingratiſſimos homines è meis iſtud fontibus hauſiſſe: ſed quia ſemper alibi ſcalas pluraliter dixi, ubi de ueris ſcalis loquebar, quibus Ferdinandus oppida expugnauit, planum feci non ignoratione me uſum ſingulariter ſcala, ſed conſilio. Quod meum conſilium tum neceſſitas excuſat, tum ratio ſubleuat, tum autoritas probat. Ego enim ſi huiuſmodi res eſſet narranda, cuiuſmodi illa Salluſtiana, nimirum eodem modo quo Salluſtius, ſuperius ipſe dixiſſem. Nunc cum in ſpeciem turris machinam deſcriberem, reformidaui plurale uocem, ne rei occæcarem intellectum, præſertim memor me regi ſcribere qui nec ita teneret argutias linguæ Latinæ, & ſæpenumero ſcalam legiſſet. Ob eam quoque rationem audacior, quòd Quintilianus non tam inauditum eſſe ſignificat, nam audierat & legerat, quàm inuſitatum. At non ordea legerat apud Vergilium, aliosq; multos? nemoq; reprehendere auſus eſt, quia ratio conſtaret. Eadem lege nec ipſe reprehendi debeo, ſi facti mei ratio conſtet. Nec nullius ſecutus ſum autoritatem, tametſi nullam tu quidam tanquam parũ, ut nunc loquimur, autenticum reijcere potes, qui tot milia librorum mihi lecta exprobraſti. Non modo Ambroſium, Hieronymum, Cyprianum, Hilarium, Auguſtinum, ſed ne incelebres quidem. unde in libro qui nomine Donati inſcribitur legi-

Scopa.

Ordea.

mus

mus. Sentes & sarcinæ & scopæ & scalæ: & in neutro sponsalia semper pluralia, sed nostri scalam dixerunt, hoc aduersus te magis maledicum in acie, quàm pugnacem satis erat: sed cæteris aliam probationẽ flagitantibus morem geram. Cornelius Celsus. Celsus, qui prior Quintiliano fuit, simili quadã causa, qua ego fortassis, singulari usus est libro VIII. At si uastius corpus & nerui coruini robustiores sunt, necessaria est scala lignea, & quæ crassitudinem duorum digitorum habeat, & longitudine ab ala ad digitos perueniat. Et paulo post de maiore scala inquit: Si brachium deligatum super scalæ gallinariæ gradũ tra Aquila. ijcitur. Romanus Aquila de schematibus, Climax quod Græci uocant, ascensus nominatur à nobis: malo enim ascensum quàm scalam, aut gradiculos, ut quidam dixere. His uerbis hic, antiquus sanè scriptor, & scalam à quibusdam uetustioribus dictã testatur, nec Latine dici negat, sed apte quodcunq; in numero respõdere Græco: alioqui numerum mutasset non nomen. De ueris scalis Caius apud Iustinianũ lib. XLIII. de furtis sic inquit: Qui ferramẽta sciens cõmodauerit ad effringendũ ostiũ, uel armarium, uel scalam sciens cõmodauerit ad ascẽdendũ. Et Panhormita qualis doctor homo furacissimus. postea facit Panhormitam iuris peritum atq; doctorẽ, cũ hunc ex iure locũ nesciat, qui ipsi deberet esse notissimus, homini ut spurcissimo, sic furacissimo. Siquidẽ in omni Italiæ urbe, ubicũq; pedem posuit, uestigia furtorum suorũ ac sordiũ, ut Harpyia, quædam reliquit. (De re libraria loquor) etiam ubi pedem non posuit, quod ne Harpyiæ quidem fecerunt, testis est oratio * ad regem missa, in qua contra hunc, ceu contra alterum Doctor per tabulas unigo. bulatus. Verrem, inuehitur. Sed non est quòd miremur ista ab eo ignorari. A Sigismundo enim tabulas habet, ut sit iuris doctor ac poëta, non secus ac si, quòd medicus, & uir bonus sit, tabulas haberet, quas æque facile impetrasset, uerum si me audiet, eas sibi pariter indulgendas curabit, quibus eum talẽ esse credam.

Fac.

FAC. Vt sit antẽ intra intimã fossam machina procũbens scala. Rursum indocte in superius uitium incidisti, nam procũbentes scalæ, nõ procũbens scala dicendũ fuit. LAV. Quid igitur cen ses? alibi singulariter, alibi pluraliter, eandem rem dicere debui? Fatue, non uides si recte dici singulariter puto, non esse causam, cur ab ea, quam probo, uia deflectas, ne inconstans & sim & uidear. Simile quiddam superius quoq; feci sti, cum de supticendis & supticebo dixisti, tu utrũq; per p, ego per b, enunciandũ puto, quasi hæc essent pro diuersis uerbis habenda. FAC. Horum incolæ circiter ad tria milia. Non circiter ad tria milia: sed uel circiter tria milia, uel ad tria milia dicendum fuit: cum ad, & circiter in historia idem significent. LAV. Nonne in alijs locis posui circiter sine ad, rursusq; ad, sine circiter? Eodem igitur modo duo idem significantia, cum alterum me putarem ponere, posui, quo illa, penè ferè oppressit, & illud, multa multa, & illud res nõ tam sagittis ac iaculis, quàm telis iaculisq; geretur, & alia multa, quæ postea recuperato codice deprehendi, quæ tu non reprehẽdisti, id alioqui faciendi cupidus, uel quòd incuria quadam scribentis effusa intelligeres, uel ob hoc quoq; ne illa attingendo huius etiam loci non ignorantia uideretur, sed incuria. Et enim animus de ipsa totius corporis compositione sollicitus parua ista non respicit, frequenter aliter quàm scriptum est legit. Ita mens cum utrã harum præpositionum poneret cogitabat, manus ipsa inter moras deliberandi posuit utrãq;: quod postea oculus in transcursu lectionis non adnotauit, duoq; tanquam unum legit. Sed profecto stultius hæc ueluti crimina reprehenduntur quàm committuntur. FAC. Gnauæ acta opera: licet grammaticæ regula gnaue aduerbium & ignaue dici uelit, tamen gnauiter & ignauiter, sicut à firmus firmiter, à durus duri duriter usus tenuit, euphoniæ ut arbitror, id est, aurium suauitati cõsulens. LAV. Ego uerò uir impudentißime sic scripserã, ut po

Duo pro uno scripsit ut alterutrum deleat.

Gnaue.

Gnauiter.

Digitized by Google

ut potius nauata opera scribi posset, quàm gnaue acta opera cũ utrũq; reperirem, nam uarie scripta sunt Liuij exemplaria lib. 1. Quædam enim (quorum est unũ quod fuit Petrarchæ) sic scripta sunt. Execrantes nũc imperatorẽ, nunc gnaue actam ab equite operam, in quẽ modum locutum iste me corrigit. Neq; uerò attinet disputare de gnaue & ignaue, gnauiter & ignauiter: Cũ Nonius Marcellus in ucterum indagine de aduerbijs indiscretis loquens quæ in e, & in er, exeunt, dicat humaniter, parciter, insaniter, ignauiter, & de hoc ultimo tanquam nunc usitato exemplum Lucilij affert, tantum miror hunc nõ Nonium, sed nouum Marcellum conari hoc probare similibus exemplis, quæ contra ipsum faciunt. An non à firmus fit aduerbium firme? Cicero pro Archia: Quæ firme à me iudicialiq; consuetudine de hominis ingenio & cõmuniter de ipsius studio. Plinius ad Vrsum respondit: Fronto Catius grauiter & firme. Quæ exempla sunt plurima. Nec pauciora de dure. Quintilianus, Vt primo dure uidetur struxisse Pacuuius. Ex quo illud consequens est, cum falsò proposuerit, rationem quoq; ruere quam subiecit. Nihil enim in his aduerbijs factum est Euphoniæ causa, & alioqui quid suauius est in hac uoce firmiter, duriter, quàm in illa firme, dure? dixi suauius in uoce, non ut hic suauium liguritor, qui suauitatem ponit in auribus, non in uoce, cum dicere debuerit aurium uoluptati consulens, ita enim Cicero ait, quem imitari uoluit, in Oratore, si modo hunc librum legit: Sed consuetudini auribus indulgenti obsequor, & statim post: Impetratum est à consuetudine ut peccare suauitatis causa liceret. Et in eodẽ loco: Voluptati aurium morigerari debet oratio. Et quoniam de euphonia loquimur, uelim mecum recognoscas, Quid inter meum Quintilianum, & tuum Priscianum, si tuus est, quem ignoras, intersit in hoc grammatico uocabulo. Ille uno uerbo transtulit uocalitas: hic uelut fastidiens munitam ab altero uiam, transtulit duobus,

Erant e finita aduerbia.

Firme.

Dure.

Suauitas in uoce.

bona

Digitized by Google

Bona sonoritas, in qua interpretatione primum uitium est, quòd unum nomen in frustra diuisit, etsi Græce εὐφονία, ex duobus constat, tamen aliud est esse duo nomina inuicem distincta, aliud duo quæ in unum coaluerint: & laus linguæ latinæ est græcam proprietatem gratiamq; in transferendo uel æquare, uel quod optabilius est, antecellere. Deinde cum uox dicatur φονή, sonus φθόγγος, maluit à sono, qui non solius oris est, quàm à uoce, quæ ab Aristotele propria oris esse censetur, postremo à sonorus, quo uehemẽtia soni significatur, deducere: quod dictu absonũ est. At uocalitas suauẽ quandã, & plenã ex ore in auribus sedentẽ signficat uocabuli appellationẽ. FAC. Ex principio quidem cuniculi uni erant. Et hoc quoq; ex illa tua Laurẽtiana grãmatica depromptũ est: quòd ignoras non posse dici unos cuniculos, cũ cuniculum singulari numero dicamus. Vegetius, Inuentũ est remedium per noctẽ sub fundamentis muri cuniculũ fodi. Itẽ alibi. Aliud genus expugnationis subterraneũ atq; secretũ, quod cuniculum uocant, à leporibus, qui cauernas sub terris fodiunt, ibiq; conduntur, sic & Cæsar, sic Curtius. LAV. Subijcisq; horũ tria exempla in numero singulari, ò lepus atq; cunicule cauernarũ amator. Nunquid non reperitur in plurali hoc nomen? Cicero. III. offic. Si pater cuniculos agat ad ærarium, indicabit'ne filius? Et alibi milies: Et unum cuniculum dicere debui, non unos, cum sit huic nomini numerus singularis. Reprehendisses isto modo, talpa non cunicule, qui talpinos oculos habes, ignorantiæ membrana obductos, ad quod tibi respondere poteram me sic dixisse unos cuniculos, pro unum: ut binos cyphos, pro duos, & utrosque pro utrunq;, & unæ pro una. M. Tullius qui in Verrem sexta sic ait: Cyphos binos habebam, iubeo promi utrosq;, & alibi, Duplices similitudines esse debent, unæ rerum, alteræ uerborum. Sed & simpliciter, & ut res est, potius respõdebo me sic dixisse: unos cuniculos ut Ti-

Bona sonoritas. Euphonia. Vocalitas. Cuniculus.

Digitized by Google

tus Liuius binos: Neq; enim dicerentur bini, nisi dici possent uni. Erant enim duo capita cuniculorum, sed introrsum ipsi cuniculi multiplices. Itaq; nō unus, sed um necessario mihi dicendū fuit. FAC. Ideoq; inter eos reges ferè conuenit, ueluti conspiratos, & qui inter sè amant. Si grāmaticus esses, non utiq; conspiratos, sed conspirantes dixisses. Non enim à conspiror quod deponens nō inuenio, sed à conspiro neutro conspirans fit, cuius simplex neutrū est, non actiuū. LAV. Tria in se habet oratio, unū quo negas hanc uocē conspiratos inueniri. Alterum, quo docere uis, cur nō inueniatur, quod à cōspiror deponēti fieret, quod nō inuenitur à cōspiro neutro. Tertium, quo rationē hanc alia ratione fulcis. Ideo cōspiro neutrū esse, quia suū simplex spiro sit neutrū. In his cōfutandis ordinē retroagā, & quasi telā retexā more Penelopes. Ais quale spiro est, talia esse sua cōposita, ideoq; cū neutrū sit, eiusmodi & illa esse. Transeo cætera quibus mutantur à simplicibus composita, nónne à neruo neutro, & quidē absoluto, fit inneruo actiuū? à uado, inuado: à crepo, increpo, & ne longius euager, à flo, quod huic quo de agimus simillimū est, fit inflo & inflor? nō est igitur quod mireris à simplici neutro fieri cōpositū actiuū, sicut ecōtrario ab actuo fit neutrū, ut à rumpo, erūpo: à mergo, emergo. Hic tu mihi quod ad secundā pertinet questionē respondebis ab his uerbis formari participia passiuæ significationis, inuētus, inuasus, increpitus, non ut à me fit actiuæ quod propriū est deponentiū, quia à uoce neutrali siue actiua nō fit uox participij passiui actiua significatiōe. ita ne? unde igitur fit exoletus? quo genere hominū Panhormita delectatur, te ut aiunt subsæuiēte. Vnde adultus? unde complacitus? unde fluxa gloria? nónne ab exolesco, siue (ut Prisciano placet) ab exoleo? ab adolesco siue adoleo? à cōplaceo? à ueterasco? à fluo? Vnde ut propius uentā, coniurati nō à coniuro, sicut iurati & iniurati à iuro? Cicero, Si prædonibus pactū pro capite preciū non attuleris, nulla

Conspirati an conspirantes.

Cōposita uerba quæ genus simplicium mutent.

Panhormita pedico.

Digitized by Google

ris, nulla fraus est, ne si iuratus quidē non feceris. Et in eodem loco Actius, Iurauī lingua, mentem iniuratam fero, Liuius. Adeo ignauissimos hostes magis timemus, quàm Iouē, Martemq;, per quos iurastis? At ego iniuratus aut victor reuertar, aut propè te hic Quinte Fabi dimicans cadā, de cōiurare, & cōiuratis superuacuū est afferre exempla. Quare si ex cōiuro dicuntur cōiurati, quid est quod mirere cōspiratos fieri à cōspiro? Nā quòd ais cōspirantes fuisse dicendū, tum nō est ratio, nisi cōspiratos probet ratio dici nō posse, tum stultissima ratio, quia ista uoce significantur qui cōspirant nunc, ut cōiurantes, qui cōiurant nunc, nō qui coniurauerant: at ego de ijs loquor qui conspirauerunt, quos quo nomine dicemus? nonne conspiratos? ut eos qui coniurauere coniuratos? uides ut rationes tuas confuto, doceoq; me grāmaticum esse, non te? At enim inquis me exemplis defici. Accipe igitur me non grāmatice, sed latine quoq; locutum. Suetonius in uita Cæsaris sic ait, Assidentem cōspirati specie officij circūsteterunt. Et in Neronis: Multa & inania uerum non abhorrentia à natura sua creditur destinasse successoris percussorum summittere exercitus & prouincias regentibus quasi conspiratis. Et in Galbæ: Sed extractis rumoribus falsis, quos cōspirati ut eum in publicū elicerent, de industria dissiparant. Et in Domitiani, Cunctantibus cōspiratis quando & quomodo, id est, lauantē an cœnantem aggrederentur. FAC. In castra uersus. Nunquā apud historicos repperi huiusmodi barbariē, sed uel uersus castra, uel ad castra uersus, uel in castra sæpius. Et hoc uitio uteris penè omnibus in locis: ignarus quam uim habeant hæ præpositiones. LAV. Si historicos non omnes legisti, quid mirum apud eos te non reperisse? sed mentiris, reperisti. Verum non cuiuslibet est uenam auri repertam intelligere. Prius tamen quàm pro me respondeam, id est, ut reperi ostendam, uolo correctionem tuam correctoris more rimari. Iamprimum quē autorem habes, latine

Iniuratus.

Conspirati.

Versus.

dici uersus castra, cũ semper postponatur uersus, ut tenus, quẽad modũ in elegantijs tradidi? Ad hæc, quis te docuit ita magnã differentiã esse inter, eo in castra uel in urbem, & eo ad castra uel eo ad urbem: ut mihi id exiguũ cerebelli quod tibi erat, propter odium inuidiamq; profligare uidearis. Cum ad hæc responderis, opinionẽ cuius sequaris indicato, qui uis uersus esse præpositionem, num Donati? num Seruij? num Prisciani? non potes id dicere. Ergo stultitiam tuã secutus es, quæ facit ut dicas me nõ admittere uitiũ, sed illo uti. Quod si quãdo dicitur quis uti uitio, id fit cũ de industria facit, nec in uoce peccat, sed in iudicio uult uti, qualiter est quod philosophi rhetoricam criminantur uti uitijs, utputa affectibus, quos uitia censent. Audi itaq; quid inquit Priscianus, orientemuersum, & occidentemuersum. Hæc enim composita esse uidentur cum sub uno accentu proferantur, melius tamen dicemus quòd inclinant suppositanomina. Et iterum postea. Sunt quædam unam loci significationẽ habentia, quæ est ad locũ, ut horsum, seorsum, deorsum, sursum, sinistrorsum, dextrorsum: similiter aduerbia ostenduntur composita, nisi dicamus quòd uersus inclinat sibi suppositanomina. Nunc pro me tibi cum Cicerone respondeo, quẽ non minoris quàm historicum facies, qui in Lælio ait: Qui primus in forum uersus instituit agere cũ populo, an dices uersus participium esse? Accipe de fœmina dictũ, ut aduerbium scias esse: accipe ex historico, accipe ex maximo, accipe ex tibi lecto, accipe ex huius libro primo, ut fatearis te aurum quidem inuenisse, sed aliud putasse. Liuius igitur inquit: Ex superiore parte ædiũ in nouam uiam uersus. Habitabat enim rex ad Iouis statoris ædem, populum Tanaquil alloquitur. Cornelius quoq; Celsus lib. VII. Superq; eam homo deligatur, in id latus uersus, cuius auris eo modo laborat. Sed nullum profecto fuerit accommodatius exemplũ, quàm illud Plinij de coruo sutoris exanimato per inuidiam domini ab altero sutore uicino (quandoquidem cum

Versus non est præpositio.

Vti uitio.

Digitized by Google

dem cum gente mihi sutoria res est) Ita enim ait: Is mature sermoni assuefactus omnibus matutinis euolans in rostra in forum uersus. Tyberium deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat. Barbarí ne igitur Cicero, Liuius, Celsus, Plinius, existimandi sunt? cumq; his Laurētius, qui illos est sequutus autores? an uos uterq; barbarissimi, quos intra quatuor uersus sæpius quàm quater peccasse conuinco? Quo magis audebo hoc elegantiæ præceptum tradere: Cum urbium aut regionum nominibus citra præpositionem utēdum hoc aduerbio, ut Megaram uersus, Italiam uersus: cum cæteris adiuncta præpositione, ut in uiam uersus, in forum uersus. Hactenus de latinitate dictum sit. Potest enim satis intelligi, ac iudicari ex his qualis grammaticus sis: qui te in ea re Prisciano superiorem putas, dummodo dicas me ullo in loco superiorem aut parem, Prisciano fecisse. Non laboro quòd ais me ita de me sentire. Nam de alieno animo ut improbo quēpiam iudicare, apud eos quibus non probat, magis suam quàm alterius improbitatem declarat. Nunc explanationem, quæ est altera elegantiæ pars, spectemus. Nescio an lectores te accusantem uitia mea, an tua potius audituros se arbitrentur, cum nullum meū hactenus, plurima tua audierint. FAC. Tres libri historiarum Ferdinandi quæ gessit. Crassus profecto & supinus error hic est, nec ferendus in eo homine, qui historiam uelit scribere. Neq; enim historiam geri dicimus, cum nusquam usitatum est, cum historia scribi, res autem uel bella geri dicimus. Vt historiographi sit historiam scribere, imperatoris uerò rem gerere. Rem inceptam, inepta ratione, ineptis uerbis frequētat atq; onerat. LAV. Quid ineptius quàm credere me sensisse, historiam gestam esse à Ferdinando? Ex quo aliud etiā, quod superius obijciebat, confutatur, relatiuū quæ nō referri ad historias, quæ nō gerantur, sed gesta, quæ memorantur: deinde hoc ut ꝓbet, replicat, & inculcat

Versus constructio.

Vsitatum.

Primigenius.

sæpius cũdẽ sensum, delectatus græco nomine historiographus, quod idem significat quod scriptor historiæ, cuius hominis ait propriũ esse historiam scribere, quasi hac uoce non ipso nomine græco declaretur. Ait quoq; nusquam usitatum, pro eo quod est nusquã inuentum. Non enim an hoc usitatum sit quærendum est, sed, quod satis mihi esse deberet, an usquam inuentũ. Si id ego sentirem, quod hic mihi fatuus obijcit. FAC. Et cum cæteris alijs. Nunquã bone uir hoc sermone usos bonos autores inuenies. Nã cæteri & alij nihil differunt cũ cæteri omnes, & cæteris omnibus apud Liuiũ frequentißimum sit. LAV. Per ironiam compellas me uirum bonũ, quasi uerò si in uerbi proprietate lapsus fuero, uiri boni nomen amittam. Vir grauißime ac modestißime, & ut ipse ironice loquar, atq; adeo uir syncerißime, qui pro certis maluisti legere cæteris, propter ambiguum scripturæ ob apicem illum quo cẽtis & cæ̃tis abbreuiari solẽt: poteram autẽ multo facilius ego defendere dici posse, alijs cæteris, quàm tu probares, aut hæc duo idẽ esse, aut illa duo idẽ non esse, quæ tu pro diuersis exẽplis protulisti, cæteri omnes, & cæteris omnibus. Sed malui te, ut malum uirum reprehẽdere, qui me bonũ uirum appellas. FAC. Alphonsi primigenij. Hoc uerbũ nouũ est, quod ut à naui scopulus, sic à disertis hominibus fugiendũ est. Id autem à Varrone, ut arbitror, suffuratus es, sed uerbi uim ac proprietatẽ nõ intellexisti. Ille enim primigenia uerba primariæ positionis, id est, à nullo deriuata appellat, quod uerbũ in istũ sensum, nisi impudenter, transferre nõ potes. Si primogeniti dixisses, usitato, uulgari tamen & nõ eleganti uocabulo usus esses. LAV. Sed qs est tam uerborũ inops, te excepto, qui nesciat primogenitum per circuitionẽ honestius explicare, cum illum uel è regijs filijs natu maximum, uel maiorẽ fratrum, uel inter regis liberos ætate antecedentẽ dicere posßimus? Sic Cæsar &c. Subijcisq; ex Cæsare ex Iustino, ex Liuio exẽpla, quorũ primus dixit ex duobus filijs

maior,

Digitized by Google

maior, & ex duabus filiabus, quæ ætate antecedebant: Secundus ex multis filijs maximus natu. Tertius ex duobus filijs maior. Ante omnia pro ratione affers præceptum Cæsaris ex primo de analogia libro, qui ait: Tanquã scopulũ fugiamus infrequẽs atq; insolens uerbũ, quod tu præceptũ solita stultitia corrumpis, qui non de omni nouo ut dicere uolebas, sed de hoc solo fugiendo dixisti. Quid igitur? est ne nouũ hoc uerbũ? minime, tuo ipsius testimonio. Hominẽ mente captum, qui fateris à Varrone usurpatum. At enim non proprie sum usus, quia non in illum sum usus sensum: quasi uerõ nõ liceat significationẽ mutuari è proximo, ut quasi non aliter accipiatur hæc dictio. Disce igitur quàm uere sentias, quàm uere reprehendas, quàm apte contra me autores afferas. Postremo quàm Liuianus sis, ut uideri uis, quẽadmodum Prisciani familiaris. Is lib. XXXIIII. ait: C. Scribonius qui prætor urbanus eam dicauit, ut ædẽ fortunæ primigeniæ in colle quirinali dicauit. Q. Martius duumuir ad idipsum creatus. De hac ipsa fortuna inquit Cicero de legibus, uel primigeniam à gignẽdo. Est ne hæc significatio idem quod primitiua & primariæ positionis, & à nullo deriuata, à nulloq; genita? An idẽ quod primogenita? Quid adeo parum studiosi estis, ut nec in priscis monumentis legeritis, nec apud libellos à quibusdam de huiusmodi uetustate confectos, primigenius primigeniaq; pro primo primaq; liberorum? Nonne in alium sensum quàm est ille Varronis Pompeius Festus, quem nonnunquã probationis loco afferetis, exponit inquiens, Primigenius sulcus dicitur, qui in condenda noua urbe Tauro & Vacca designationis causa imprimitur. Habetis ergo contra uos præcepta, exempla, & eam quam pro uobis attulistis autoritatem. At cur potius primigenius quàm primogenitus? quod usitatius erat dicere malui. Profecto non eo fastidio, quo uos putidi, qui ob id solum existimatis inelegans, quia apud solos ecclesiasticos reperitur, quos uulgares appellatis. Di

Primigenius sulcus.

tis. Discite à me, quem uobis hostem effeciſtis. Fas est, & ab hoſte doceri, quos etiam ſi nolitis docebo. Non enim inimicus inimicis uobis, & ſi hoſtis ſum, ut de male meritis bene merear, quippe hoc dicere pro mea nunc defenſione non cogor. Primum latina nomina cum cõponuntur, non o, quod græcum eſt, ſed i, amant: ut enim illi dicunt Diſcophorus, Paſtophorium, Theologus, Sarcophagus, Protomartyr & ſimilia, quo de genere eſt Protonotarius, ex priore parte græcum, ita nos armiger, penniger, corniger, luciſer, auricomus, ſonipes, lapicida: & (quæ huic de quo agimus cognata ſunt) Primipilus antiquum ſanè nomen & Primicerius, nouum quidẽ & ab eccleſiaſticis inuentum, ſed quo neceſſario utimur: non ut unigenitus durante adhuc uetuſto unicus dicimus, non primopilus, primocerius, unogenitus. Ergo nec primogenitus, ſed primigenitus ratio poſtulat, quod ad primam dictionem huius nominis ex qua compoſitum eſt pertinet. Deinde quo ad ſecundam, huiuſmodi compoſita non gaudent participijs, ut cælicola, agricola, publicola: non cælicolens, agricolens, publicolens. Item phœbigena nõ phœbigenitus, nubigena, nõ nubigenitus, alienigena, non alienigenitus, indigena, nõ indigenitus. Qualia ſunt apud Græcos, Hermogenes, Diogenes, Protogenes, Antigenes: ex quo apparet dure componi primigenitus: nam primogenitus uidetur potius non componi, cuius fons græcus eſt πρωτόγονος, quod ut quæſtionem concludam, & latinius, & ſi quid aurium cauſa faciendum eſt, ſuauius iucundius q; transfertur primigenius, quàm primogenitus. Verũ ſicuti ſcribens de rebus eccleſiaſticis, ac loquens fortaſſis ab iſtorum uſu non recederem, ita nunc libuit rationem, uetuſtatem, autoritatem, conſuetudinem, ſuauitatem potius amplecti. Nam quid dicam, de ueſtra circuitione nequiſſimi circulatores? nunquid inopiæ uerborum id feci, quaſi ullus ſit qui iſta uerba ignoret? quanquã me uere excepiſtis, qui mihi ignotũ eſſe fateor de eodem homine

Prior pars compoſiti græci o, latini i habet.

Primicerius.

Nomina non gaudent compoſitõ participijs niſi pro nominibus ſumptis.

dici

dici posse, ex regijs filijs natu maximum, & fratrum maiorem, quorum alterũ desiderat plures fratres duobus, alterũ respuit, prout in elegantijs copiose disputaui. Quorum exemplorum nullum huc afferam, sed unum ex ecclesiasticis, quos me uos imitari iubetis, cum tamen imitandos esse nolitis, & potissimũ ex Hieronymo (quẽ tu Fatue carpere soles, tu Panhormita perosus es) quendã uestri similem cõfutante: Si non est apostolus tertius, nescio quis Iacobus est putandus frater domini. Et quomodo tertius ad distinctionem maioris appellabatur minor, cum maior & minor nõ inter tres, sed inter duos soleat præbere distantiã? Sed quid alia? nónne superiora trium autorum exempla, quæ ipsi aduersarij afferunt, testantur de duobus dici maiorem, de tribus pluribus ue maximum? FAC. Cæteri multo plures sequuntur, nunquam hæc duo coniuncta repperi, uidelicet cæteri plures: nec sine uitio dici posse existimo melius, si prima dictione subtracta illud tantum dixisses multo plures sequentur: nam hoc nomine, nisi in rebus certis, & diffinitis non utimur: nisi forte putas, si rex in senatu dicat, Vnus loquatur, cæteri audiant, de absentibus etiam dici, uel de his quoque qui nondum nati sunt. Cum igitur libri quos polliceris, nondum à te scripti sint, cæteri plures sequuntur dicere uitiosum est. LAV. Somniare mihi, non loqui uideris, istam quã profers rationẽ, & eo magis, quòd quid impugnes, non libet fraudata meorum parte uerborum, quæ tamen extra historiam sunt in uacua illa, ut superius dixi pagina, quorum hæc ultima fuerunt. Cæteri de gestis ipsius Alphonsi multo plures sequentur. Quæ uerba nunc iste cauillatur, quòd à me nondum scripti sint illi libri, ideo non recte dici sequentur, quia nondum sequuntur. O uespertilio tenebris, quàm luce melius utens, non sequuntur dixi, sed sequentur. Quanquam etiam si sequuntur dixissem, quid uitij in sententia esset? quid absurditatis in uerbo? quid rationis tibi ad illam propositionem, quòd

q̃ cæteri & plures male coniunxissem? Quæ tamen non male, ut tu male sentis stultißimo stultior, ut ait Plautus, sed optime coniunxi, meliusq́; multo quàm tu dixisti pro definitis, diffinitis. Nã quis uel perfectorum oratorum, tale genus loquendi refugiat? Assunt tibi, rex, milites quos ad te ducendos prouincia mea tradidit mihi, cæteri quos alijs ducibus cõmisit multoplures sequentur, uel sequuntur. Sed quæ, malum, fames ista uestra est lacerandiq́; auiditas, ut dentem in osse rodendo iuuet exercere? FAC. Qui non iam præteritorum uirorum gesta narrent. Præteritorum temporum non præteritorũ uirorum facta dicimus: sed maiorum nostrorum, uel antiquorum, uel ueterum. LAV. Recte tu quidem, qui me doces, quo modo dicere debui: nam ista uerba maiores, antiqui, ueteres aut exciderant mihi, aut ignorabam. Sed uicißim discas etiam præteritos dici posse, uerbis Suetonij, in Titi uita, Cuncta præteritorum suorum monumenta operibus ac templis destinauit, & Ciceronis in Bruto: Nam nec istos excellentes uiros, nec multos alios præstantes ciues respub. perdidisset. Sileamus inquam Brute de istis nec augeamus dolorem: nam & præteritorum recordatio est acerba, & acerbior expectatio reliquorum. Itaq; omittamus lugere, & tantũ quid quisq; dicendo potuerit, quoniam id quærimus prædicemus, & Victorini, quæ uerba nostris similia sunt historia gesta præteritorum cõtinet. FAC. Hæc nos in uniuersum esse præfatos. Apud elegantẽ scriptorẽ, bonarum literarum ignare, non in uniuersum, sed in genere scriptum reperies. Bonæ literæ non habent in uniuersum. LAV. Quas tu primoribus tantum labris degustasti superbißime indoctorum? legisti Tacitum? legisti Celsum? legisti Columellam? dij boni quos & quantos autores? legisti Iurisconsultos? minime. unde ergo nosti, an ipse apud istos legerim? legisti Quintilianum? Senecam? Plinios? dices te legisse. At ego non legisse conuincam. Quintilianus: Quare singulis cõsilium ex propria ra

Diffinita.

Præteriti.

In uniuersum.

pria ratione nascetur: Illud in uniuersum præceptũ sit, ut ab ijs quæ lædunt, ad ea quæ prosunt refugiamus. Et iterum: Ego in uniuersum neq; oratores puto unquã præuaricari, neq; litem intelligo, in qua pars utraq; idẽ uelit. Seneca de naturalibus quæstionibus: Hæc in uniuersum de uẽtis diximus. Plinius libro XVI. Nunc celeberrimis arborum dictis, quædam in uniuersum de cunctis iudicanda sunt, & de eadem re libro sequenti: Ante omnia in uniuersum, & quæ ad cuncta arborum genera pertinent, in cõmune de cœlo terraq; dicemus. Et in eodẽ: Et de arboribus quidem fructus gratia ferendi inferendiq; in uniuersum sunt dicta. Vides quot & quantos autores tibi ignotos ostendo, alũno bonarũ literarũ, aut potius bonarum caprarum cum tuo Panhormita: qui uelim uicissim ostendatis, quibus in literis, aut quibus in littoribus scriptum pro hac dictione legatis in genere? FAC. Prima & posterior pars &c. Cum multũ in prima tum multo plus in posteriori parte. Quis te hoc modo loqui docuit barbare, ut primum & posterius correlatiua facias? hoc ne pueri quidẽ ignorant, grãmaticæ rudimentis imbuti, primũ & postremũ uel secundũ, & itẽ prius & posterius correspõsiua esse, non autẽ primũ & posterius, si quis proprie loqui uolet. LAV. Quid si quis loqui proprie nolet nõ erunt ista correspõsiua: & correlatiua? ubi tu hæc tam propria, tam nitida, tam latina uocabula comperisti barbariæ hostis, imò hospes? etiam rudimentis pro præceptis, cũ docti nomen hoc pro principijs quibusdam accipiant, ut ponere rudimenta militiæ, per hæc probaui te esse Barbarum, quòd ex infima plebei sermonis fece uocabula hauris, nunc probabo me nõ talem esse: nam quid obest quin ita dicamus? Quæ continentur in hoc primo libro ad posteriores etiam spectant. Instituo hæredes mihi nepotes ex filio: Eum quidem qui primus nascetur, quem nomine meo appellari uolo, ex besse: qui autem posterius ex triente, & si plures fuerint ex æquis portionibus. Ac ne aliunde quæ infinita sunt & Rudimenta.

omnia

omnia repetantur exempla, audi quid in hac re præcipiens in ter
tio de elegantia libro dixi. Primi nos uenimus, uos posteriores,
ille ultimus, primus ego intraui uallũ, tu serior, illi tardissimi. Ex
quo nemo dubitare potest, me & recte, & quod maius quiddã
est, de industria sic dixisse. FAC. Filiã primigeniam, quod no=
men propriũ eius est, cuius futura successio. Nunquã tibi hoc cõ
cessero, nisi probatum autorẽ ostenderis, ut primigenia appelle=
tur ea ad quam regni successio pertinet. Quod si feceris, tibi ho
mini indigno seruire non recuso. LAV. Si de uocabuli sen=
tis, & si stultum erat iterum mouere quæstionem, iam tibi satis=
feci, id est, meum mancipium es. Sin de re nihil ad elegantiam, tu
tamen ostendi tibi autorẽ postulas. Iterum dicam si de usu uoca=
buli sentis, istud uero feci: sin de re, fatuum sit autores citare. Ci=
ta si libet Hispanos, an apud eos, qui quæ uc succedere speratur
patri in regno, & sit & uocetur primogenitus primogenitáue?
Ego id, quod à me exigis, ostẽdi apud autores primigeniam in=
ueniri. Quod cum ita sit, in seruitutem te asserο, quoniã ex præ=
scriptis uerbis mancipium meum effectus es, aut certè seruitutem
seruire debes: quã si recusaueris, tibi meo iure catenas inijciam,
& frustra clamitantẽ in ergastulum uel adducã uel pertraham,
mutato iam nunc nomine, ut seruis assolet fieri, proq; Barptole=
mæo uoceris Ligurio. FAC. Nihil obstante eo: Pædagogice sa=
Ne pro nec. nè ac uerè Laurentiane dictũ, Quanto elegantius si dixisses, ne
illud obstat, uel nec illud impedit. LAV. Elegantius inquis si
dixissem, ergo non ineleganter dixi. Cur igitur Fatue reprehen=
dis? nec me, ut scias, solum reprehendis, sed propè omnes autο=
res: an non legisti apud Curtiũ? Quia quamalte penetrasset te=
lum lorica obstante non cognouerant. Plura afferrem exempla,
si quam tua reprehensio præferret rationis speciem. Transeo in
te, quòd ne pro nec nullo exemplo dixisti. FAC. Rex aliquan=
diu cum prolem non sustulisset. Si non susceperat ex uxore libe=
ros, ma

Tollere.

ros, male à te dictum, cum tollere emittere significet: si uerò sus-
ceperat, recte. Iuuenalis, -Tollere dulcem Cogitat hæredem.
Terentius: Quicquid peperisset decreuerunt tollere. LAV.
Quid primum in Fatuo fatuè dictum castigabo? cum in paucu-
lis uerbis tot peccata committat. Volo illud, quod non tam exi-
guæ doctrinæ, quàm exiguæ prudentiæ est, primum notare: nam
quis huiusmodi criminis incertus in iudicium quempiam uoca-
uit? si ais te occidisse hominem, cædis te accuso: sin negas, non
oportuit te uocatum in iudicium, neq; tibi negocium exhibitum.
O calumniator, ò Fatue cur me accusas? an quòd sperares reũ,
si negando posset elabi, crimen confessurum? nec minoris, quæ
sequuntur, imperitiæ, quàm hoc imprudentiæ, & impudentiæ:
unum, quòd cum Nonius uelit à ferò fieri præteritum sustuli, tu
utique à tollo fieri ais. Alterum, idq; multo grauius, quòd igno-

Tollo liberos.

ras tollere siue sustulisse liberos, esse idem, quod suscipere, siue
suscepisse liberos. Et quò sit insignior imperitia tua, testimoniũ
contra te profers, & gladium quem in hostis pectus defigere
uis, temulenta manu in tuum defigis. Audi itaq; quid de isto uer-

Sustuli.

bo in elegantijs tradidi. Sustuli filium, id est, suscepi filium. Item
sustuli filium, id est, educaui, & ab utroq; fit sublatum. Primum
est à tollo quod est capio, secundum à tollo pro eo quod est
educo. Paulus tamen, Intelligendum est, inquit, de his legem sen-
tire, qui liberos tollere possunt: itaque si castratum libertum iu-
reiurando quis adegerit. Dicendum est non puniri patronum
hac lege. Et Quintilianus, Cupidus ego liberorum uxorem du-
xi, natum sustuli, filium educaui, in adolescẽtiam perduxi. Aliud
est igitur hic sustulisse & educasse. Et alibi? Qui ex duobus legi
timis alterum in adoptionem dederat, alterum educauerat, sustu-
lit notum. Ociosum sit pluribus exemplis uti, quæ sunt infinita,
cum suo ipsius testimonio confutetur. Nam Iuuenalis de susci-
piendo sentit hærede, non de educãdo. Quis enim de hærede qui

filius

filius sit educendo deliberet, cum sit dives: nam ita inquit:
Sed placet Vrsidio lex Iulia tollere dulcem
Cogitat hæredem cariturus turture magno.
Mullorumq; iubis & captatore macello. *Statimq; post,*
Quid fieri non posse putas si iungitur ulla
Vrsidio, si mœchorum notissimus olim,
Stulta maritali iam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini,
Quid quòd & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? ò medici mediam pertundite uenam.

In quibus uersibus Iuuenalis ait, Vrsidium tanquã placeret sibi lex Iulia de adulterijs, desistere uelle ab hoc crimine, & ducere uxorem, procreandorum liberorum gratia, Certè Alexãder ex uxore liberos nõ educauerat. Atqui apud Curtium ait: Ego ipse Ortoxartis Persæ filiam mecum matrimonio iunxi: non dedignatus ex captiua liberos tollere. Sicut de Neronis patre Suetonius: Decessitq; Pirgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone, ex Agrippina Germanici genito. Pater Neronis filium uix uidit, Alexander ne uidit quidem, utpote nondum natum. Papinianus libro XXXI. *de legatis & fideicommissis secundo: Mando meæ filiæ pro salute solicitus ipsius, ut quo ad liberos tollat, testamentum non faciat, ita enim poterit sine periculo uiuere. Sed quid iterum ad exempla reuoluimur, quasi necessaria?* FAC. *Quos prius iurauerant populi in se regnaturos. Exquisita profecto, & Laurentio digna oratio: elegantius si ita dixisses, quibus populi iureiurando fidem dederant, sese illis potestatem regnandi facturos: aut sic, sese illis regnum permissuros.* LAV. *Prius deridet uelut improprie barbareq; locutũ me: dehinc ait, potuisse dicere elegantius. Quo quid ineptius, ac magis ridiculũ? Sed cur quæso elegantius? An unquam legimus fidem iureiurãdo datam, cũ præsertim desit præpositio huic ablatiuo. Adde dignã*

uinoso

uinoso sententiam, populos facere regi suo regnandi potestatẽ. Facere potestatem nos alicui earũ rerum intelligimur, quarum ius arbitriũq; habemus. Ego si exquisitius scribere uoluissem, & nõ aliquid in operis retractationẽ reseruassem, ita dixissem, Quos populi iureiurando adacti erant passuros esse regnare, non desideratur hic præpositio ut superius in iureiurãdo: quẽadmodum in elegantijs, cum de tollo dixi, nõ necesse habui de fero facere mentionẽ, ut tu in reprehendẽdo. FAC. Ioãnes est rex. Dicite omnes. Rex Ioannes, Facete sanè dictum. Dicite io pæan, & io bis dicite pæan. O Barbare inepte homo, ecquid te pudet huiusmodi sermonibus plebeis uti in historia regis amplissimi? LAV. Nunquid ego facete locutum induxi. Quid hic attinet facete dicẽdi habere mentionẽ? Quid etiam me deridere leuissime Panhormita? Agnosco sales tuos iocosq; insulsos. Nec intelligis, ò eximiã ingenij tarditatẽ, istum uersum mecũ facere, meq; subleuare, cum ita ego sum locutus, ut Ouidius secundum librum illius operis exorsus est. Quominus ut plebeio locutus argui possum utor sermone plebeio. Quid mirũ, cum à priuato uiro ad plebẽ habeatur oratio, & ab eo qui nõ admodũ facundus est habitus? Et tamẽ quid sordis in his uerbis inest? uestra potius oratio & inepta est, & barbara, q ecquid te pudor dixistis, pro ecquid te nõ pudet. FAC. Ita ne es eloquẽtiæ expers, ut ista eleganti ius proferre nescias? qui uix primas literas attigisset, is profecto non incultius hanc particulã expressisset. Siquod in te robur eloquẽtiæ foret, profecto sic dixisses: Ferdinandus cũ intelligeret præfectũ sententiã eius expectare, anteq; regem aliquẽ pronũciaret, elato in humeros puero: Hũc inquit, hunc regem statuo, hunc omnes regem, quod ei felix faustumq; sit, læta uoce ac plausu consalutent. Hoc modo bene uir rẽ sine dubio digniorem & concinniorẽ aliquanto reddidisses. LAV. Audc nunc negare te, aut stultissimo stultiorem, aut omnium

Facere potestatem.

Fero & tollo.

perueꝛſiſſimum, qui uerba mea nõ ſubijcis, quæ cum tuis com-
paras, quæq; poſtulas condẽnari. Quæ, ut iudicari queat, an ita
præ tuis contẽni debeant, ipſe ſubijciam. Ei defuncto, ubi Ferdi
nandus cũ omni cœtu procerũ regio more iuſta perſoluit, reli-
quum erat, ut is qui rex futurus eſſet, præfecti militiæ uoce nũ
cuparetur. Quẽ autẽ is nũcupauerit, inſtituto patriæ pro rege
habetur, & eius uocẽ cæteri læto cũ clamore excipiũt. Paulo q;
poſt: Hæc atq; huiuſmodi uerba præfectus exaudiens, ut tene-
bat manu uexillũ, ſtabat ante Ferdinandũ atq; omnẽ cœtũ, uti
ſe omni inuidia exſolueret, quem inquit me iubes, regis & fra-
ter & fili Ferdinande, nuncupare regem? Et paulo poſt: Sed
protinus, & quem, inquit, aliũ nuncupabis, q̃ Ioannẽ: qd'ſi non
audes, me imitare ipſum. Aſſumptoq; in humerũ infantulo, ſi-
cut erat ſtatura ſublimi, ex loco ſuperiore exclamauit: Ioannes
eſt rex, dicite omnes, rex Ioãnes. Vides Fatue illum, cuius non
erat munus officiumq; declarãdi regis in cõcione, nõ debuiſſe
fingi habuiſſe orationẽ, uel illa uerba & lõge à decoro abeſſe,
uel illud factũ, ut quis infantẽ humero ſuſtinẽs exordiatur ora-
tionem, uel illa uerba ut priuatus homo proceribus ac populis
dicat, hũc hũc uobis regẽ ſtatuo? Quanto decẽtius, quòd omnẽ
rem una, & alacri uoce expediuit, iubens ſecũ cunctos illũ ſibi
regẽ agnoſcere, & ita ſe ueritus habet. Quam tu ſpectãdam in
hiſtorijs (ut ex tuis apparet) uti minima pars ueri eſt, nõ pu-
tas: cõſectans quædam ueterũ uerba, tanq̃ ubiq; apta, fauſtũ fe-
lixq;, quia apud Liuium legis de Romanis loquentẽ: nõ ideo tũ
ad omnes gẽtes trãsferẽda, quæ ne à Romanis quidẽ uſurpata
ſunt ſemper. Lege Heliũ Spartianũ, Lampridiũ, Tremeliũ, Pol
lionem, aliosq; temporũ ſcriptores, & intelliges in declarãdis
Romanis principibus, magis noſtris uerbis actum, q̃ tuis: q̃bus
& hoc addere debebas, quod felix fauſtumq; ſit huic pariter
ac proceribus populisq; regni huius: & illud omittere, plauſu

Hiſtoriographi Romani.

conſe

consalutant: nã ubi repperisti apud Liuiũ in hisce rebus interuenire plausum? ubi plausum dici salutationẽ? ubi pronunciari regem? ubi expectari de creando rege sentẽtiam, tanq̃ res in iudicio agatur? L. ubi à me significatur id? agnoscis iam nebulo sceloquẽtius dici ista potẽrãt, & si nõ oportebat ob id me nũc insimulari, tñ abs te nõ poße dici eloquẽtius. FA. Omni humana ope destituti, iuuẽt Hiſpanã circũciſionẽ. Honeſtior eloquutio ſi dixißes, Afros Hiſpaniæ incolas, aut in Hiſpania degentes. LA. Quis te docuit Afros eſſe q̃ partẽ illã Hiſpaniæ incolũt, & nõ potius indigenas? qui etiã ſi, qd' minime credibile eſt, ex Africa forẽt oriundi, tñ cũ tot ſeculis incolant Hiſpaniã, nõ putare Hiſpanos eſſe abſurdũ eſt? idq; ad te dici nõ ferendũ, qui, quòd in Liguria natus es, te Ligurem facis, genitus ex Scytha. Ego certe audiui illos appellãtes ſeſe Hiſpanos et nõnullos etiã Scipiones. Itaq; & à cætera Hiſpania nõ niſi circũciſiõe diſſẽrunt. Quod nomen profecto multum ad breuitatẽ dicendi facit, quæ eloquutio abeſt à uerbis tuis, ut toga pro togatis. Id ſi tu putas parum honeſtum, non nominis boni, ſed hominis mali, atq; corrupti culpa eſt, ut ſi quid tibi bene oleat, quod cæteris male olet. FAC. Cæteras naues in ſalum deducit, Erras bone uir, quòd in ſalum addidiſti, cum deducere ſit de terra in mare nauim emittere. LAV. Poteram reſpondere non è terra deductas naues, ſed etiam è portu. Salum enim uocatur, quod maris extra portum eſt uentis obnoxium ἅλς ἁλός. Sed ego uolui ſignificare naues non modo emiſſas è terra, ſed etiam è portu et in liberum mare, quod declaratur ex ſuperioribus uerbis. Et eo diligentius naues inſtruit cauatq; quòd Hiſpanas iam in ſalo eße audiebat, quas fallere toties in traiectu non poterat. Cæterum quandoquidem Vergilium mihi protuliſti, cur is dixit, -Et littore celſas Deducunt toto naues. Certe ut ſignificantius loqueretur. Quid igitur? quam ob cauſam licet

Plauſus.

Deduco & ſubduco. Salum.

Subducere.

addere locũ, unde emittũtur, non ob eandẽ liceat addere locũ, in quem emittuntur? Iam uero eadẽ natura significandi est in subduco, quæ in deduco, satisq; est dicere subductæ sunt naues, ut idẽ: Quassatam uẽtis liceat subducere classem. Atqui Liuius inquit, naues Antiatum partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ. Eadem ratione ego dixi in salum deductæ, in mare. qua hic in naualia subductæ. Et sicut ipse non dixit subductæ in terram, ita nec ego deductæ in mare. Quid quòd etiam in mare deductæ sunt reperitis? ut apud eundem libro uigesimoseptimo. Die XLV. quàm ex syluis detracta materia erat, naues instructæ, & in mare deductæ. Et apud Septimium de bello Troiano scriptorẽ elegantẽ. Deinde Græci ueriti ne per morã interuentu hiemis, quæ iam ingruebat à nauigando excluderentur, deductas in mare naues remigibus cæterisq; nauticis instrumentis complent. Sunt igitur deduco & subduco eius generis, cuius obeo & defungor, quæ licet sine appositio plerũq; usurpentur, sed subintellecto: tamen cũ eo nonnunq; reperias, obijt mortem, defunctus est uita. FAC. Sub ipsum solis ortũ cõspicãtur hostium classem nõ longius à se quàm duodecim milibus passuũ, nec à terra quàm bis tantũ. Præclarius profectò sermo, & disertissimo homine dignus: nemo est certe tam rudis artis grãmaticæ pædagogus, qui non rectius & cultius loqueretur, unde didicisti bis tantũ dicere? à quo præceptore? profer nomẽ, nescis indocte, nescis duplum uel duplex à grammatico id dici, quod tu bis tantum. Si grammatice loqui uolebas, hoc modo dici à te oportebat, nec à terra plusquam duplo, uel duplici spatio. Sic uero eleganter, sic dicendum fuit. LAV. Conspicantur hostium classem non longius à se duodecim milibus passuum, nec à terra plus quatuor & uiginti. Si consultò & dedita opera facerent accusatores mei & præuaricarentur, uix ita nulla peccarent, sed instant, urgent, exagitant: & quasi nullum au-

torem

torem habeam, pro se ipsi sententiam ferunt. Cuius stultiloquij mox eos grauissime pœnitebit à me edoctos. Iam antequam faciam quærendum ab hoc eruditissimo pædagogo, an grammatice locutus sit, nescis duplum, uel duplex à grammaticis id dici, quod tu bis tantũ, quasi subaudiri queat uerbum dicis, quod ideo nequit, quia oratio incipit à uerbo passiuo, & idcirco dicendum fuit, quod à te bis tantũ, ut subaudiatur passiuum dicitur. Nunc ut quæstioni satisfaciam, scire uelim, utrum magis eis uidetur absonum, bis tantum, an altero tanto? Opinor hoc secundum. Atqui Cicero non solum in oratore & alibi sic dixit: & in Plinio alijsq; nonnullis, & in Iure ciuili notus est hic sermo. Accedam propius, ter tantum, quater tantum, quinquies tantum, sexies tantum, in quo differt à bis tantum? profecto nihil. Ergo probatis illis, hoc quoq; tantum simile probatũ erit. In primo testis est Plautus in Persa, Ter tanto peior ipsa est, quàm illam tu esse uis. In secundo Hircius, siue Oppius, commẽtario gestorum Cæsaris XIII. Peditum, ac leuis armaturæ quater tanto. In tertio & quarto Cicero in Verrem, Reperietis quinquies tanto iudices istum quàm quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse. Et in eadem, Sexies tantum quãtum satisfit ablatum esse ab aratoribus. In ultimo, Plinius libro decimoquarto: Maroneũ uities tanto addito aquæ nascendum Homerus prodidit, ut iam bis tanto dici posse, sit improbissimũ negare. At exemplũ huius quoq; exigitis. Quid si proferam quo tandem uitio digni estis? nonne bis tanto ac ter, quater, quinquies, sexies, uities tanto quàm quanto me lacessistis? Legistísne Vergilium? nomenne illius uobis auditum est? non reor. Abditus autor est, apud raros uersatur in manibus. Quid eius commentatorem Seruium? hunc uero multo minus. Quis enim famulum notum habeat, cui sit eius dominus ignotus? Ex me quoq; utriusq; uerba audieris:

Bis tantum altero tanto.

Digitized by Google

-Tum tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditq; sub auras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus olympum. Quod ita
Seruius exponit, hoc autem dicit, tartarus ipse bis tantũ in præceps patet & tendit sub auras, quantus est suspectus, id est, altitudo ad olympum. Vultis apertius exemplũ, siquod esse apertius potest: Plautus in amphitryone, *Bis tanto amici sunt inter se quàm prius.* Idẽ in Menæchmis: *Ego tibi redimam bis tanto, pluris pallam q̃ uoles.* & in Mercatore: *Imò bis tanto ualeo q̃ ualui prius.* FAC. At Maurus cũ ad primum conspectũ totius classis aliquantulũ uela dimisisset: nonnihil, uel in deliberando, uel in præparando se ad bellũ repressisset. Craſsus nimium est error tuus, si bellũ à prælio non differre putas: cum bellũ totũ discordiæ tempus sit, prælium uero cũ manus conseruntur. Ita fit, ut in uno bello plura prælia cõmittantur. LAV. Si nũc à me erratum est, in elegantijs quoq; erratũ est, ubi hanc differẽtiã tradidi: nunquam ne bellũ pro prælio accipitur? Quid ergo significationis habet, cõmissum est bellũ apud Frontinũ? Vnde etiam præclara uictoria, commisso statim bello peracta est. Et apud Liuium: *Quo uelut omine belli accepto deos pro se commisisse bellum memorantes.* Aut gestum est bellum, apud eundem: *Bellum haud memorabile in Algido cum Equis gestum, fusis hostibus prius penè, quàm manus conserrent.* Aut initum est bellum, apud Quintilianum de apibus loquentem. In quas propria illa belli significatio uix cadit, illas maiorum pectorum totis pro rege castris procurrere, & inire bella: mortemq; honestam pro duce oppetere. Et tertium: Ad cuius conspectum & hostium animi labare, & Macedones acrius bellum inire cœperunt. Aut patrari belli, apud Sallustiũ. Ipsumq; regem haud procul ab oppido Cirrha armis exuit. Quæ postquàm glorioſe facta sunt, neq; belli patrandi copiam cognouit.

Bellum, prælium, certamen duellum.

Bellum cõmissum

Bellum gestum. Bellum initum uel inire.

Bellum patrari.

An-

Aut ipsum bellari apud Vergilium,-Pictis bellantur Amazones armis. Et apud Iustinum, Auxilia à Lacedæmonijs petiuere, quibus citatis, iterum præliantur. In eo bello Euthias & Hippolochus omnium tyrannorum sæuissimi cadunt. Cũ exercitus eorum ex quibus maior pars Athenienſium erat, fugeret, magna uoce Thrasymachus clamat, Cur se uictorem fugerent. Et apud Septimium: Pars ubi bellãdi tempus uidebatur. Et iterum: Vti progressus in medias acies, eundem Menelaum conquiescentibus socijs solitario certamine lacesseret. Igitur reducto ad bellum Alexandro, progressoq; in aciem. Et iterum: Sed postquam miles per multum diem bello intẽtus magis magisq; fatigaretur, & diei uesper erat, utrisq; cupientibus pugna discessum est. Et iterum: Signum ubi bellandi datum est, manus conserunt. Inter exempla non modo cũ suis uerbis implicitum cernimus hoc nomen, sed etiã illis liberum, quale est, ut unum adijciamus apud Curtium: Cũ castra Darij & Alexandri peruicina essent, Alexander legatis Darij sic respondet, proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum bellum paret: nec aliã, quàm expertus est, sibi polliceatur fortunam. Legati respondent: cum bellum in animo sit facere, eum simpliciter quod spe pacis non frustratur ipsos petere, ut quamprimum dimittantur ad regem eumq; bellum parare debere: dimissi nunciant adesse certamen. Feci'ne uobis planum etiam pro certamine, pro pugna, pro prælio accipi bellum? Cuius significationis est duellũ, nam duellũ olim tantũmodo dicebatur. Iuuenalis Satyra prima -Tecum prius ergo uoluta Hæc, animante tuba galeatum sero duelli Pœnitet. Nẽpe de prælio, nõ de alia significatione sentit autor, & Lucretius in secundo: Lanigeræ pecudes, & equorũ duellica proles. FAC. Hostem adipiscuntur. Improprie sane dictum: nã adipisci hostem nõ dicimus, sed nacti, uel assecuti, uel adepti sunt. Sic enim nanciscor uerbum, & nactus participium

Bellari.

Bellum pro prælio.

Duellum.

Digitized by Google

Adipiſcor adeptus. Nanciſcor nactus.

ſignificato differunt, cũ nanciſci acquirere ſit, nactus uero qui inuenit: ſic aliud adipiſci, aliud adeptum eſſe dicimus. Elegãtius igitur ſi dixiſſes hoſtem nacti, uel aſſecuti, uel adepti ſunt.

LAV. Quæro à uobis, eloquentiæ magiſtri: Primum quomodo ſimilia ſunt adipiſcor adeptus, & nanciſcor nactus: cũ primo ſi uobis credimus, plus ponderis habeat in ſignificando præteritum, quàm præſens: ſecundo contra. Deinde quomodo adeptus & nactus: cum ſimilitudinis plus habeat adeptus cũ nanciſcor, quàm cum nactus: adeptus enim id eſt, quod acquiſiui ſiue conſecutus, ſiue aſſecutus ſum. Tũ, quare quid ſignificet adipiſcor, relinquis in medio. Ego uero uobis probabo, uel ſæpe, uel ſem

Adipiſcor. per idem eſſe adipiſcor & adeptus ſum: rurſus idẽ adeptus qd nactus, & nactus quod nanciſcor. Quorum omnium exempla gradatim proferemus. Plautus antiquiſſimus ferè Latinorum in Epidico: Nam ut apud portum te conſpexi curriculo occœpi ſequi, uix adipiſcendi poteſtas modo fuit: adipiſcendi dixit, pro aſſequẽdi, ut ego. Quæritis hiſtorici exemplum? Audite Liuiũ lib. XXIII. Ipſum quidem agmen adipiſci æquis locis non potuit, populationem adeo effuſe fecit. Et in eodem: Cũ ad id ſpectator pugnæ cõſtitiſſet, libero campo adeptus, partæ uictoriæ fruitur territos cædendo. Et iterum, Veſtigijs inſtitit ſequi ad Venuſiam adeptus eum eſt. Et iterum: Tenuit tamen ueſtigia Boccar, adeptuſq; eum patentibus campis prope Clupeam urbem. Non ne ſi uultis adipiſci idem eſſe quod inuenire, adeptũ eſſe ſignificabit inueniſſe? Si uero adeptus pro aſſecutus accipitis, adipiſci pro aſſequi & accipiatis neceſſe eſt, cum tam aperte ab autore demonſtretur eadem res per hoc uerbum, ſola temporum natura differentiam faciente, ac ne faciente quidem: nam frequentiſſime tempus præſens uim præteriti optinet, & hoc modo à me poſitum eſt. Huius rei teſtimonio erit

Aſſequor. aſſequor, & eo magis, quòd hinc ſignificatio uerbi quo de agimus

agimus aperietur, apud eundem autorem est lib. XXVII. Nocte progreßum eum assequitur locis planis ac patẽtibus Marcellus. Perinde est acsi dixisset assecutus est, nec ad rẽ est an sic, an adeptus adipiscitur´ue, ut superiora exempla docẽt, dicatur. Et iterũ: Postero die prima luce profectus magnis itineribus, famam ac uestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem assequitur: Nempè adipiscitur, nã superius dicitur ad Venusiam adeptus est. Et iterum: Cũ expeditis Martium iam appropinquantẽ oceano assequitur. Palàm est igitur adipisci quidem idem pollere quod assequi, nec à suo præterito differre, quemadmodum nec assequi differt à suo. Meminerimus tamen hæc uerba nõ semper unã habere significandi figurã. Enimuero adipiscor quoties hominem pro apposito habet, aut aliquid simile, utputa animal, id habet significationis quam dixi, quasi perueni, siue inueni. Sin aliud, significationẽ habet acquirendi, sicut aßequor, ut apud eundem. Nec incuria adeptus erat quas petierat opes urbanas, nempè eo modo quo quis dicitur assecutus opes, honòres, magistratus. Cicero IIII. Tuscul. quæstionum: An ratio parum præcipit nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus te efferas insolenter. Et in V. Et enim stultitia etsi adepta est, quod concupiuit, se tamen nihil cõsecutam putat. Et ne multus in exẽplis sim, idem de senectute: Quo in genere est imprimis senectus, quam ut adipiscantur, omnes optant, eam accusant adepti. En liquet præteriti à præsentis significatu non discrepare. Huic simile est nactus, cuius in utranq; significationem testimonia probamus: In prima significatione apud Liuium, Crispinus & morte collegæ & suo uulnere territus, silentio insequentis noctis profectus, quos proximos nactus est montes, in ijs loco alto & acuto undiq; castra posuit, id est, cum inuenisset montes. Nisi maluimus exponere consecutus est mõtes, apertius de homine, ut Cicero: Eũ teneto

Adipiscor hominem & rem nõ uiuentem.

Nanciscor Nactus.

ſiquem eris nactus iſtis mortis & exilij minis. Sed de hac ſignificatione conuenit: de altera Terentius in Hecyra: Mi Pamphile inquã, amabo, quid exanimatus obſecro es, aut unde anulum iſtum nactus? hoc eſt unde acquiſiuiſti. Nam pro inueniſti non unde, ſed ubi diceretur. Liuius etiam clarius: Nobilis idem & popularis homo certe malis artibus nactus opes. Et iterũ: Cæterum Flauium dixerat ædilem forenſis factio Appij Claudij cenſura uires nacta: & alijs plurimis in locis apud hunc. Sed aliunde quoq; repetamus exẽpla. Cæſar cõmentario VII. Tandem Germani à noſtro dextro latere ſummum iugum nacti, hoſtes loco depellunt. Certe nemo qui in repugnantibus ſuperne hoſtibus in cacumen euadit, locum ipſum dicitur inuenijſſe, ſicuti, nec prædam. Siquidem ita VI. commentario, idem ait: Oblata ſpe Germani, quam nacti erant prædam, in occulto relinquunt. Vlpianus: Cum autem ſeruus libertatem nactus eſt, utiq; etiam tutelam habebit eius cui bona addicta ſunt. Iuſtinianus codicis lib. quarto de actionibus empti & uenditi: Curabit præſes prouinciæ compellere emptorem qui nactus poſſeſſionẽ fructus, percepit partem precij, quam penes ſe habet, cum uſuris reſtituere. Et Inſtitutionum libro ſecundo, de rerum diuiſione: Vtiq; ſi bona fide earum chartarum membranarum'ue poſſeſſionem nactus es. Et in tertio de emptione & uend. Cui neceſſe eſt, licet rem non fuerit nactus, precium ſoluere. Et in quarto de iudicio interdictis: Si modo nec ui, nec clam, nec precario nactus fuerit ab aduerſario poſſeſſionem. Et licet Iuſtinianus non fuerit ſanè elegans, ut ex collationibus ipſius datur intelligi, tamen in codice ſuperiorum imperatorũ decreta plerunq; repetit & inſtitutiones, cum ex aliorum Iuriſconſultorum, tum præcipue ex Caij inſtitutionibus commentarijſq; ſe compoſuiſſe teſtatur. Verũ ad elegantiores reuertamur. Quorum unus adhuc abunde erit Cicero pro Milone: Quonam

modo

modo ea, aut depellere potuissetis, aut ferre imperium, si ille nactus esset? Et de natura deorum. Eamq; potestatem quam ipse per scelus erat nactus quasi iustam, & legitimam hæreditatis loco filio tradidit. Et in Bruto: Qui autem aliqua occasione, & inuitis suis ciuibus nactus est, ipse imperiū ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptū, non honorem puto. Ecce pro eodem nactus & adeptus: præter id quod apparet, hinc quoque adeptus ab adipisci non differre, cum hoc significet acquirere, illud uero acquisisse. Quod cum ita sit, id etiam manifestum erit, quod tertio loco proposui, nec suum præsens à nactus discrepare, cum ego probarim nactus esse idem quod acquisisse, & aduersarij asseuerent nanciscì, idem esse quod acquirere. At enim dicetis aliqua ratione differre præsens, quod nunquam pro inuenio reperiatur, à præterito, nec istud quidem etsi ad præsentem non attinet quæstionem uobis concedam. Cum legamus apud commentarios Cæsaris sæpenumero occasionem nactus, quod uos haud dubie pro occasionem inuenit accipitis. Et quod loco nanciscitur occasionem, quod uos aliter quàm pro inuenit occasionem accipere non debetis. Verba autem hæc sunt. Vt mouendis castris pluribusq; adeundis locis, commodiore frumentaria re uteretur, simulq; in itinere, ut aliquam occasionem dimicandi nanciscereturr. Quale est Ciceronis de Republica sexto: Vel concidat omne cœlum, omnisq; natura consistat, necesse est, nec uim ullam nanciscatur, qua à primo impulsu moueatur. FAC. Vtrinq; in alteros emisso, Hoc quidem barbare abs te prolatum est, ut reliqua. Quid enim opus fuit in alteros addere, cum utrinque satis esset? At si illud quoque exprimere uolebas non in alteros, sed aut inuicem, aut mutuo, aut inter se emisso dicendum fuit. LAVR. Et corripis me, & corrigis, ut in cæteris utrunq; semper stulte: corripis quòd redundanter & parum

Nactus. Nanciscor.

proprie

Vtrinq; in alteros. proprie locutus sim: nam primum in alteros, ut ais, additum non oportuit, quasi non queant tela utrinq; emitti, sed non in hostem uelut in cœlum. Sicut utrinq; procursum est ut puta in subsidium, in prædam, in spectaculum: nõ igitur superuacaneũ est in alteros, deinde ut nunquam tu tibi constas, confiteris nõ fuisse tale, cum ipsum tanquam improprium corrigis, mutasq; in alia, quorum primum est inuicem, hoc loco perabsurdum, Quippe ut recte dicas, se inuicem uerberabant, ita minus recte, inuicem tela mittebant, nisi accipimus inuicem pro simul. Secundum mutuo quod ucl magis improprium est. Nam eodem modo dicentur, tela mutuo emitti, quo mutuo mitti. Atqui dona muneraq; mutuo mitti usitatum est non tela, cum mutuum sit fieri de meo tuum, ut iurisconsultis placet, huius uocis Etymologiam sequentibus, siue meum de tuo, quod rite dicitur de rebus quæ dono, non de telis, quæ inter hostes mittuntur. Ter tium, imbre telorum utrinq; inter se emisso: in quo & utrinq; superuacaneum est, & imbrem telorum in se emittere improprium, & absonũ dictu, pugnant inter se, colloquuntur, amãt inter se frequenter audiuimus & legimus. Iaculantur uero inter se, tela proijciunt, aut sagittant inter se, nec legimus, nec audiuimus. Ex quo palã est in correptoris & correctoris ora tione & redundanter esse uerba, & improprie posita: non in correpti atq; correcti, quem abesse ab utroq; uitio probat in Iugurtino Sallustius inquiens: Deinde utriq; alteris freti finitimos armis aut metu sub imperium suum cogere. Vt hic omisit siue consulto non posuit imbre telorum: ita in sequentibus retulit, uerba mea non fideliter. FAC. Nonnihil prius de expugnatione oppidi Ferdinandus agendũ statuit. LAV. Quæ uerba ita se apud meas historias habent. Ferdinandus ut lætus ex nauali uictoria bonæq; spei ac fiduciæ plenus, cum iam machinæ ad finẽ peruenissent, ita solicitus ob pœnuriam rei frumentariæ

Inuicem.

Mutuo.

Imbre telorum &c.

Interse &c.

tariæ, non prius de expugnatione oppidi, ubi nõnihil dura pro ponebatur dimicatio, agendum constituit, quàm milites animo & corpore refeciſſet præda ingenti boũ atq; ouiũ. FAC. Improprie hoc uerbo ſæpenumero uteris, quod tibi turpißimum eſt historiam ſcribere uolenti. Qui enim fieri poteſt, ut neſcias illud intereſſe inter pugnare & expugnare, quod inter orare & exorare? Cum pugnare ſit manus conſerere: expugnare uero pugnando uincere, quemadmodũ exorare orando impetrare dicimus. LAV. Et hic quoq; in dubio ſum, unde potißimum te redarguere incipiã imperitißime calumniator, quomodo iſtud ignoro quod in elegantijs trado? Quomodo ignoro, quem ſæpenumero recte in hoc opere uſum animaduertis? Quomodo ignoro quem probas ad morem ueterũ loqui? Quomodo ignoro qui te male hoc diffinientem uocabulũ demonſtrabo? Etenim in elegantijs trado differentiam inter oro & exoro, uel melius quàm nunc tu, inter audio & exaudio, inter ſuadeo & perſuadeo, aliaq; huiuſmodi plurima. Item inter oppugno & expugno, non ſicut tu demens, inter pugno & expugno, inter quæ niſi à Fatuo nequeat errari. Quis dicat pugnaui urbem, pro expugnaui aut oppugnaui? Atq; repeterem illinc uerba præceptorum meorum, niſi res ipſa pro ſe teſtimonium diceret: nam ut iſtud à me ſcriptum neſcieris, tamen hæc uerba in ipſis hiſtorijs legeras. Alio bello ad expugnandum Setanillium uenimus, infecto negocio receßimus, nunc ad expugnandum Anticheram uenimus, quam ſiquid horret animus & lingua uix audet fari non expugnauerimus. Quid infecto negocio uicti non uictores diſcedemus? Et iterum: Oppida duo Ptineam & Pegum paucis diebus expugnat, erant enim parua, tum oppidum Zaram agreßus poſitis ante portam caſtris expugnat, & alibi centies. Et tamen quomodo expugnatio potuit à me accipi pro pugnatione, cũ dicam, dura proponebatur dimicatio? quæ

Oppugno. Expugno.

Pugno.

idem

idem est, quod pugna siue pugnatio. Quo nomine si fieri posſit, ut improprie sim usus, tamen tuum non erat, si mente constares, reprehendere uerba mea simulia Vegetianis, quæ tu superius attulisti. Aliud genus expugnationis est subterraneũ atq; secretum, quod cuniculum uocant. Nunquid magis apud Vegetium, quàm apud me uictoria pugnæ declaratur? Minime: non enim semper qui cuniculis rem gerunt pugnando uincũt. Male expono, cum te sequor, huius nominis uim. Ideoq; iam reddam quod ultimum promisi me demonstraturum, te impro
Expugno. prie diffinientem expugno. Nunquid si tecum conseram manus ac uincam, te dicar expugnasse? Nihil minus: quia de oppidis, de castris, de nauibus cæterisq; huiusmodi expugnatio est: & figurate dicimus expugnare mentẽ, expugnare pudicitiã quasi arcem quandam, ut in ipso de elegantia opere latius tradidi. Quid iam blateras infelix? Quid calumniaris? nunc repugnãte conscientia, nunc uacillante scientia, nunc amißa memoria, nunc deprauato hominis sensu? Qui si fuisses apud Græcos priscorum poëtarum seculis genitus, illi te in bubonem, aut in ranã, aut in onagrum conuersum esse finxissent. FAC. Cum cibis iam armisq; defecti essent. Hoc quidẽ minus à te eleganter dictum est: non enim cibis, sed uel commeatibus, uel re frumentaria dicendum fuit, uel etiam omni humana ope destituti. Huiusmodi enim uerbis frequenter utuntur historici. Elegantius igitur si dixisses, cum iam non solum commeatus, sed etiam arma deessent, Aut sic, cũ iam omni humana ope destituti essent. LAV. Venefice, Quid ais historicos his uerbis frequenter uti, quasi non & ipse frequenter in historia utar? minus à me inquis dictum eleganter, perq; inconstantiam subdis, elegantius aliter me fuisse dicturum? Tuum, ut te doceam, munus est doccre, me eleganter non elegantius loqui. Verum quanquam ita sit, accipe cur nec ego eleganter dixerim, nec tu elegantius.

Quod

Quod ad reprehensionem mei pertinet duo reprehendis, unum clanculum quòd defecti nõ reperiatur: de quo in elegantijs præcepi adiectis plurimorum exemplis, quorum unum mox subijciam: Alterum aperte quòd cibo utar. O te hominem, qui cibo utaris, indignum, & si cibario semper alitum pane, cum cibaria etiam historici usurpent. Quorum exempla ne multus sim omittam, uno contra duo obiecta contentus, ex Quintiliano: Vt si obsessi & impares & aqua ciboq; defecti, de facienda ad hostem deditione deliberent. At emendas elegantius. Tu ergo Quintiliano elegantius Ligurum Scytharumq; opprobrium? qui pro cibo armisq; defecti, inquis, omni humana ope destituti, quibus uerbis sum usus ipse paulo ante prudentius, & nunc uel ob hoc quàm tu elegantius dixi, quòd in eadem sæpius recurti nolui, ut ipsius linguæ copia, uarietate, gratia, condirem orationẽ. FAC. Procerã scalam, Improprie sanè à te prolatũ est, ut omittam latinitatis uitiũ, quòd scalam singulari numero effers, cũ tantum plurale ueterũ usu sit, ut dixi. Nõ enim proceras scalas, aut proceram columnã dicimus, sed longas scalas, & longam columnã. Proceras autẽ ulmos uel abietes, uel alias huiusmodi arbores natura nõ arte longas appellamus: uel etiã hominis staturam. Verg. —Atq; solo proceras erigit alnos. Cicero in Catone maiore, Cumq; miraretur, & proceritatẽ arborum, & directos in quincũcem ordines. Catullus: Plangebant aliæ proceris tympana palmis. Quod ex diffinitione Festi Pompeij patet. Ait enim, Procera prolixa esse in longũ producta, quasi ex cera ob eius facilitatem, id est, in propria. LAV. Procerum non arte esse, sed natura, probare uis, à dissimili, ab autoritate, à diffinitione præceptoris. Pro dissimilibus quidẽ affers ulmos abietes, & quæ sunt id generis arbores, item hominis staturam. Quid ais? malus nauis procerus est an non? si negas, omnibus contradicis, nõ modo, quòd longus sublimis teres est,

Defecti. Cibus.

Procera.

sed

ſed quòd arbor & habetur & nominatur. Si cõcedis, Cur nõ de ſcala cõcedes, quæ ex proceris & ipſa arboribus effecta eſt: De columna tibi reſpondere nihil mea intereſt: hoc cũ ita ſit, rei nimirum ſatisfeci, nihil aduerſus me agentibus ſimilitudinibus, exemplis, argumentis tuis. Sed quoniam non tantũ de ſcala, ſed generaliter de omni re procera locutus es, Reſpondebo non pro me, ſed pro re ipſa, ac ueritate: non eſſe procerum natura ſolum & incremẽto, & quaſi ſtatura longũ. Sed ut prius tibi pauliſper concedam, quid eſt cur columnam neges talem eſſe, quæ ſi cõſtet ex ligno, non ne ciuſmodi erit cuiuſmodi malus & ſcala? ſed fac marmoream lapideam ue, nũquid longitudinem illam ars fabricata eſt, an potius natura? Certe natura, longitudo enim iam marmori ac lapidi inerat. Si repugnas, ad philoſophos te relego, qui aiunt columnam, atq; adeo figuram omnem ineſſe marmori, lapidi, ligno, quæ ferro circuncidente, quibus includebatur ipſa exiſtat atq; appareat, nec poteſt quis aduerſari philoſophis, quibus Cicero aſſentitur. Nunc in uniuerſum de omni proprietate reſpondeo, nihil intereſſe, qua quicq; ratione longum ſit: idq; exemplis probo, non quæ tuis contraria ſint, ſed quæ tibi quibus ex una aut altera ſpecie cõſtituere genus, rurſus una aut altera infirmata refellere genus, id eſt, reliquas ſpecies: quaſi, quia nõ eſt ſimile quid arbori ſtatuæ ue, non ſit procerum. Plinius ſecundo epiſtolarum libro: Deinde uel cubiculum grande, uel modica cœnatio, quæ plurimo ſole, plurimo mari lucet, poſt hanc cubiculum, cum proceriore altitudine æſtiuum, munimento hibernum, eſt enim ſubductum omnibus uentis. Huic cubiculo aliud communi & proceriori pariete iungitur. Certe arte non natura longus eſt paries, cubiculumq; Item Plinius pater de Italia: Eſt ergo ſolio maxime quærno aſſimilata, multa proceritate amplior quàm latitudine: Nihil profecto ſimilitudinis habet, longitudo terræ ad

Procera.

longi

longitudinem,uel ſtaturæ,uel arboris, uel etiam ad cæræ natu
ram. Cur ergo dixit Feſtus (ut ad eius diffinitionẽ ueniã) Pro=
cerum eſſe productum in longũ ui propria: quaſi uero cæra nõ
producatur aliena ui, nec producatur modo, uerumetiã cõtra=
hatur, eſt tamen in homine ſecus ac in arbore: Hoc etſi ille in=
quit ſimulq; ob eius facilitatem, quod tu ſcribis facultatem non Facilitas.
tamen præceptum ſuum coarctauit, ut ea demũ, quæ cæræ ſimi
lia ſunt, procera dicantur. Atq; ut taceã qualis Feſtus ſit in ar
gutijs etymologiæ, qui uult inter initia ſui operis, ut aqua di=
cta ſit quaſi à qua uiuimus. Quis huic rei aſſentiatur? ſi proce=
rum à cæra dicitur, prælongam ex ære ſtatuam haſtam ue pro=
ceram non eſſe, & quia nõ natura, ſed arte ſit longa. Sed quid
tibi cũ Feſto, quia de natura, & arte nõ loquitur? Sentis igitur
nec regulam tuam, nec rationem, nec exempla, nec mentẽ eius,
cuius uelut præiudicium affers contra me facere? FAC. Alio
genere expugnationis. Vitium proprietatis inexcuſabile, nõ ex
pugnationis, ſed oppugnationis dicendum fuit. LAV. Quo ſæ
pius me ferire niteris, eo te ſæpius ſautias ſi neſcis, & eo quidẽ
magis, quòd hæc uerba ſunt ſimiliora Vegetianis, quæ ipſe obli
uioſus in teſtimonium ſuperius attuliſti. Sed ò proprietatis in
alio ſagax indagator, bis tu hoc loco iſtud uitij admiſiſti. Fri
mum quòd improprietatis uitium dicitur nõ proprietatis, ſicut Vitium impro=
paulo ante uitiũ latinitatis. Deinde quòd uitia morũ ſolent, non prietatis.
ſermonis apud doctiſſimos excuſari. FAC. Hoc tamẽ genus ex
pugnationis inſtituebat. Idem & frequens uitiũ tuũ. LAV. Nõ
fuit ſatis modo tibi dixiſſe me ſæpius incurrere hoc uitiũ. Non
pudet te miſer ita præ te ferre rabidã quandã mordẽdi auidita
tem, ut nihil penſi habeas, & uerborũ Vegetij imò tuorũ (tua
enim nunc ſunt) nunq; reminiſcaris? FAC. Quod diceret ab re
eſſe. Inelegãter profecto, imò ruditer à te dictũ, ab re enim te=
mere & ſine cauſa, nõ id quod tu putas ſignificat. Illud potius

dicere docuisti, quòd non è dignitate regia esse duceret regem in expeditionẽ, nisi aduersus regẽ, proficisci. LAV. Quid ergo quæso significare uolui? Quũ hoc aperis bubale? Cur uerba mea supprimis uulpecula? Nam quis isto modo unquã repre hendit aliũ? At enim debueram dicere è dignitate regia. An nõ istud paulo ante feci? Siquidẽ hæc mea uerba sunt. Sic enim fore, ut nõ modo quod è fide regis erga suos, sed etiã quod è dignitate faceret. Quid ergo me docere uis improbissime, quod ut uerisimile est, paulo ante ipse te docui? At ruditer postea hãc sententiam dixi. Inspiciamus an ita sit, nã hæc sunt ipsa uerba. Addidit etiã facto superbiã barbarus: noluit ipse huic expeditioni præesse, quòd diceret ab re esse, regẽ nisi aduersus regẽ prodire in bellũ. Quænam horum uerborũ est significatio, ab re esse? nempè præter rem, & quasi indecẽs esse, non autẽ temere, ut tu temerarius loqueris, & sine causa, ut tu sine causa uis esse iudiciũ qui crimẽ, quo alterũ accersis premis lingua nõ promis. Liuius lib. VIII. Nam etsi oẽs diuini humaniq; moris memoria aboleuit, noua peregrinaq; omnia priscis ac patrijs præferẽdo, haud ab re duxi uerbis quoq; ipsis, ut tradita nũcupataq; sunt, referre. Idẽ lib. XXXVI. Et quanq; propè absciss res erat, tamen nõ ab re esse Quintio uisum est, sociorum aliquos legatos interesse ei cõcilio. Sueton. in Augusti uita: Et qñ ad hoc uentũ est, nõ ab re fuerit supertexere, quæ ei priusq; nascereturẽ & ipso natali die, & deinceps euenerint. Idem in Domitiani: Deinde atrocitate pœnæ cõtentus, ad leniendã inuidiã interceßit his uerbis. Neq; enim ab re fuerit ipsa cognoscere. Permittite patres cõscripti à pietate uestra impetrari. Martianus lib. XXXIII. de hæredib. instit. Nõ ab re autẽ hoc loco, uelut exceßus hic subiũgetur. Nunqd hic pro temere accipiendũ est ab re, & sine causa, an pro indecẽter & incõuenienter, & præter rẽ? FAC. Ferdinandũ enim infantẽ esse Castellæ. Vulgari

Ab re esse.

gari nomine uti nihil te puduit: cũ ea quæ propria non sunt, li
ceat nobis iudicio arbitrioq; nostro per circuitionẽ ꝓferre ele
gãtius. Quis aũt est tam imperitus rerũ scriptor, aut tã illitera
tus homo, qui nesciat infantes regios filios appellari? LA. Ais
elegãtius esse uti circuitione. Atq circuitio nõ elegãtia est, sed Circuitio.
Tropus. Quid ais præceptor? non appellabo summũ pontificẽ
papã, quoniã nõ sic olim uocabatur? Nõ ducẽ Genuensem, sed Papa.
dictatorẽ? nõ ut alia infinita prætereã, & ad simillimũ ueniam Dux.
exemplũ, Filiũ Primigenium regis Gallorũ Delphinũ, sed tantũ Delphinus.
regiũ filiũ? Quanq nescio, an istũ in modũ me corrigas. Nã qd
est, quod nemo scriptorũ, ne illiteratorũ quidẽ nesciat? an infan
tes oẽs appellari regios filios? hoc uero nemo audiuit, an oẽs
regios filios appellari infantes? At hoc Gallici negant planeq;
falsum est. Cernis ut id qd' uis neminẽ ignorare, oẽs ignorẽt.
Fatue uecors atq; falsarie, q siles esse me isto uocabulo usum,
cũ præfãtione. FA. Et à præsenti periculo nõnihil relaxati ani
mo. Improprie quidẽ: nã relaxatos curis esse, & corporis defa
tigatione, dicũt historici: Leuatos uero & liberatos periculo.
LAV. Quid? nõ etiã curis leuamur, neq; ipse ut tu perperam
interpretaris relaxatos periculo dixi, sed à periculo relaxatos
& animo, id est curis, ob præsens periculũ, quod iã nõ timere,
nõnihil laxamẽti fuit. Enimuero mãus hoc tu mirere, si apud
Liuium fessos uulneribus scriptũ recorderis, sic enim ait: Car= Fessi uulne
thaginiẽses quanq fessos labore ac uulneribus &c. FA. Virtus ribus.
tamen militis omnia impedimẽta uincebat. Impropric, ut multa,
impedimenta protulisti. Nam apud rerũ scriptores impedimẽta
plurali numero appellantur, quæ sarcinas uulgò dicimus. Diffi
cultates autem dicuntur, quæ tu impedimenta dixisti. Licet ta=
men eo nomine uti singulari numero in eam sententiã, in quam
accipis. LAV. Antea quàm pro me respondeo, te correctorem Sarcinæ impe
corrigi dignũ interrogo, cur sarcinas uulgò appellari dixisti, dimenta.

Digitized by Google

Sarcinæ. Impedimenta. Sententia.

quasi ignotum disertis uocabulum? Cur item idem quod impedimenta significare? An non inquit Curtius? Magno cõsilio iacturam sarcinarum, impedimentorumq; cõtempsit. Et iterum: Sarcinas & impedimenta ibi cum præsidio reliquit. Et Liuius: Quarta uigilia profecti, sarcinis & impedimentis Beneuẽti relictis. Quid ergo nunc significant sarcinæ? nempè, res quæ in itinere portantur. Impedimenta uero ipsa iumenta, quæ sarcinas, uel alia bellica instrumẽta gestant, uel trahũt, ut est apud Frontinum. Ipse quoq; ob hoc exasperatus, interfectis omnibus impedimentis, ad pugnam descendisset. Ad hæc interrogo, cur dicas unius uerbi sententiam potius q̃ sensum, quod nusquam, si memoria nõ labor, inueni. Cur postremo, impedimentũ in ea significatione plurali carere, cum ratio non prohibeat, nec ulla ars autoritasue? An uero Sallustij uerba legisti? Occulte per amicos, & maxime per homines nominis Latini & socios Italicos impedimenta parabant. Et Curtij: Vnam anum, & duas puellas itinerũ agminumq; impedimẽta triginta milibus talentũ auri permutes. Et Cic. Cum primũ impedimenta naturæ diligẽtiæ industriæq; superant. Quũ te peccasse doceo in accusando, me satis abundeq; defendo à tua accusatione. Sed ualidius defendent sequentia. Nam ista uerba, quæ tu arguis maximorũ autorum sunt. Quintil. Et omnia quæ obstabunt impedimenta, uincenda sunt. Senecæq; in epistolis de Varano. Animus corporis impedimenta uincebat. FAC. *Ad ædem diuæ Mariæ cognomine custodientis. O ineptũ hominem: ò uerborum inopẽ, quãto elegantius si dixisses (quoniam pucrũ seruauit) ad ædem diuæ Mariæ seruatricis? sicut Iupiter stator appellatus est, quia Romanos à Sabinis in urbe fusos, inuocatus stare ac fugam sistere fecerit.* LAV. *Cur non addebas ò insignem barbariem, ò singulare in grammatica uitium? Quid te impudẽtius, qui rẽ prorsus incognitam tibi diuinare permittis. Vocatur enim ædes illa*

sanctæ

Digitized by Google

ſanctæ Mariæ guardalo, quæ uox ad præſens refertur tẽpus, non ad præteritũ. Et ego haud diffiteor in re utiq; religioſa me noluiſſe, cum ſe offerret occaſio, recedere à ſanctiſſimorum ueterum inſtituto. Apud quos lego, Agar cum uideret filium ſiti pereuntem, oſtenſo ſibi ab angelo puteo (nam & ipſe de matre, de filio, de puteo loquor) appellaſſe locum, Videntis & Saluantis me: & prophetas uocatos Videntes. Cæterum tu qui me ineptum, & uerborum inopem uocas, quòd ſui elegans nõ elegantiſſimus. Reſponde an elegantiſſimus ſermo ſit, fecerit ſtare Romanos, & fecerit ſiſtere fugam, quaſi uero qui percuſſi iacent, ſint è numero fugientium, ſtantiumq; ? Ad hæc, an conuenias, aut cum Liuio, qui ſtandi non fecit mentionem: aut tecum, qui ſtatorem confiteris appellatum à ſiſtendo, quod ſuperius pernegaſti. FAC. Aſcẽdente iam die ac caleſcẽte. Hoc te profecto hiſtoriographus nullus docuit, ſed quiſpiã, ut puto, ſutor, aut faber lignarius: hiſtoricus enim ſic diceret, ſub horã diei quartam, uel quintam, uel ſub meridiem. LAV. Ergo niſi utar ſub, aliter recte loqui non potero imperitiſſime, qui ſpecie falleris elegantioris ſermonis. Sub, ſignificat ipſam primã temporis partem, ut ſub lucem exportant calathis, id eſt, aduenïẽte luce: non quacũq; parte lucis, ſed ex proſa potius petamus exemplum, Quintilianus. Sub tẽpus ipſum quo pugnaturus erat diuitis filius, hoc eſt, iamiam præſente tẽpore. Aliquãdo ſtatim poſt, ut ſub hæc uerba. At uero ſub horam diei, quartam, pro quarta diei hora, nõ mihi unquã uideor audiſſe. Atqui caleſcẽte die ſic dixi, quomodo Liuius & Paulus Iuriſcõſultus, uel mollius quàm illi. Nam Liuius quidẽ ſic ait: Cũ caleſcente ſole diſſpulſa nebula aperuiſſet diẽ. Paulus uero ſic: Hora diei ſexta eadem die caleſcẽte cœlo. Etenim diem calidũ frigidumq; dicere minus durũ eſt, q̃ ſolem cœlum'ue, & aſcẽdente iam die ſic dici quomodo Liuius, Præcipiti iã ad ueſperũ die nox interueniſſet:

Guardalo.

Prophetæ, uidentes, dicti.

Caleſcente die.

Sub.
Sub pro poſt.

Digitized by Google

Ascendente iam die.

& alibi: Procedẽte iam die, & Cicero: Inclinato iam in pomeridianum die. Et Plinius ad Apollinarem, Inclinato iam die. Et Suetonius in Othonis uita, Deinde uergente iam die. Quem mo dum loquendi si meũ nõ probas, improbes necesse est, & hos, quos nominaui autores, fatearis sutores, ac fabros. Sed quomodo te nõ puduit sutorũ facere mentionẽ, natũ patre sutore, & quidem ueteramẽtario? nisi quia ignoras sutorem esse, qui coria fuit, & pelles quem uulgò cerdonem uocant, & quidẽ Plautino nomine calceolarium. Faber quoq; cum dixeris, cur dixeris lignarius, excluso fabro carpentario, & breuiter omni alio fabro lignario, ærario, ferrario, non intelligo: nisi quia tuorum propinquorum quispiam, talis est forsitan, & gaudes loqui sutoria atque fabrilia. Tractant fabrilia fabri, inquit Horatius.

Sutor ueteramẽtarius pater Facij.

Cerdo.

Fabri uarij.

FAC. Alijs assidue super alios applicantibus, Plebcia sanè oratio. Quanto elegantius si dixisses, cũ noua quotidie auxilia superuenirent, aut alij super alios aduentarent. LAV. Duobus modis emendor: uno, cum quotidie noua auxilia superuenirent, at ego nõ de quotidianis auxilijs sentio. An nõ hæc mea uerba sunt? nam simul ac Petrum Pontium uiderunt, siue continuato quem instituerant cursu, siue ob eum ipsum uclut exploratorẽ moti, laxatis habenis uirum persequuntur. Alijq; subinde atq; alij, ut quisq; maxime effuso cursu persequi poterat, ut ipsi proximi essent, usque adeo uix satis stratij Petro fuit ad se cõijciendum in claustra portæ castrorum quæ petebat. Ibi pugna non iusta acie incipitur, discursantibus, atq; obequitantibus munitiones barbaris, si qua transitum facere possent, assidue alijs super alios applicantibus. Quid ergo teterrimi homines scripturas in iudicijs, & instrumenta corrumpitis, ut ij qui opus non legerint de quotidianis existiment auxilijs dici, quanquam nec sic quidẽ pro ineleganti reprehendi posset, alij super alios aduenturint. Ergo meum alijs super alios non est inelegans, nec

addi

addiscitis quotidie coacti ueritate, hic uel modum loquendi carpitis, quasi minus sit uenientibus auxilijs elegans, quàm cũ ueniunt auxilia: quod equidem haud uideo uel uerbum, quod curplebeium cẽseatis, uos uere plebei, scire cupio: an nõ ait Quintilianus? Si non potes ultra procedere, citra applica: neq; abnuerim proprie esse applicare è naui appellere. Et si Cicero tertio Tuscul. quæstionũ inquit: Arce & urbe orba sum, quo accedam? quo applicem? ut si fuissem ego improprie usus hoc uerbo, non debueritis uos eius sordem notare, sed improprietatem, & hominem, non etiam uocabulum reprehendere. Ipsi ergo mundius? qui cum meũ uelut plebeium contemnitis, pro patricio substituistis seruile, uel potius illegitimum. Siquidem adAduentare. uentare pro aduenire illegitimum est ponere, ò absurdũ elegantiæ magistrum, quis te istud docuit? Certe ueram ex me discere significationem poteras in illis uerbis, quæ proxime antecesserant. Vnus speculatorum subditis calcaribus anhelanti equo, & ipse anhelans castra intrat, & ut cuique fit obuius, nuntiat hostes aduentare. Non quidem à se uisos, sed quos ex puluere uenire intelligat. Aduentare igitur non est aduenire, aut uenire tantum, sed proximum esse ueniendo. FAC. Mahumetani se habere uictoriam in manibus testabantur. Non Mahumetanos, sed Mauritanos uel Afros Hispaniæ incolas, appellare debuisti, & id esset elegantius. LAVR. Etiam'ne Mauritanos elegantius est, quam Mauros, ut usitatius Maure Panhormita. Ego ad istam imperitiæ uestræ particulam non esse Hispanos appellandos Mauros, uel Africanos iam respondi, & alioqui non Hispanos tantum significatos uolui, sed etiam ex alijs regionibus præsidiarios, qui eiusdem superstitionis essent. Ideoq; Mahumetanos appellaui, ut nostros, qui Mahumetani & ipsi ex multis regionibus unius tamẽ religionis essent, Christianos. FAC. Quandoquidem nõ statim paruerunt, dixit non

relinquere eis, nisi uestes. O elegãtissimum historiographum, puer adhuc ad grammaticum proficiscens, ista profecto nõ incultius diceret. At ita tibi uerba deficiunt, ut aliter dicere nescias. Quanto elegantius si dixisses. Quòd uero nõ statim primo imperatoris edicto in deditionẽ uenerant, cũ singulis tantũ uestimentis abeundi singulis potestatẽ fecit. Prætereo quòd in uestes uestimẽta mutasti. LAV. Esto uestes dixerim, quid? absonum hoc inusitatumq; uocabulũ est? O te & ueste indignum, & cibo, qui hæc duo de rerũ natura uis tollere: atqui uide quã pueriliter locutus existimari debeã, nisi quemuis historicorum ueterum mea uerba deceant, nõ abnuo puerilia esse, oppidani quibus denunciatum erat, nisi se dederent, extrema paßuros: si dederent, cũ omnibus quæ quisq; ferre posset abituros. Primũ se imperata facturos negauerunt. Deinde ubi tantam manũ circũfundi uiderunt, se obtemperaturos dixerunt. Quibus responderi iubet imperator, Quandoquidem non statim paruerũt, se non relinquere eis, nisi uestimenta: sin punctũ temporis in pertinacia præstiterint, ne libertatẽ quidem relicturũ, nec de nece etiam fore securos, hoc terrore permoti, seſe dediderunt, oppidum uero militibus ad direptionẽ concesßum. Tu hæc elegantius dicere tentasti, quod equidẽ te præstitisse profitebor: nisi in singulis quæ mutasti uerbis erraueris. Quòd uerò pro quãdoquidẽ posuisti, cũ persæpe patet q̃ ineptum sit, tum uero ex ipsa serie quæ hæc est. Quibus responderi iubet imperator, quòd uero nõ statim &c. Mutasti ergo non modo bonũ quod nõ oportebat, sed etiã malũ. Primo edicto, duo uerba totidẽ uitia: nã edictũ appellare pactiõis uerba cũ hoste, demẽtis est. Cũ sciamus edictũ esse principis, aut cõsulis, prætoris ue ac præsidis aduersus subditos, et proprie scriptũ, & primũ nominare, cũ alterũ nõ sequatur superfluũ est: nã feciſſe potestatẽ abeũdi nõ habet edicti formã, aut denũciationis. FAC. In deditionem

Edictum.

uene

uenerant. Et hic duo uitia, unũ improprietatis siue imprudẽtiæ. Quis enim ad illos, qui in eo sunt, ut statim ueniãt in hostium potestatem, dicat, uolo ueniatis in deditionẽ, & nõ potius uolo uos dedatis. Alterum grãmaticæ uenerant, pro uenerint, quod nullus grãmaticæ paulo studiosior puer dixisset. LAV. Cernis, ut puerilitatẽ à me in te transfero. FAC. Cũ singulis tantũ uestimentis abeundi singulis potestatẽ fecit. LAV. Quinq; uerba sex uel mutata totidẽ uel plura uitia: Nam cur cũ singulis uestimentis, quod synceritas historiæ non habet, cur cum singulis? Quasi nõ potuerint abire, cũ binis, quẽadmodũ superius narratur, ut cũ binis uestimentis demigrent, qualia multa sunt apud historicos exempla, præterea tantũ ociosæ positũ est. Itẽ ociosæ singulis, cum præsertim non singulis, sed uniuersis minatus sit imperator, abeundi cur dixeris nõ intelligo, cum à me non memorentur eiecti oppidani, sed tantum direptũ oppidũ. Potestatẽ quoq; facere, plusquam stultissimũ est dicere, cũ hoc nihil aliud sit, quàm indulgere muneris loco, alterius arbitrio. Nunc non indulgebatur, ut tu uis abitio & fuga, ut migrarẽt si uellẽt, sed imperabatur atq; extorquebatur inuitis. Et ais fecit potestatem, ille uero nõ fecit, sed promittebat se facturũ potestatem. Animaduertis, cum in me nihil reprehensione dignum sit, in te reprehensore meo, plura esse peccata quàm uerba. FAC. Quibus de tertia uigilia receptis cõscensisq;. Et hoc quoq; im proprie. Neq; enim dici potest, equos ab illis receptos fuisse, q non uenissent in hostium potestatẽ, cũ recipere recuperare sit, uel periculo liberare. Cicero in Catone maiore: Nam nisi amissses, ego nunquã recepissem. Vergilius, —Fruges q; receptas Et torrere parant flãmis &c. LAV. Quid præcipue in hac pecude coarguã? stultitiam ne, an calũniã, an imperitiã, an uecordiã? Sultitiã quidẽ, q, cũ exponat recipere esse, uel recuperare, uel periculo liberare: negat equos receptos, qa nõ uenerint in

Potestatem facere.

Digitized by Google

hostium potestatem, hoc est, quia non sint recuperati. Quid si periculo liberati, ut certe fuerunt? sed esto nō fuerint: Cur tuæ interpretatiōis, tam subito te cæpit obliuio? Cur, tanq̄ cōsequēs sit ac necessariū, collegisti: si recuperati non sint, receptos dici non posse? nō addēs illud, nec in periculo fuissent. Sed uidelicet id addere manifestæ calūniæ erat. Licet id significatū uelis, ut non recuperatos, ita nec liberatos periculo fuisse, cum ego sic scripserim. Verum cū equos inedia ac labore cōfectos, & præsertim nocturno ignotoq̄; itinere adigere nix possent, delituerunt in colle quodā, equis in prato, ut quiescerēt, pascerentq̄; alligatis. Quibus de tertia uigilia receptis cōscensisq̄;. Nūquid minori in periculo fuerūt fruges, quas nunq̄ domini reliquerāt, quàm equi, quos domini uicti fugientesq̄; dereliquerant? Vides stultissime calūniator, ut ex tuis te uerbis cōuinco? Vides ut tibi ipsi nō constas? Vides ut significatū uerbi, quod docere uis, ignoras? An nō legimus recipere ferrū pectore, recipere pecunias, recepere alimēta, recipere doctrinā, recipere quod suū est, recipere se domū? Vnde receptores dicti sunt, & receptui canere. Liuius lib. XXXV. Recepti deinde ab ijs, ut necessarios hospites q̄; alloquerentur. Et in XXXVI. Et q̄ nihil in Annibale auxilij ad receptos in fidē tuendos esset. Et in XXVII. Ea primum captus est murus obuiantibus recipiētibusq̄; Brutijs, & transcēsum in urbē est. Lucius Florus de Sexto Tarquinio ad hostes se cōferēte ait: Cui à Fabijs ut uoluerat receptо. Cæsar cōmentariorū VII. Copias omnes, quas pro oppido collocauerat, in oppidū recepit. Sed quid exemplis in re apertissima opus est? tuo potius ad indicandā uecordiā tuā utar: Non ne tu posterius his uerbis scribis? Si rex me rursus recipiat in eius gratiā. Cur igitur ò bipedū nequissime nō dicantur eadē ratiōe hi recepisse suos equos: Audi nūc quid uir facūdissimus Asconius Pedianus scribat, super locū illū Ciceronis in Verrem? Ego in

Recipere.

Asconius.

hoc

hoc iudicio mihi Siculorũ causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror. Suscipitur totũ, recipitur pars: suscipitur aliquid propter se, recipitur propter aliud. Addam quam differentiam Plinius inter recipit, & accipit notat, inquiẽs in IIII. Hac labitur Peneus uiridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auiũ cõcentu, accipit amnem orcon nec recipit, sed olei modo supernatantem, ut dictũ est ab Homero, breui spatio portatũ abdicat: pœnales aquas dirisq; genitas argẽteis misceri recusans. FAC. Reliquas uirilibus partibus inter se diuidendas censuit. Virilibus partibus nunq̃ legi, quod meminerim, nec Latine puto in hãc sentẽtiam proferri posse, sed uiritim et æquis portionibus crebro reperi. Pro uirili enim parte idem est, quod pro uiribus meis. LAV. O Panhormita, qui te Iurisperitũ uocas. Nam de Fatuo qui parum legit, qui minus meminit, qui minimum quod est putat, nõ miror, tu nunq̃ duntaxat in Iure ciuili legisti uirilibus partibus, siue uirilibus portionibus (nã idẽ pollet pars & portio, ut pro uirili parte & uirili portione.) Vlpianus XXXVIII. digestorũ Iustiniani lib. de hæred. instit. Hæc adiectio declarat omnes ex uirilibus partibus institutos. Scæuola lib. XXI. de legatis, & fideicom. II. Pro partibus hæreditarijs, nõ p partibus uirilibus. Iustinianus codicis lib. III. titulo fami. hercis. Inter filios ac filias bona intestatorũ parẽtũ pro uirilibus portionibus, æquo iure diuidi oportere, explorati iuris est. Idẽ li. VI. Vnde legitimi, & unde cognati, nepotibus aui materni pro uirili portione, etiam iure honorario successio defertur. Quid plura exẽpla? Cũ Iustinianus ipse sermonẽ hũc exponat, & uicissim per ipsum exponat. Quorũ unũ est lib. VI. de cad. tol. Manere hoc apud enumeratas personas sancimus, omni modo pro uirili portione, id est, pro numero personarum. Alterum institut. lib. II. de inoffic. testa. Vna quarta eis dari possit, ut pro rata destribuatur eis, id est, pro uirili portione data quarta. Nũc ut ad te Fatue reuertar, quo autore

Suscipi. Recipi. Recipio. Accipio. Viriles partes.

Digitized by Google

diffinis,pro uirili parte,esse pro uiribus?nã mox stulte addidi=sti,cum idem sit quod quantũ est partis unius,siue quantũ spe=ctat ad unũ uirum,siue quantũ præstari debet ab uno uiro.ut Quintilianus:*Habes* Marcelle Victori,*quibus præcepta dicẽdi pro uirili parte adiuuari poße per nos uidebantur. Et qa dixi hoc pollere,quod pro uirili portione.Idem alio loco:Militem hoc est plus quàm uerũ.Iamiamq; in acie staturũ,cui pro uirili portione salutẽ suam patria cõmisit appellas? Liuius,Hæc im=pensa grauis est,cũ eam plus q̃ pro uirili parte,quemq; cape=re principem uidẽt.Cicero in Philippicis:Tum me eius benefi=cio,plus q̃ pro uirili parte obligatũ puto.Idem in Verrem.Est aliqua mea pars uirilis.Et Liuius: Illius gloriæ pars uirilis a=pud omnes mulites sit,qui simul uicerũt suæ uictoriæ neminem omniũ mortalium sociũ esse.Non ne palam est partem uirilem*

Pro uirilibus. *esse eam quæ uirũ cõtingit?Nam pro uirilibus ut intelligas er=rorem tuũ,est pro suis quisq; uiribus, quod aliter dicitur,pro se quisq;,ut* Vergilius.*Pro se quisq; uiri summa utũtur opum ui.* FAC.*Iubet bombardarũ ictus emittere.* Elegãtius *multo si dixisses,iubet tormentis muros quati:quod uerbũ à maioribus usitatum,etiã in consuetudinem uenit,cum sit generale uocabu lum omniũ machinarum bellicarũ ingentia saxa torquentium.* LAV.*Vsitatum inquis maiorum uocabulũ fuit tormentũ,quasi de hoc nunc agatur, at non in hunc accipiebant illi sensum. Posteris quos iuniores uocas, in consuetudinẽ uenit, quasi ne=gem nobis esse utẽdum.At noua res nouum uocabulũ flagitat, generale illud est machinarum saxa torquentium,quasi nõ in=*

Bombarda. *opiæ remedium sit ad generale confugere, uelut ad mutuũ.At ego peculiare & propriũ quæro.Nec tamen quæro,sed à plu=rimis in usum recepto utor,eo quidem audacius, quòd torměta è lignis cõpacta erant,unde torměta dicta,quibus homines tor=quebantur,quæ lignea fuerunt. At hoc de quo agimus diuersæ*

multum

Digitized by Google

multum & materiæ, & figuræ, & actionis est, nec torquens saxa, sed expuens cum ardore & sonitu. Ideoq; cõpositũ eius nomen ex ardeo, & bombus, Græco quidẽ, sed iam pro Latino apud multos autores usurpato, quorũ sunt Columella, Plinius, Apuleius, Macrobius, præter poëtas quorũ sunt Lucretius, & Persius. Quominus debes despicere, ut ineptũ: Nimis longum sit: si enumerem noua à posterioribus excogitata nomina, nouis rebus accõmodata, uel ne cæteras scientias artesq; enumerẽ in ipsa re militari, quale est apud Vegetiũ Matiomarbuli & obiæ telorum genera, ueteribus inaudita, aspectu incognita. Et certe nihil iniquius est, quàm ad generalia semper, & impropria cõ fugere, & hanc uerborum inopiam pati malle, quàm suum (ut quæq; res nascitur, sicut in hominibus fit) attribuere nomen, & ingeniosum inuentum propriæ appellationis honore fraudare. Multa in hanc rem repeti possunt ex oratoriæ artis præceptoribus, sed Horatio contentus sum, qui ait:

Vt syluæ fõlijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas.
Multa renascentur que iam cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore uocabula, si ualet usus.

Deniq; libellum, de nouis rebus antiquitati prorsus ignotis cõdidi, ubi de hac quoq; feci mentionẽ, testatus necesse scriptoribus esse, uti ipsarum rerũ uocabulis iam usu receptis. Ex quo constat id quod feci consilio, arte, necessitate, publica autoritate fecisse. FAC. Vt uenator fecit, qui dispositis per diuersa locaretibus, interdũ plus prædæ nanciscitur, ubi minus opinabatur. Et hoc quoq; uerbo nanciscitur imprudenter usus es, sicut etiã alibi. Nanciscitur enim q acquirit, nactus uero qui inuenit: nec est mirandũ cũ fruor quoq; fretus eius participiũ, & adipiscor atq; adeptus significato differãt. Fruitur enim literis q fructũ ex eis capit, fretũ uero alieno consilio cõfisum dicimus.

Bombus.

Matiomarbuli. Obiæ.

In arte.

Libellus Vallæ de nouis.

Fruor. Fretus sum.

Lau.

Digitized by Google

LAV. *Satis abundanter tibi superius de hac re satisfeci, nunc tantũ dixerim, fruor nõ significare fructũ capio, sed uoluptatẽ: nec fretũ pro cõsilio tantũ alieno cõfisum, sed interdũ suo: nec tantũ pro cõsilio cõfisum, sed nõnunq; uiribus, doctrina, amicitia, cæterisq; id generis.* FAC. *Vt qui uagi palãtesq; persequẽtibus hostibus abierant, longius uestigia nanciscuntur. Iterũ in eundẽ errorẽ incidisti indocte.* LAV. *Fateor me indoctũ, nisi te indoctissimũ probaui.* FAC. *Et odia cõciliationẽ recipiunt. Reconciliationẽ dicere debuisti, nobilis grãmatice. Concilior enim regi exempli gratia, si illi ignotus in eius gratiam uenio. Recõcilior autẽ regi, si qua de causa mihi iratus, deposita ira me rursus recipiat in eius gratiam.* LAV. *Cur te infelix eleboro non purgas? an expectas dũ Hippocratẽ ad curationẽ tui uocemus, sicut ad curandũ Democritũ Abderitæ fecerunt? Et illũ quidẽ sanæ mentis, ut & Hippocratis & ipsius literis constat, ciues*

Concilio & reconcilio.

sui sanatũ uolebant: te uerò planè insanũ ac furiosum, ciues tui non alligãt, nec ad medicũ trahunt. Ais reconciliationem fuisse dicendũ, nõ conciliationẽ, quasi de is qui ex amicis inimici facti sunt sentiam, & de omnibus qui inter se odia gerũt. FAC. *Inuidia nullo pacto cõciliari potest. In idem uitiũ imprudẽs iterũ incidisti, recõciliari enim, nõ cõciliari potius dicere debuisti, sed melius & magis proprie mitigari & sedari.* LAV. *Iterũ dico cur te non purgas elleboro? Quomodo potest inuidia recõciliari, cum de odijs dicatur reconciliatio, & tamen inuidia pro inuidis ponitur, ut odia pro ijs qui odia gerũt. Horum animos non recõciliãdos, quia nec amici forsitan nec inimici fuerũt: nec mitigari ac sedari, quia irati fuerũt, sed cõciliari nobis dicendũ est.* FAC. *Et hoc peius nocere potest. Neq; elegãter neq; recte dictum, nõ enim peius nocere, sed grauius, uel uehemẽtius potest.* LAV. *Quãtum præstaret, si apud me ageres discipulũ, q̃ magistrum. Nam hæc in elegantijs exempla protuli cũ de bene*

Bene. Male.

& male

Digitized by Google

& male præciperem, quæ crebro pro ualde ponuntur, ut de peius. Cicero de oratore: Habetis orationẽ bene lõgã. Plautus in aulularia: Nimis male timui. Cicero in Bruto: Addebatq; etiam, idq; ad rẽ pertinere credebat ſcriptores illos male mulctatos, id eſt ualde, & quaſi bene mulctatos, ſed in malũ ſuum. Ideoq; nõ bene dixit, ſed male. Idẽ in Philippicis. Quo neminẽ ueterũ peius oderũt. Terẽtius in Adelphis: Illud rus nulla cauſa tam male odij, niſi quia prope eſt. Ouidius Heroidũ: Peius adulterio turpis adulter obeſt. Igitur idẽ eſt peius obeſt, qđ, peius nocet, id eſt, magis & uehementius nocet, non modo recte, ſed etiã eleganter dictũ, qđ tu prauus & barbarus ignoraſti. FA. Vbi ſub oculis hoſtis fuit, q̃ occultiſſime poterãt ſubſequũtur, ut lateant credentẽ ſe latere alios fallantq; cũ fallit. Pædagogicus ſanè & obſcurus ſermo, quẽ nõ emendaui: quoniã talis eſt, ut ne Oedipus quidẽ qui ſphingi interpres fuit, illũ ſi reuiuiſcat intelligat. LAV. Nunqd Pædagogicũ eſt, nõ intelligẽter loqui, & perobſcure? Quod ſi ita eſſet, tu profecto omni tua uita Pædagogus itelligere deberes. Quẽadmodũ eſt in ueteri puerbio, balbos balbi intelligũt. Nefãnde, hæccine perobſcura et ænigmatica ſunt uerba? Hos barbari equites cũ uiribus freti, tũ improuiſo aduẽtu ſperabãt ſe oppreſſuros, interceptaq; re frumẽtaria ſtationẽ retẽturos, uſq; dũ, aut rex auxilia miſiſſet, aut ſibi aliàs manere cõducibile uiſum eſſet. Obſeruato itaq; tẽpore p occultos, trãſuerſoſq; tramites eunt, inueſtigaturi eorũ iter, idq; odorati, mittunt breuiori uia ad ſtationarios imperiũ, docentq; quid acturi ſint. Ipſi coacto raptim ſuorũ globo ueſtigia inſeqũ inſtãt, & ubi ſub oculis fuit hoſtis, q̃ occultiſſime poterãt ſubſequũtur, ut lateant credentẽ ſe latere alios, fallantq; cũ fallit. Quid hic Oedipo eſt opus? Cum enim hoſtis latere uult eos qui in ſtatione erant, ut incautos opprimeret, alia Chriſtianorum manus à tergo inſequens cum latuit, uolentemq; fallere, Peius.

fefellit

fefellit. Quale est apud Iustinum: Itaq; insidiæ in insidiatorem uersæ, & qui se securum aggressuros putabant, ijs securis in itinere & peruigilio noctis fatigatis occursum est. Tu uero ele
Oedipus. gantius, qui Oedipum sphingi dicis interpretẽ fuisse, quia unũ sibi propositum à sphinge soluit ænigma, Verũ quandoquidem
Sphinx. nescis Oedipus esse, consideres an sphinx potius sis, qui mihi uelut iter facienti occurris, & uerborũ nectis ambages. Et ego tuus Oedipus non modo sapientior te, sed etiam fortior, qui te graßantem in uiatores mea manu compescam. FAC. Inflato torrenti. Melius, aucto imbribus. LAV. Quid de Liuio sentis, qui ait? Vulturnus amnis inflatus aquis & præceps, Nolanorum, atq; Acerranorũ agros tenebat. Hoc in XXIII. Idem in XLI. Sed quia profectos ab domo inexplicabiles cõtinuis imbribus uiæ, & inflati amnes tenebant. FAC. Vt illi loquuntur duabus leugis. Hoc modo uulgaris loquitur, nõ illi qui se erudi tißimos profitẽtur. LAV. Imò hoc modo Fatui reprehendũt. Non ne ut Cicero, Quintilianusq; præcipiũt, quia durũ uidebatur hoc nomẽ, temperaui ea præmunitione, ut illi loquũtur, qđ
Mile. satis erat ad inauditũ, & barbarũ uerbũ molliendũ? Nunc nec
Leugæ. barbarũ, nec inauditũ est: ut cæteros omittã, audi Hieronymũ
Parasangæ. in Ioel dicentẽ: Nec mirũ, si unaquæq; gens certa uiarũ spatia
Rastæ. suis appellat nominibus, cum & Latini mile passus uocent, & galli leugas, et Persæ parasangas, & rastas uniuersa germania, atq; in singulis nominibus diuersa mẽsura sit. Vulgus ne minutißime minutorũ, an doctißimorũ usum, autorẽ habeo? Non ne Xenophon Græcè scribens, itinera dierũ parasangis metitur? cur ita? quia de rege Persarũ, & suo illinc reditu scribit. Sileamus Græca, quæ tibi ne degustata quidẽ sunt: non ne Curtius, quod ille Parasangis, ipse stadijs facit? quia Alexãdri Macedonis gesta referẽs Græco nomine, quod & Macedonũ est, signi ficandũ putauit: ita ego Hispano de Hispano principe loquẽs.

Est autem

Est autẽ nomen hoc Galliæ quidẽ natiuũ, sed cũ Hispanis illi cõmune. FAC. Taceo illud, portentosa mendacia. Quòd portenti similia, aut certè portẽtuosa sicut mõstruosa dicere debuisti. LA. Duo reprehendis, insolentiã nominis, & formationẽ: de secundo prius agẽdũ, de quo ita accipias, sic dici portẽtosum ut lutosum, cœnosum, damnosum, lucrosum, uitiosum, & cætera infinita. At enim dicimus mõstruosum. Nunquid plus unũ in analogia pollet exemplũ, quàm infinita? Sed ò unicũ Prisciani exẽplar: Nunquid ex eo didicisti in monstruosum inesse u, quæ in solis declinationis quartæ nominibus interponitur? quod ego in elegãtijs tradidi, ut luctuosus, quæstuosus, sumptuosus. In secundæ uerò minime, ut ramosus, dolosus, lacertosus: quod certius fit, in neutris exeuntibus in um, quæ nunquã sunt quartæ & semper secundæ. Ergo monstrosum trisyllabũ est. Exigis præter præceptũ analogiæ autoritatẽ? Certè nulla esse nisi ex poëtis potest. Ne forte librarij culpã causeris, Lucanus, Monstrosiq; hominum partus: hoc tu Panhormitæ poëtarum decus, nõ animaduerteras, animaduersurus si quo in lasciuo poëta fuisset. Sed hoc leuius, quippe quòd ad ortographiam pertinet. Illud grauius, quòd prius reprehendistis, emendantes hoc nomen tanquã insolens, quod, ò cæcum lumen, non meũ, sed Plinianũ est: quoq; pro illius, non pro meo sum usus, inquiens: Quæ ne longius reprehendã, sat erit Plinium audire, qui de naturali historia ait, Vniuersa autẽ quæ de Hercule, ac Pirene, uel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror: quæ iterũ appellat portẽtosa græciæ mẽdacia. An desideratis aliunde exempla? Cicero pro domo sua: Hũc tu portentosa pestis exulẽ dicere ausus es? Et in secundo de diuinatione: An uerò illa nos terrent, siquãdo aliqua portentosa, aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur: sed quid ago quasi Plinio patrociniũ præstare debeã, qui hoc uocabulo usus est, nõ ego, itaq; desino repetere exempla. Illud uobis dictũ uolens paucissimarũ literarum lectione cõtentis,

Ostus finita.

Monstrosus.

Portentosus.

Digitized by Google

quia apud Ciceronẽ pro ligario: Portenti ſimile eſt qd' dicã, exiſtimaſtis unquã apud cundẽ, imò apud aliquẽ reperiri portento ſum, quod ſic eſt quadriſyllabũ, ut monſtroſum triſyllabum? Et illud, Ob factioſam potentiã, qd'ob factionẽ & potentiã. An uis factioſum nõ inueniri ſicut portentoſum? An idẽ eſſe ex factione & potẽtia, quod factionẽ & potentiã? FAC. Et illud, duæ Hippagines. Hippagines, quod duæ actuariæ, uel uectoriæ naues. LAV. Quid te imperitius, qui & Hippagines reprehẽdis, quas Pompeius Feſtus ait eſſe naues, quibus equi uehuntur, quas græci ἱππαγωγοὺς uocant, & pro illo actuarias uectorias q; ſubſtituis, quorũ ſecundũ aut non inuenitur, aut inuſitatum eſt. Cũ apud cõmentarios Cæſaris ſemel pro actuarijs ſcribatur Vectorijs, quæ falſa te ſcriptura decepit, ubi minus erraſſes ſi legiſſes gerarijs: ut Plautus in mercatore, Aedificat nauim geratiam, & merces emit. & primum multũ differt ab ijs naugijs, quibus equi tranſportantur, quod intelligas, licet, ex uerbis Marcelli libro digeſt. Iuſtiniani XLVIII. de capt. & poſtl. red. ab hoſt. Nauibus longis atque onerarijs, propter belli uſum poſtliminium eſt, non piſcarijs, ut ſi quas actuarias uoluptatis cauſa paraucrunt. Nonius quoque Marcellus expomt inquiens: Actuariæ nauiculæ celeres dictæ, q; cito agi poſſint. Salluſtius tertio hiſtoriarum. Ad hæc piratica actuaria nauigia, Siſenna: Quibus occiſis actuarias, ad uiginti milia, & cõplures onerarias incendunt. FAC. Et illud poëticũ, Acre prælium ſurgit. Quod oritur dicendum fuit eleganter ſcribendo. LAV. O caper, ne dicã capram, qui fieri poteſt, ut quia poëtice quid dictum, ſit inclegans: quaſi poëtæ cæteris ſcriptoribus loquantur incultius, & non potius excultius? Eſt ne poëticum, profer agedum aliquẽ poëtam ſic locutum? Eſt ne poëticũ num magis prælio exarſit, quàm accenſum eſt? nõ opinor. Atqui ſæpe legimus bellum exarſit, & pugna atrox accenſa eſt: etiam in proſa. Licet, ut ait Quintilianus, Hiſtoria quaſi carmen ſolutum eſt.

Vectoriæ. Gerariæ. Actuariæ.

tum est. Est ne poëticum, & supra prosam orationem? At ego dabo tibi ex quotidiano usu exemplum. Si exurgat aduersus me præliũ, in hoc ego sperabo. FAC. Præterea & illud: Hac car ne se exercitus ea nocte, quam perutigilem comessando & per potando duxit, in præteritum pauit. Quod est præter historiæ dignitatem, LAV. Quid ita præter historiæ dignitatem dunta xat in uerbis de quibus agimus? quid in sensu ab historiæ natura ac cõsuetudine alienum, infelix calumniator? FAC. Et illud: Magis impie magisq; inexpiabiliter grassatur proditio. Quod ieiune & aride à te dictum est. LAV. Eo ne inquisitionis progrederis, ut de ieiunitate & ariditate agas? modo saturare orationẽ & saginare, seu locupletare me doceas, hoc non facis. Quãquã, quid ieunitas ariditasq; ad elegantiam? Quomodo è singulis uerbis elucet ubertas dicendi uel syncerita s? Quomodo, ut ad literam uerba subijciam, ieiune aridecq; dissert? Qui ex tanto & tam præsenti discrimine erepti animos tollebant, ferociores q;, quasi uicissent, se ostentabant, deum pro ipsorum causa pugnare iactabant, Nam numen affuisse, nõ casum aut fraudẽ interceßisse existimabant, omnino nusquam magis impie atq; inexpiabiliter proditio grassatur, quàm in bello contra religionis hostes. Vbi quæ sibi succesßerunt prospera, scelere nostrorum, ea diuinitus euenisse interpretantur, tegente proditione: in posterum quoq; tempus eo qui ad prodendum nostros solicitauit, atque induxit. Hæccine tibi uidentur esse dicta ieiune & aride? uir digne patibulo, qui alia uerba subtrahis, alia commutas, qui dimidiatũ sensum profers, ne uere iudicare poßint ij, quos de hac ipsa re uis iudicare? FAC. Et illud propter dißuetudinem rusticorum ab agris. Quod propter intermißam agrorum culturam dicendum fuit. LAV. Quasi uero niſi uno tantum modo quid eleganter dici nequeat, cum superius isto modo locutus sim, quem modum tu imprudentißime uis esse mihi ignotum: uarianda fuit figura dicendi.

Digitized by Google

cendi. Et nihilominus aliud est intermissam esse culturam. Nam potest intermitti illa, non migrantibus rusticis, ut frequenter cuenit metu latronũ, aliud rusticos diu abesse. Quod ego significaui inquiens: Cũq; in agrum hostilem peruentum est, magna uis ferarum excitata est è consuetis locis propter diutinam, ut fit in bello, dissuetudinem rusticorum ab agris. FAC. Et illud: Fugatæ atq; exterritæ, quod præposterè protulisti. LAV. Hoc neq; ad elegantiam, neq; ad dignitatem pertinere, ut superiora quoq; & sequentia pleraq;, taceo: tantum dico an uere reprehendas ex ipsa uerborum inspectione constare, quæ hæc sunt: Quæ ferè ab agmine armatorum in quod inciderant fugientes, cum in aliud & sub inde aliud fugatæ atq; exterritæ hominum uociferationibus, tandem conficiebantur: aut uiuæ præsertim defessæ fugitando in potestatẽ multorum manusq; ueniebant. Nonne prius fugatæ sunt quàm exterritæ, & hoc ipso exterritæ, q, fugabantur, præsertim defessæ? Nõ enim dicuntur timentes, quasi sua sponte, sed ab alijs territæ atq; exterritæ fugantibus ac uociferantibus, nisi uis, ut hebes es & inscius, postquàm fugere cœperant, nõ potuisse exterreri. FAC. Et illud. Ab agmine armatorum fugientes. Quod, agmen fugientes, dicere honestius fuit. LAV. An fugere ab hostibus, fugere à dominis, fugere à loco, inusitatus est sermo? Cicero de Senectute: Libenter enim istinc, sicut ab agresti, ac furioso domino profugi. An quia fugere, utputa à domino, significat apud dominum fuisse? ut ita sit, nonne apud armatos ferè uideri possint fuisse, cum dicantur in illos idẽtidem incurrisse? FAC. Et illud. Ad capiendam uenationem. Quod dicendum erat ad capiendam prædam. Sileo quàm elegãs sit aues appellare exercitus prædã. LAV. Infinita exempla sunt ubi uenatio pro re quã uenando capimus usurpatur. Liuius: Apud quem solstitiali tempore comite, accepti, cum mirarentur unde illi eo tẽpore anni tam uaria & multa uenatio. Cornelius Celsus de medi

Venatio pro re quam uenando capimus.

de medicina lib. 1. Venatio duriq; pisces, & ex domesticis animalibus assa caro maxime iuuat. Et alijs compluribus in locis. Quintilianus: Quod omnibus nascitur industriæ præmium est, siue uenatio & aucupatio. Frontinus: Venatione quoq; & pecoribus quidã literas membranis mandatas. Paulus de act. empt. & uend. Veluti cum futurum iactum retis à piscatore emimus, aut indaginẽ plagis positis à uenatore, uel patheram ab aucupe. Idem de hæreditate uel actione uendita, Nec enim alea emitur, ut in uenatione. Vides ut iactum, ut indaginem, ut aleam uendi dicitur, ita etiam uenatio haberi, comedi, præmium esse, mitti, emi? q. etiam capi? quod adeo planum est, ut etiam legamus in Genesi: Isaac filio suo sic iubentem: Affer mihi de uenatione quam cepisti. FAC. Et illud, Mœnia includens? Quod, urbem circũsidens dicendum fuit. LAV. Hæc mea uerba sunt. Eumq; fossa primũ & uallo, in sequentibus diebus per ocium muro ac maceria ad staturam hominis circũdedit. Idem ferè in inferioribus. Ferdinandus munitionibus quantum dabatur mœnia concludens, crebra nunc huc nunc illuc oppidanorũ eruptione opus distincte à tergo partim uncti Carri claudebant, partim fossa & uallũ. Est ne igitur hoc circunsidere mœnia an concludere, impudentißime Thersites? FAC. Et illud. Alij totidẽ latebant. Quod absq; ea particula alij proferri debuit. LAV. Quid? non possunt alij esse, & non totidem? Sed ne multis, audi Horatium: Mille talenta rotundentur totidem altera, porrò Tertia succedent. FAC. Et illud. Alibi effusa fuga, alibi confusa fuga: Quod cõfiscprotulisti. LAV. Bis ne ego fuga dixi scelerate, an semel sic? Iam omnis ex inferioribus castris exercitus se proiecerat, & alibi effusa, alibi confusa fuga petentem tuta hostem inuenit. Tu tu fallaciorum impudentißime cõfusum sermonem reddidisti, si tamen confusa potius huiusmodi quàm parum tersa habenda sit oratio. Tu itaq; eam inquinasti, idq; malitia non errore. Nam deum te-

Digitized by Google

ſtor, qui & tui facti & mei teſtis eſt, atq; iudex, mirari me, quomodo errare potueris, ut bis fuga legeres, quod ſemel eſt ſcriptũ? FAC. Omitto & illud, Ad certius explorandũ. Quod ad explorandũ tantũmodo dici debuit. LAV. Quid ſi exploraverunt quidem miſſi qui miſſi erant, ſed imperator exigit explorari diligentius? nõ dicemus certius explorari, niſi ſtoicari uolumus, ut nihil uero ſit uerius, nihil bono melius, nihil pfecto perfectius, nihil certo certius: dij te perdant, ut regulus dixit, Simia ſtoicorum. Quod ſi ad cõmunem loquendi conſuetudinẽ fari uolumus, quis hunc ſermonẽ reformidet? imò quis reformidauit unquam? Liuius lib. III. Speculatores mittendos cẽſere, qui certius explorata referant. Et in X. Et quanquam ſimilia ueris erant, certius tamen exploranda ratus dimittit equites. Quot iam locis, cũ detrahere mihi uis, ſummis & immortalibus uiris detraxiſti? FA. Et illud: Poſcentium miſericordiam. Quod uenia petentium dicere debuiſti. LAV. Vt proxime Liuium, ſic nunc, Ciceronem cum cæteris reprehẽdis, qui ait pro Milone: Quid reſtat igitur, niſi ut orem, obteſterq; uos iudices, ut etiã miſericordiã tribuatis fortiſſimo uiro, quam ipſe non implorat. Ego etiam repugnãte hoc & imploro & expoſco. Et paulo poſt: Eorumq; nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt: quàm qui illam efflagitant. Et pro Murena: Veſtram fidẽ obteſtatur, miſericordiam implorat. Adde quòd indecens nomen erat hoc loco uenia, cũ non ſe peccaſſe, ſed miſerabiles eſſe illi faterentur. FA. Et illud: Cibum quem poterant, deinde quietem capiunt. Quod, deinde corpora curatum abeunt, dicendum fuit. LAV. Cur ais curatum abeunt? cum ego non ſignificauerim abeuntes, ſed manentes, his uerbis: Sicq; diſpoſitis qui obſeſſos, & qui pecora in paſcuis cuſtodiebant, cibum quem poterant, deinde quietem capiunt, lucemq; expectant, tunc quid conſilij ineundum ſit deliberaturi. Cur ubiq; deprauas aut uerba aut ſententias meas? Præ-

Miſericordiam.

Venia.

Digitized by Google

terea quid opus fuit ista emendatione? Certè quod aut quietem pro somno accipi negas, quo uerbo omnes libri scatent, aut capere somnum reperiri: quod cum alibi, tum apud Ciceronem est pro Sexto Roscio: Somnū statim capere potuisset. Non fuit igitur causa cur uerba mea & latina, & nitida, & usitata mutares, nisi ut ostentares te tanquā elegantem: uir impudentissime, leuissime, ineptissime. Nam ut intelligas quanto in errore uersaris: qui uis curare corpora, idē esse quod dormire, ante curamus corpora, quàm somnum petamus: quinimo si quid differentiæ est inter hoc & cibum capere, prius sit curare corpora. An non cum lauamur, inungimur, cæteraq; naturæ necessaria facimus, corpora curamus? Si negas, audi Curtium: Protinus regi corpus forte curanti, quid index detulisset ostēdit. Certe rex tunc nec cibo reficiebatur, nec dormiens audire potuisset. Ergo aut lauabatur, aut simile quid agebat. Quod quale fuerit, ex loco illo eiusdem autoris apparet: Aegyptij Chaldæiq; iussi corpus suo more curauerunt, hoc de Alexandri cadauere, cū dicatur, palàm est etiā aliud quiddam esse curare corpus, quàm cibo reficere, quod in uiuis antequā cibus capiatur fieri debet, prout declarat alibi idē autor, cū inquit: At ille thoracē adhuc indutus, nec ante cibo est refectus, aut priusquam ueniebat exercitus constitit: nec ante ad curandum corpus receßit, quàm præterierant qui agmen ducebant. Perinde atq; dixisset, nec ante ad focillandum corpus receßit, nedum cibum non sumpsit, quod post focillationem fit. Nam de somno sentire stultum est, præsertim dicente Liuio: Corpora curare, somnoq; operam dare, ut primis tenebris conuenire ad signum possent. Iterum: Cæteris signum dari iubet, ut mature corpora curarent, quietiq; darent, nocte in expeditionem eundem esse. Quid multa? quàm ridiculum sit sentire idem esse curare corpus quod dormire, cum nihil admodum curent qui dormiunt? Interdum etiam ad cibos spectat,

Quies. Somnū capere. Curare corpus.

Digitized by Google

ut idem, Pedestris pugna par animis magis quàm uiribus erat, quoniam recentes Penus paulo ante curatis corporibus in prelium attulerat: Contra, ieiuna fessáq; corpora Romanis & rigentia gelu torpebant. Et alibi apertius: Curati cibo, corpora quieti dant. Nónne propè mea uerba hæc sunt? Nónne à curatione corporis somnus excluditur? Et tu me uis dicere debuisse, Cibum quem poterant capiunt, deinde corpora curatum abeunt. Cum corpora curare sit, ut iam concludam & te magistrum meum doceam, atq; dedoceam, agere curam corporis uel cibo potú que, uel alijs quæ necessitas naturæ desiderat antequàm dormias. FAC. *Et illud? A socijs uideri, ab hostibus non uideri posse mus. Quod incomposite protulisti:* LAV. *Cur incomposite, uir prorsus incomposite? qui etiam ignoras quid sit compositio, de qua tanquàm de difficillima parte oratoriæ artis, tam multa Cicero Quintilianus q; præcipiunt. Nam tu de ea sentis, de qua idem Cicero nondum satis perfecte loquitur in libris ad Herennium in* XIIII. *uerbis: Quos tu nihi libros ab autore suo non probatos uelut scholasticos, scholasticus ipse, semper ingeris & inculcas. Quo palàm declaratur te cætera multo potiora nescire.* FAC. *Prætermitto & illud: Sed tantus propriæ salutis metus. Quod dicendum erat, Sed tanta recuperatæ salutis lætitia.* LAV. *Quis credat ne plura respondeam stulto, pro lætitia metus, pro recuperatæ propriæ me dixisse? Nã emendare nil aliud est quàm testari, hoc non in illo modo fuisse illi quẽ emendas dicendum faciendum ue.* FAC. *Et illud. Aut ritu pecudum caprarum q; mactabunt. Quod, ueluti pecudes capras q; mactabunt.* LAV. *Quid reprehendis? an quòd ritu pecudum dixerim? At Liuius ait: Cibo uino q; raptim hausto repleti, ubi nox appetit, propè riuos aquarum sine munimẽto, sine custodijs, passim ferarum ritu sternantur. An quòd ritu ad suppositum referatur? Atqui idẽ nihil interesse demonstrat in apposito, inquiens:*

Lib. ad Heren. putat Ciceronis.

Nos hic

Nos hic pecorũ more per extimos saltus, deuiosq; colles exercà tum ducimus: nam ritu pecorum ut more pecorũ dici posse modo ostendimus. Sed quid aliud sentias? nescio: imò nec tu quidem scis quid aut loquaris, aut sentias, ut ineptus sim si ambages tuas discutere pergam, licet uteris tua natura cũ sphinx sis. Verũ ut uideo in hydram cõuerteris: cuius excisis singulis, plura capita succrescũt. Itaq; sphingi, Oedipus fui: hydræ, Hercules ero. FAC. Et illud poëticum. Conuoluens flammeas pilas. Quod, late iactans incendia. LAV. Cur ita poëticum? Interroga eos qui merem gestam edocuerunt, num fuerint pilæ flammeæ, quas in cœlum rapiebat incendium? Et sanè ex ipsa narratione quid ego significauerim euidenter ostẽditur. Hæc enim sunt uerba mea. Nec uulgari igni, sed incendio agebatur, cui aqua obsisti non potest. Is igitur coria ac cætera incendia adeptus, siue ipso humore aleretur, siue repelleretur, cum horrisono strepitu in cœlum, quo sagittæ mitti nequeant, assiduo ferebatur, conuoluens flammeas pilas, humano capite maiores. Cur tu sycophanta hoc reticuisti, humano capite maiores? quod de incendio consueto me non dixisse manifestum est, ubi nihil simile pilæ est: præterea flamma & incendium ignis est, ut absurdum fuerit futurum ignis conuolueus flammã, in quẽ loquendi modum ipse emendator incidisti, ignis actans incendia: in quo si nihil aliud, id certè utij quod poëticũ est id quod in me tu nescio an malignius an imperitius reprehendisti. FAC. Et illud. Sagittabatur. Quod, dum sagittis præcipue hostes incessebantur. LAV. Hæc mea uerba sunt: Et in eos undiq; ab oppidanis sagittabatur. Tu pro sagittabatur cõmutas incessebantur, quasi sagittare non reperiatur cum legamus etiam artem sagittandi. Præterea cur uerba aut addideris, aut sustuleris, aut mutaueris, num calumnia magis an dementia fuerit, alijs iudicandum relinquo. FAC. Et illud. Templũ mugiebat. Quod resonabat, uel sonitu complebatur dicere debuisti. LAV. Hæ

Sphinx. Hydra.

Digitized by Google

Panhormita. *sunt annotationes* Panhormitæ, *qui se poëtam uulgò nominat, quæ si sciret, quousq; licet oratori atq; historico metaphora, non ita male instructum in forum ad iudices suum* Fatuum *dimisisset. Nolo de natura metaphoræ impræsentiarum disputare, cũ nemo uel iniquissimus rerum iudex sit (ni fallor) probaturus hanc trãslationem quam* Fatuus calumniator *deprauat, omissa parte uerborum, quæ hæc sunt:* Multi in templum, multi in arcem confugerunt. *Sed multo magis præses arcis, quàm deus, præses templi, implorantibus opem tulit. Nam & auidius nostri rapinæ gratia ad templum properarunt, & locum illum magis consentaneum talibus uictimis existimarunt. Natabant omne humano cruore pauimentum, & gemitu morientiũ templum mugiebat. Quid ergo mirum, si ex confuso multorum hominum gemitu templum mugire dicatur, præsertim ubi fit mẽtio uictimarum?* FAC. *Omnia enim ista ut leuiora transeo.* LAV. *Sed ut ipse leuiter transirẽ non effeciſti, homo leuissime.* FAC. *Sed de elegantiæ tuæ uitijs satis in præsentia dictum est.* LAV. *Cur paulo ante dignitatis feciſti mentionem, si tantũ de elegantia agebas? Sed uelim doceas, quæ sint elegãtiæ uitia. An uitium illa est, uir nullius prorsus elegantiæ summæq; stultitiæ, dementiæ, ac malignitatis, in quo uidere licet id quod post homines natos in nullo contigit, contigisse ex propè infinitis erratis, quæ in opere quãuis nondum edito, uixq; dum condito, te probaturum pollicebaris, nullum hactenus probare potuisse. Sed cum hoc efficere niteris, non in totidem, sed in quadruplo peccatorum numero esse conuictũ, qualis etiam in sequentibus conuinceris, ut non modo pœnam talionis des, calumniator, uerũ quæ furibus pœna constituta est quadruplum fur ac trifur soluas.*

FINIS.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS

DE ERRATIS BARPTOLOmæi Faccij, in notis, quas scripsit in Vallam.

CAPVT I.

SI præscriptum seruare accusatoris in respondendo uellem, non de uerbis nunc (ut hactenus feci) sed de sententijs disputarem. Iterũ ad primam controuersiam, mox ad secundam, atque identidem ad tertiam reuersurus. Nã in sequentibus inuectiuis ille prorsus quẽ instituerat ordinem & si ridiculum ac puerilem, de elegantia ac dignitate deseruit, uerborumq; atque sententiarum uitia promiscue obiecit, quodam modo à se ipso deficiens, & ubiq; inconstantiæ stultitiæq; suæ præferens signa. Hanc ego perturbationem ideo mihi non sequendam statuo, ut etiam, si iste ab instituto suo quod superius sæpe destituit, non destitisset, tamen omnia quæ de uerbis opponit seperatim refutanda existimarem, quo uelut corpori sua redderẽ membra, neq; uni tantum corpori, sed duobus, uerborum alteri, alteri sententiarum. Siquidem cum uniuersa quæ de uerbis, ex ijs quæ de sententijs obijciuntur, per me extrahentur, unumq; in agmen cõtrahentur, quæ reliqua sunt & ipsa unum sua sponte corpus & agmen efficiẽt: stabũtq; seorsum atq; alterinsecus duæ quasi acies, una peditum, altera equitum: contra quas ego meas copias, primum peditum, deinde equitum emittam. Sic enim quantum in utraq; acie roboris sit dijudicabitur, si milites non cum diuerso, sed cum simili militum genere: si non interrupto, sed continenti prælio: si non eodem tempore, sed distributo cõfligent: sicut iam aliquãdiu pedites confligunt, & in medio certaminis ardore uersantur. Et, nisi fallor, magna pars hostilis exercitus confecta uulneribus iacet. Quo magis festinemus quod supereſt peditum immit

immittere, ne refrigescat pugna, ne stricti in dexteris gladij torpescant: ne victoria, quæ in manibus est, diutius differatur, felix faustumq; sequenti auspicium. Hæc autem sunt ex secunda inuectiua in secundum librum meum, ut differamus ultimum in locũ, quæ ex hac cæterisq; in mores meos euomuntur. Prius tamen quàm eius obiecta pono, quæ in proœmio secundi libri peccauit, notabo. FAC. Tuum de illorum operibus indicium friuolũ & contemnendum esse, quos tum legis. LAV. Quos pro quæ positum est. Ad opera enim nõ ad autores relatiuum hoc inspicere debet: quia libros non homines legimus. Quòd si quãdo tropice pro operibus nominamus autores, id ita demum fit, si libros nominare superse demus. Nã quis, nisi demens, ita loquatur, mittam ad te tragœdias Euripidis, quem emi, & non quas: secus autem tropice sic, Euripidem quẽ emi quotidie emendo. FAC. Omnes qui summam autoritatem eorum scriptis consecuti sunt. LAV. Simile est quod superiore libro repetij ex te. Si me rex rursus recipiet in eius gratiam: dicendum erat suis scriptis, & suam gratiam: sicut ecõtrario illud, quod item repetij ex quarta inuectiua. FAC. Quam tamen etsi impudens es, ipse negare non es ausus præsente rege: cum ego errata tua coram maiestate sua proferre contenderem. LAV. Nescis reciprocum hoc esse pronomen, dicendumq; fuisse coram maiestate eius. Nam sic uulgò non bene literati loquuntur: ego dedi sibi: uis dare sibi librum: ego iui ad uillam suam: cum hoc pronomen ad eandem personã siue ad eandem rem faciat relationem, ut ille placet sibi, cupit sibi reddi sua. Vel intermista altera persona, ut noluit me secum cœnare, orauit ut ad se ires: non autem (quod fuit uitium tuum) Orauit ut ad eum ires: noluit me cœnare cũ eo: cupit sibi reddi quæ eius sunt: hoc etiam loco à te positum est coram, pro apud: sicut iterũ superiori libro & econtrario apud, pro coram, inquiens? Coram inclyto rege nostro in tot clarissimorum procerũ uirorum consessu,

Eorum pro suis.

Eius pro suam.

Sua pro eius, Suus & sibi usus.

Coram. Apud.

ſeſſu, apud quos. Quam differentiam inter has præpoſitiones me promiſi redditurum, quod nunc faciam, potiſſimum ex Liuij uerbis: Ad ea Quintius, coram quibus magis, quàm apud quos uerba faceret, dicere Archidarium rationem habuiſſe. Eſt igitur apud aliquẽ uerba facere, dum ad illum habetur oratio. Coram uerò, illo præſente uerba facere & fortaſsis etiam adhibito. Tu autẽ cum regem alloqueris præſentibus proceribus, ſicut iterum tu poſtea dixiſti. FAC. Coram rege, coramq; maieſtate ſua, & apud proceres, omniaq; in libro tuo reprehenderam, cum libellũ meum &c. LAV. Quid ineruditius, quàm tres libros hiſtoriarum appellare librum, totidem tuos libellum? Item ſex elegantiarũ uolumina numero ſingulari nominare. FAC. Neq; planè eſſe illegitimum ex patre cœlibe, & matre innupta. Cœlibem hominẽ puto dici, qui uitam cœleſtem in terris agat, procul ab uxore & fœminæ concubitu. Tu autem illum ex cœlibe natum eſſe uis, quẽ ſi continentem appellaſſes, aliquanto magis proprie dixiſſes. LAV. Hic planè confiteris id cuius ſuperius ex Quintiliano meminiſti, te non legiſſe, ſed ex alio audiſſe, cum & illud & hoc ſit ex eodem libro & quidem primo. At enim ingenioſe uiſus eſt Cannius cœlibes dicere, quaſi cœlites, quòd onere grauiſſimo uacent: idq; Græco argumento eadem de cauſa dici affirmat: nec cedit Modeſtus inuentione. Nam quia Cœlo Saturnus genitalia abſciderit, hoc nomine appellatos quia uxore careant ait. Hoc tu nunquam Fatue legiſti, unde diſcere poſſes huius uerbi ſignificationem? Quidẽ non aliunde infinitis ex locis ſcire poteras: de quo ego cũ in elegantijs ſic præciperem: Cœlebs tam eſt qui ſemper caruit uxore, quàm qui nunc caret. Inde cœlibatus. Nullum ſubieci exemplũ, tanquã de re parum dubia, quæ quoniã tibi eſt etiam ignota, nũc exempla ſubijciam: Plautus in Caſina, Sed utrũ nunc te cœlibem eſſe mauis liberum, an maritum ſeruum, ætatem degere & gnatos tuos? Idem in Mercatore: Siquem ſcibt

Cœlebs.

Cœlibatus.

Digitized by Google

scibimus, seu maritum, seu hercle adeo cœlibem scortarier. Ecce tibi cœlibes scortatores, qui uis eos esse utique continentes. Horatius Epistola prima: Nil ait esse prius, melius nil cœlibe uita. Si non est, iurat bene solis esse maritis. Suetonius in Galbæ uita: Verum amissa uxore Lepida, duobusq; ex ea liberis, mansit in cœlibatu: neque solicitari ulla conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem uiduitate, morteq; Domitij: quæ maritum quoque adhuc nedum cœlibem Galbam adeo omnibus solicitauerat modis. Idem in Claudij: Confirmauitq; pro concione apud Prætorianos, quoniam displicerent sibi matrimonia, permansurum se in cœlibatu. Et iterum: Quibuscunq; aut cœlibatum, aut orbitatem, aut egestatem obijceret: maritos, patres, opulentos, se probantibus. En cœlebs marito oppositus, ut orbus patri, & egenus opulento. Quod congruit cum illo Quintiliani: Clarus, an obscurus: magistratus, an priuatus: pater, an filius: ciuis, an peregrinus: liber, an seruus: maritus, an cœlebs: parens liberorum, an orbus. Iustinianus codicis lib. v. de donat. ante nup. & sponsa. Ea quæ tibi ut sponsus daturum se repromisit is qui te ficto cœlibatu, cum aliam matremfamilias domi reliquisset, solicitauit ad nuptias, petere, cum effectu non potes: cum tu sponsa, uxore domi posita, non fuisti. Sed quid plura exempla? profer tu pro te, uel unum, & uiceris: nisi Pomp. Festũ sequeris, sic scribentem: Cœlibem dictũ existimant, quòd cœlo dignam uitã agat. In quo Pomp. suo more etymologiã attigit, non significationẽ respexit, tanquã planã apertamq; omnibus, præterquã Fatuis, qui in tanta exemplorũ sylua, uenari nec unũ sciunt. Cœlestis enim uita quibusdam putabatur grauissimo nuptiarum carere onere, quales ferè sunt adolescentes, quos Caninius quasi à deo dici uult. Nam continentẽ esse (ut ad opinionem ueterum loquamur) non est Cœlo digna uita. Cœlo inquam, uel patre Saturni, qui amissis genitalibus coactus est continere: licet cõtinentia

tinentia uoluntatis sit, nõ necessitatis. Vel cœlitibus, quorũ nullus cõtinens fuit. Citius cũ bestijs cœlibatum, quàm cũ cœlitibus cõmunicauerim, dicente Plinio de colũbis: Nisi cœlebs aut uidua domum nõ relinquit. Quæ res (ut scias quid Pomp. senserit) non modo diuina nõ est apud ueteres existimata, sed etiã improbata, ut in lege XII. tabularũ. Cœlibes esse prohibento: de quorũ pœna cũ Valerius Maximus, alijq; nonnulli meminerunt, tum uerò Iustinianus in codice titulo de infirmãdis pœnis cœlibatus & orbitatis. Et tu uis idẽ esse quod uirtutẽ continentiã. Cui contrariũ fecisti concubitũ fœminæ. An sic Plinius? Idem de Essenorũ gente, ait. Quam etsi continentem, tamen cœlibem non uocat. Gens sola & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina omni uenere abdicata. Qui sequitur, multo intolerabilior est error. FAC. Vos appello uiri ut fortissimi, sic circũspectissimi Genuenses. Hunccine in numerum collegioq; uestrorum recipitis, quos cancellarios appellatis, tam hebetem, tam uacui capitis, tam mente captum, ut uelit filium natũ esse homini, & ab uxore, & omnino à fœminis abstinenti? LAV. Et quia sic ego non dixi: ponat in crimine: ut sic ipsi ac suo Panhormitæ ex uxore liberi procreentur. FAC. Prophetare tamẽ audere. Semper, ut uideo, in summa copia laborabis uerborum inopia: dic quæso, ubinam apud Liuium, aut Cæsarem, aut Sallustium hoc uerbum reperisti? cum historiam scribis, historicos imitari debuisti: qui diuinare, tum præsagire, tum uaticinari, tum ariolari dixerunt: ut unum è tam multis tibi in mentem uenire debuerit. Sed aliquid ecclesiasticum scribere reputasti. LAV. Bene quòd meam uerborum inopiam insectaris, ipse tam locuples. Ariolantem ne faciam pientissimum regem, dum suprema sua disponit: aut augurantem, aut uaticinantem cum ne diuinantem quidem facere ausim? Quod uerbum, ut Hieronymus in Malachiam ait, in malam accipitur partem in scripturis sanctis, quarum hic fuit obser

Cœlitũ nullus continens.

Continentia Esseni.

Digitized by Google

obseruantißimus. Scythæ ergo regis ista tua uerba sunt, non
Prophetare. Christiani. Quid si prophetare ille dixit? ego contra ueritatẽ hi-
storiæ faciam cum dixisse ariolari? Sed fac me accõmodasse per-
sonæ uerbum, quid interest quòd isti autores eo nõ sunt usi? quo-
niam prophetæ illis noti non erant. Vbi enim reperies apud eos-
Ecclesiastica uo dem ecclesia, episcopus, presbyter, diaconus, acoluthus, canoni-
cus, papas? Vbi baptismas? ubi eucharistia? ubi schismas? ubi hebdo-
madas? ubi synodus? ubi alia infinita? Quæ tamen à sapientißimis
uiris è Græcorum fontibus deriuata sunt, non ut uestra fert opi-
nio, ex Hebræis: quod si ex istis non poßum proferre exempla,
possum ex Græcis Homero, Hesiodo, Euripide, Sophocle, E-
schylo, Aristophane, Platone, Aristotele, Theophrasto, Thu-
cydide, Herodoto, Xenophonte, alijsq; quãplurimis, ut scias nõ
imperitorum hæc, sed peritißimorum uetustißimorumq; esse uo-
cabula: & nũc, quod satis mihi est, in usu apud doctißimos quosq;
sunt, ut nulla materia sit in quam non incidant, & in primis hi-
storiæ, quæ maxime uarias personas resq; continet. Et quod ad
præsens uocabulum attinet, quoniã gentilitatem ita adamare ui-
deri cupis, à Græcis prophetæ Apollinis dicebantur fatidicæ fœ-
minæ. Et latinorum Macrobius inquit in Saturnalibus: Sacerdo-
tes Aegyptiorum, quos prophetas uocant. Verum ò Panhormi-
ta, qui poëta uocari gaudes, iners ac hebes, nescis à Paulo appel-
Poeta pro- lari poëtas prophetas græce quidem, quod latine non mutatum?
pheta. quod ad Titum de Epimenide scribit. Quidam prius eorũ pro-
pheta. Ite nunc & huic detrahite uocabulo. FAC. Nondum à
scurrando uacans. Verbum illud scurrando rarißime usitatum
est, & pro obsoleto habẽdum, ut puto. LAV. Quis tam inops
mentis coniunxit unquam usitatum, quod est frequentatiuum, &
rarißime, cum raro & frequenter inter se pugnent? perinde ac
si quis dicat, raro frequenter studeo. Sed sanè sint eo usi rari-
ssime autores, nonne satis est hoc mihi pro defensione, quòd usi
sunt? at

Digitized by Google

sunt? at pro obsoleto ais habendum quanquam ne hoc quidem ais, sed pro incerto habes. Cur ergo alteri pro certo uitio obij cis? quod profecto nō fecisses, si & Horatij meminisses, incipiē tis epistolam sic: Si bene te noui, metues liberrime Iolli, Scur rantis speciem præbere professus amicum. Inq; coniuncta huic epistolæ Aristippus in Diogenem loquitur: Scurror ego ipse mihi, populo tu. Et animaduertisses huiusmodi uerborū formā dorum, uel maximam esse licentiam, ut à scortū scortor, à pro cus procor, à poeta poetor, à nuge nugor, à sycophanta syco phantor, à parasitus parasitor, à uiaticum uiaticor, à meridies meridior, à podagra podagror, à iuuenis iuuenor, à bubalus bubalor, à rusticus rusticor, à uillicus uillicor, à græcus pergræ cor, à fornix fornicor, quod est habere ac ductare in fornice meretricem, licet nunc à plerisq; pro scortari usurpatur: & in finita huiusmodi penes optimos probatissimosq; scriptores, ita à scurro scurror: quod si nō reperissem, tamen ex proportione fingere potuissem, sine ulla eruditorum repræhensione. FAC. *Quasi ficos edisset, qui nondum maturi erant. Sed bone gram matice unde didicisti ficos masculini generis esse? nescis ficos uel ficus pro fructu fœminino genere dici? Omniaq; fructuum nomina, aut neutri generis esse, ut pirum, malum, aut fœmini ni, quod genus nux, glans, oliua, castanea. Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci: Dicemus ficos ò bone Valla tuos.* LA. *Hi sunt ioci Panhormitæ, hi sales: agnosco & ex sententia, & ex uersu hominē. Differamus in suum tempus respondere con tumeliæ, & quis morbus sit ficus, qui obijcit ignorat, nam ple runq; in barba est: & si Panhormita, ut imberbium amator, ita ipse proprie imberbis est, uix ullis in facie interlucētibus pilis, ne dicam de uertice nullis interlucentibus capillis, toto lucente quasi mortui calua. Sed uersus* Martialis, *ut est apud Priscia num, suæ synceritati reddamus, dicemus ficus Cæcilianæ tuos.*

Verborū depo. in or formatio. Fornicor.

Fici hi.

Digitized by Google

Sic Martialis, sic Iuuenalis (sic inquiens, si uis aliam decerpere ficum) sic usus dicendi magister, Quem penes arbitrium est, & uis, & norma loquendi. Ecquid te pudet ista ignorare, quæ pueris nescire turpe est? Ais sic: Martialis sic, Priscianus sic, Iuuenalis sic usus. Primũ inepte Priscianum, qui hæc præcipit, cum Martiale coniungis, qui poëta est: & eo ineptius, quòd huius autoritate præceptum suum confirmat Priscianus, ut pro uno testimonio hæc, nõ pro duobus haberi debeant: deinde cur à Martiale & PriscIano recedis, male recitans poëtæ uersum? Cum enim inquit Priscianus & ostendit & uitium & fructũ quartæ esse declinationis, genere autem differre: palàm est te scripturam, siue stulte, siue malitiose corrumpere, nec sequi eos quos sequi te dicis. Ad hæc si Priscianus autoritate quoq; Martialis uult ficum demũ quartæ declinationis esse, quò mihi istam Prisciani Martialisq; mentionem? ubi de ficu, non de fico agitur: quò mihi Iuuenalem, quò mihi usum, & Horatij uersum: quasi ego negem ficũ quartæ, generis esse fœminini: quia utor fico, quod tu reperiri fateris? Vides ut fatuè contra me argumentaris, ut fatuè Iuuenalem, & usum de eadẽ declinatione in testimonium uocas, cum de alia sit dubium, ut fatuè ficos ais generis esse, sicut ficus, fœminini: quod nullo confirmas nec præcepto, nec exemplo. Vbi perfrices uelim frontem, ac respõdeas, an arti suæ satisfecerit Priscianus, qui cuius sit generis ficus fici, pro fructu reliquit in medio: cum non semel præcipiat, pro arbore in quarta declinatione esse fœminini. Nisi uolumus eum masculini esse uelle, dum inquit, omnia in us correpta, uel secundæ, uel quartæ generis esse masculini, præter arborum nomina. Age uero demus Prisciano idem quod tu dicere, omnia fructuum nomina, aut neutri generis esse, aut fœminini: quid uos aut ille respondeat quid in dactylus, Balanus, qui & ipse fructus est palmæ, generis utrunq; masculini? Quid in pineos

Dactylus. Balanus.

apud

apud quosdam pro fructu pinus, id est illis minutis? Taceo corymbos hæderæ, & racemos uitis. Quid ut uos fortius strictiusq; angam, in grossos qui etiam huius ipsius de qua agimus arboris fructus est, dicente Plinio, Ficos sub folio, grossos supra folium nasci. Quod si ita est, ut iam concludam, aliquod fructus genus & huius arboris fructus est masculini, ut notum est: quid tandem mirum si ficus fici in masculino sum usus, non sine autoritate, præsertim uel Cornelij Celsi, uel Columellæ, uel Plinij, aliorumq; nonnullorum? Vnde hoc nomen quoq; genere masculino secunda declinatione legimus usurpatum? At corrupti sunt codices. Cuius istud est affirmare? certe uetustos aliquot euolui, ut Cornelij his uerbis: Fico pingi leuiter cocto, & Fici aridi partem ne pete mistam. Et Plinij, In ficis mirabiles sunt abortiui, qui nunquam matureſcunt. Neq; tamen ita temerarius extiti, ut incertæ me scripturæ committerem: quippe qui de hac re, multisq; alijs, cum eruditis ante publicationem communicare statuissem. Tu potius, tu temerarius extitisti in reprehendendo, uir tantum à peritia distans, quantum ego ab imperitia, qui pro negatione posuisti affirmationem: Ecquid te pudet ignorare, pro ecquid te non pudet, ut iterum reprehendi superius. FAC. Ad hanc facetiam cum rex arrisisset. Nescis facetias pluraliter tantum dici, non facetiam? sicut ferias, quisquilias, nundinas. LAV. Ita'ne propter unum uerbum facetum dicere debui, ad has facetias? quod absurdum sit. Quis istud præcipit carere singulari facetias? an licentius est facetia, quàm blanditia? Nuo arbitror. Non de uno uerbo blando, dicã ad has blanditias? Atqui Cicero de petendo consulatu ad fratrem inquit: Ea desiderat nominum elationem, blanditiam, assiduitatem, benignitatem, rumorem, spem. Paulo post: Sed opus est magnopere blanditia,

Corymbi. Racemi. Grossus.

Ficus coctus. Fici abortiui.

Ecquid pudet pro non pudet.

Blanditia.

Digitized by Google

quæ etiam si uitiosa est, & turpis in cætera uita, tamen in petitione necessaria. Possum multa similia afferre, ut liberum pro filium apud Iurisconsultos: Quintilianum & Paulum, Caiumq; iurisconsultos: Pugillarem & codicillum, cum sciamus ex arte pluralis esse numeri: uerum propter exemplorum similitudinem, accipe Plautum in Stycho. Hem tibi hoc primum hæc facetia est, amare, inter se riuales duos, una cãtare, potare, unum scortum ducere. I nunc & insulta mihi inquiẽs: Quid est quod scias, si hæc quæ ad pædagogum pertinent ignoras? Cur tu igitur pædagogus hunc Plauti locũ ignorasti? quem pædagogi nescire non debent? FAC. Adiecta ei appendice Catalonia, quæ uiribus ad illam sesquialtera est? O elegantissimum historiographum: Hæccine uerba oratoris sunt? Hæccine historici? ubiq; ostendis tuam uerborum penuriam, ignarus quàm sit elegãtiæ contrarium uerbis inusitatis & improprijs uti. Quãto elegantius si dixisses, adiecta ei Catalonia, quæ dimidio amplior, quàm illa est. LAV. Ego ne uerborũ inops, an tu sensus & cerebri? cum uocas uerborũ inopem, quem cernis esse locupletissimum: appendice & sesquialtera supellex est abundantis patrisfamilias, nõ egentis. Nam quòd negas ista uocabula in quæ mea cõmutas esse in domus meæ supellectile, facis ex fatui natura ac consuetudine, cum nemo qui scribere paulo diligentius consueuit, ac ne mediocriter quidẽ literatus, ignoret. Sicut ecõtrario, tu hæc omnia quibus utor, quod fateare necesse est, in tua supellectile nõ habes: ut intelligas te inopem uerborũ esse, me diuitem. At sunt inusitata, & impropria. O imperitissimũ & iniquissimum, qui aliorum uires ex tua infirmitate metiris. Negas in usu esse: dehinc addis impropria, quasi ijs quæ extra usum sunt quæramus, propria sint, nec ne sint inusitata oratoribus, quæ sunt inusitata historicis, at ego ex utrisq; testimonia proferam

Liber. Pugillares.

Codicillus.

Digitized by Google

feram. Cicero in Hortensio: Vidit quod uidēdum fuit, appendicem esse animi corpus, nihilq; in eo esse magnum. Idem pro Rabirio Posthumo: Est enim hæc causa, quo ea pecunia peruenerit, quasi appendicula causæ iudicatæ atq; damnatæ? Addam huic uelut oratorem Vlpianum qui de acquiren. uel amittenda possess. uel hæreditate, ait: Idem dico & si filiusfamilias, uel seruus iussu domini, uel patris adierit hæreditatem, uel mancipatus, uel manumissus &c. Sunt enim appendices præcedentis institutionis. Accipe nunc historicos. Liuius: Cohortatusq; prædicatione uera, quam tu scis, qua in Samio paratorum decorum appendicem Etrusci belli conficere iubet. Quòd cum Chersonessum Lysimachiamq; dederunt, Maroneam quoq;, atq; Eriñ profecto dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis uelut appendices maioris muneris essent. Iterum: Peditum agmen in ripa elephantes ante quadraginta disponit carpentariorū cum appendicibus locadum, Vacceorum quæ centum milia fuere inuicta acies si æquo dimicaretur campo. Hæc satis exēpla docent, hoc non esse nomen inusitatū. Nunc docebo eius me proprietatem non potuisse ignorare cum scircm à Marcello quidem sic scribi. Appendix dicitur quod alij est adiunctum. A Festo autem sic: Appendices dicebantur ab antiquis, quòd circum pen- Appendix
derent, quos nunc appendices dicimus, ut Plinium transeam, qui in XXIIII. ait: Spina est appendix appellata, quoniam bacæ punico colore appendices uocantur. Sunt ne scelerate uerborum inopes, Cicero, Vlpianus, Liuius, cæteriq; apud quos hoc nomen inuenitur? Nam mihi culpa comunnis cum illis est, quia ut ipsi: sic ego sum usus. An tu inops uerborum, sententiarum, doctrinæ, ac sensus? Venio nūc ad aliud uocabulum Sesquialtera. Quid usitatius in arithmetica, musica, geometria, Sesquialtera.
quàm sesquialtera, quod ἡμιόλιον Græci uocant sesquitertia,
sesquiquarta, sesquiquinta, & sic deinceps? nisi negas has artes

Digitized by Google

ad oratoriam pertinere: quarum quis sapor esset, ne tenui quidem gustu experiri uoluisti, potuistiq; : ita tenui semper literarum cibo, ac breui uolatu, ut cicadæ (nam illis assimilis es) fuisti contentus. Transeo Quintilianum, quem nunquam inspexisti: non ne ita scribit in Oratore Cicero? Vt necesse sit partem pedis, aut æqualē esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem. Infinita possem ex optimis autoribus repetere exempla, ut sesquiopus apud Plautum, ut sesquipedale apud Horatium, ac mille alios, & sesquipes, & sesquiplaga apud Cornelium Tacitum. Et ille multum tremens cum uix duobus ictibus caput amputasset, sæuitiam iactauit sesquiplaga interfectum à se dicendo, ut sesquicyathus apud Cornelium aceti, sesquicyathum olei minus: & sesquihora apud Plinium filium. Egeram horis tribus, & dimidia, supererat sesquihora. Cur nō dixit supererat hora, & dimidia? quia sic fuit elegantius, & tu cicada ais inelegantius. In quo magis licet agnoscas imperitiam, quòd sic poteras emendare, si fuisset emendandum: Adiecta ei Catalonia finitima dimidio ampliore, uel dimidio quàm hæc ampliore. Dixi imperitiam, addo stultitiam, quòd cum de uiribus ego, non de finibus agam, tu pro appendice, finitima subdidisti: ubi alius quoq; tuus error agnoscitur, quòd nō prouincia tota toti alteri prouinciæ finitima est. Sed extremi utriusq; prouinciæ populi & inuicem accolæ. Neq; enim Italia Galliæ finitima est, & Gallia Italiæ, sed Italos extremos qui ad Galliam uergunt illi finitimos, & Gallos qui ad Italiam, huic finitimos dicas. FAC. *Itaq; uisus es minus soluisse quæstionem, quàm innodasse: hoc quidem incomposite & inelegan ter à te dictum: est enim ambiguus & obscurus sermo, & contortè prolata sententia. Neq; enim isto modo dicendum fuit, sed sic potius. Itaq; magis innodasse quæstionem, quàm soluisse uel explicasse uisus est.* LAV. *An idem magis est innodare*

quod

Digitized by Google

quod minus soluere? Itẽ magis soluere quod minus innodare? Quid enim si de me, qui uos duos minimũ & amo & metuo, dicam, quidam uos minus metuit quàm odit: tu tanquam ambigue, obscure, contorte loquutum sic corriges: quidã uos minus odit quàm metuit: quasi multo plus uos metuat, quàm oderit, ut quod ego imminuendum putaui, tu me nolente exaugeas. Alia est ergo hæc, alia illa sententia. Sed agam potius exemplis tecum: qui tanquam ratione uaces, nulla potes ratione peruinci. Cur M.T. *inquit? Ego uero me minus diu senem esse uellem, quàm esse senẽ antequam essem. Et alibi: Quòd si in alterutro peccandum sit, malim minus tumidus, quàm parum prudens uideri. Cur Plinius in secundo naturalis historiæ? Neq; enim omnium rerum afferri posse causas minus mirum est, quàm constare in aliquibus. Cur T. Liuius in Fabio? Malim in bono cõstans, quàm nonum in malitia ingenium esse. Et iterum. Magis uereor, ne parum inde gloriæ, quàm ne nimium belli sit. Et iterum: Nihilo militiæ melius, quàm domi respub. administrata. Cur non dixit, multo melius domi, quàm militiæ respub. administrata est? Nempe quia diuersa erat futura sentẽtia. Quod item in nostris uerbis usu uenit: hæc pro me. Cur autem tu in composite, contortè, ineleganter? Cur sermonem deinde sententiam? Cur prolatam contortè sententiam potius, quàm contortam sententiam dixeris? Imperitia tua uiderit.* FAC. *Nam concilium, quod illi parlamentum uocant. Nequeo mirari satis tuam imprudentiam. Quid erat necesse parlamentum addere, quod neque elegans, neq; Latinus sermo est? Putabas te non satis intelligi, si tantum concilium dixisses?* LAV. *Omitto de infinitis huiusmodi differere uocabulis: tantum de cognatis, ut aiunt uocibus agam. Non ne Liuius quod genus apud eum sæpissime inuenitur inquit, Cõcilium uniuersæ gentis est demissos Romanos non habuerunt parapocletos antenũcios uocant.*

Digitized by Google

Num hoc elegantius: num Latinũ est? num opinabatur Liuius, se non satis intellectũ iri si tantũ concilium dixisset? Et iterum, Summũ apud Campanos magistratũ Medistuticum appellant. Num latinũ & elegans est Medistuticus? Vnũ libet adhuc exẽplum afferre ex patria tua: Plinius lib. III. naturalis historiæ, sic ait: Padum Ligurum lingua Bodingũ uocari, quod significat carentẽ fundo. Intelligis nõ imprudẽs, sed uesane in sapientissimorum me incurrere uestigia, te in calumnioforum? nisi aut Græca uerba inseremus quæ pauci intelligunt, aut liguſtica quæ nulli: ea uero quæ iam pro Latinis habentur, & in libris multis lectitantur, fastidiremus? quanq; ò calumniator insane nõ utor ipse uocabulo hoc: sed alijs in usu testor esse, & si descendit à Græco parabola, quod pro Latino iam est. Vnde apud quosdã parabolani. FAC. Tandẽ post aliquot menses per cõuentus uniuersos, hoc est, per terna brachia Valẽtiæ & Catalloniæ, ecclesiastica, patricia plebeia ultra quatuor Aragoniæ quæ diximus locus delectus est in Aragonia oppidum Caspa. elegãter profecto ut cætera, si eloquẽs esses profecto, sic diceres. Tandẽ post aliquot mẽses summo triũ ordinum consensu qui ex Catalonia, Valentiaq; cõuenerant sacerdotũ scilicet, nobilitatis, ac plebis concilij locus in Aragonia constitutus est. Et scire debes, q; non omnes nobiles patricij appellãtur, sed tãtũ Romani à primis patribus à Romulo cõstitutis orti, uel ij etiã qui rempu. more Romanorũ gerunt per similitudinẽ quandã, sed improprie. Non enim patricios, Carthaginiensiũ, aut Campanorum leginus, sed nobiles, aut nobilitatem. LAV. Quid in me reprehendas non equidem intelligo: cõuentus uniuersos in trium ordinum consensum mutas, quasi conuentus & consensus multum habeant in significatione similitudinis, aut hoc parum Latinum, uel parum proprium sit: quorũ utrunq; falsum docebo. Et quòd Latinũ quidem sit, autores probant. Cæsar de se ait

Bodingus.

Patiamentum. Parabolani.

Scilicet.

se ait: Quòd in Italiam ad conuentus agendos profectus est. Li Conuentus.
uius: Nondum conuentus dimißus erat cum respiciunt præsi-
diũ à Corintho. Plinius de hac ipsa Hispania, Conuentus qui in
ea fierent enumerat. Alij præterea plurimi autores. Quòd au-
tem proprium, documẽto est cum hic locus, tum alius aliquã-
to superior. Cuius hæc uerba sunt: Cuius morte solutum conci
lium est Catalambri, & postmodum cõuentus prouinciales agi
cœpti ab Aragonensibus in Alcanitio, à Valẽtinis in Tragera,
à Catalonis Dertusæ, quòd hæc oppida finitima sunt alijs dua-
bus prouincijs, quòd difficilius fuit inter distractos conuentus
deliberari. Cum præsertim quotidie maiora consererentur in
Aragonia certamina, gubernatore uolente prouinciam in offi-
cio tenere ac quietam, comite accersitis è Vasconia & trãsmon
tes copijs annitẽte reliquias aduersæ factionis euertere, & suã
rebus gerẽdis præficere. Tandem post aliquot &c. Et tu meus
censor emendas: qui ex Catalonia, Valentiáq; conuenerant: ne
ineleganter si conuentus diceres. Et tamen quoquo modo con
uenerant illæ duæ gentes cum unum in locũ non conuenerint,
quo modo conuenerunt è Catalonia Valentiáq;, cum manse-
rint in sua utriq; prouincia? A quibus uelim scire, cur Arago-
niam dissocies atq; seiungas? credo ne brachia nominares, quo
nomine usus sum hoc temperamento, ut dicerem ab illis ita ap-
pellari, cum nephas putarem aliud nomen fingere ueteri & ue
ro & satis idoneo relicto: quod tu mauis fuisse dicendum ordi
nes. In quo quantopere desipias si unquam sapuisti mecum re-
cognoscas. Primum receditur ab integritate historiæ, deinde
quòd hos nemo sanus ordines nuncupet sacerdotalem, orbicũ, Ordines.
agrestem qui ne apud Romanos quidem fuerunt, tum quòd ple Ordo plebeius.
beiũ ordinẽ facis, quod inauditũ est. Cuius rei nisi fatuus esses,
admonere te potuit saltẽ marmor illud, quod quotidie præter-
grederis, quo porticus seu statio montana fulcitur, his inscriptũ

Digitized by Google

literis. Ordo & populus Neapolitanus. Si præstantium exemplum postulas, ex historico, audi Cornelium: Iisdem cõsulibus auditas Puteolanorũ legationes, quas diuersas ordo & plebs ad senatũ miserant. Tum in eo uocabulo quod me docere uis te labi ostendis: quippe cum patricij nulli iam Romani uocari queant, utpote extincto senatu: & si senatus existat, in nomen transierit certi magistratus, unde dignitas ipsa patriciatus dicitur, lege Gregorium, lege Iustiniani codices autenticasq; leges, nostrorũ temporũ historias, lege decreta decretalesq;, & quis patricius sit intelliges. Ergo non Romani nũc patricij, quia senatu carent. Cæterum quid absurdi est, si quæ urbes senatum habent, qui Romæ patres appellabantur, ut Venetiæ, ut Barcelona, ut tua domina Genua, ex his ortos appellare patricios? Certe Veneti scriptores suam nobilitatẽ patricios appellant, id quod tu nõ omnino diffiteris, ideoq; tibi ipsi non constas. Et quidem ter tam paucis in uerbis: semel, quod cũ Romæ tantum uelis appellare patricios, tamen ais, qui nobiles alijs in urbibus more Romanorũ Remp. administrant, eos improprie quidem, attamen appellari patricios. Iterũ quòd licet Carthaginienses Campanosq; non abnuas sic uocari, quia Romanorum Remp. administrarent, tamen concedis nunquam hoc nomine appellatos. Tertio quòd uetas me posse saltẽ improprie uocare patricios, quos improprie sic uocari posse cõcedis. Ad extremum elegantiam tuam requiro, sagax & argute indagator elegantiæ, quis politus scriptor eo modo scilicet, usus est, quo tu? FA. Gẽ libertus Centolia cũ bene magna manu clientũ in agrũ Valentinum incursionẽ facit. Mẽdicus, ut uideo semper eris, cũ bene magna manu. Isto modo diceret sutor aliquis, aut caupo, non certe historiographus: quo uerbo hactenus iam ter, aut sæpius est usus, quasi nesciens, aut cũ satis magna, aut si bene pro uade accipi uis, cũ per magna militũ manu dicere. LAV. Posſum

Patricij.

Scilicet.

ijsdem

ijſdem, quibus apud Terentiũ Menedemus, uti uerbis: Ego me non tam aſtutũ, neq; tam perſpicacẽ eſſe, id certe ſcio: Sed hic adiutor meus, & monitor, & præmonſtrator Chremes hoc mihi præſtat. In me quiduis harũ rerum conuenit, quæ ſunt dicta in ſtultũ, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus: in illum nihil poteſt. Nam ſuperat eius ſtultitia hæc omnia. Nońne ait Cicero, ne ſuperius repetam exemplum, de oratore? Si ad te ille bene ante lucẽ ueniſſet. Et pro Murena: Cũ bene magna caterua ſua uenit. Et de finibus: Habẽt & bene magnã & ſatis litigioſam diſputationẽ. O uere ſutoris fili, cauponiſq;, imò in cauponẽ ſuto remq; patrẽ cõtumelioſus & impius, quæſtũ illi ſuũ ac uitã exprobrando. Sutoŕne Cicero & caupo? caupóne ac ſutor Oppius, Hirciuśue? apud quẽ in ultimo cõmentario de geſtis Cæſaris intra nõ q̃ plurimas paginas reperies: Et bene magna cõparata manu. Et, bene magna multitudo. Et, bene magnũ tempus. Et, bene multis uulneribus affecti. Et, bene magna prioris muri parte deiecta. Et tu mihi uitio uertis, quòd intra duo uolumina ter uſus ſum, ac mendicũ uocas, quaſi mẽdicitatis & nõ copiæ ſit bene ponere, p ualde, uel pro ſatis: quaſiq; hæc iſta ſint nota, ac trita uulgò: quòd ſi mẽdicitas eſt, nota nõ habuiſſe hæc aduerbia, & ego ipſa nota habui, pfecto tuo iudicio tu mẽdicus es, qa bene pro ualde neſciſti. Nã ſi dicis per p ualde me ignoraſſe, lege elegãtias meas, ubi docui, qd' nec Donatus, nec Seruius, nec Priſcianus tradiderãt, per cũ poſitiuo, q̃ cũ ſuplatiuo, Itẽ perq̃ pro ualde cũ poſitiuo tãtũ cõiũgi. In quo Panhormita reprehẽſum ſe deprehẽdit, q, ut eſt friuolis ĩ rebus ac nugatorijs gloriоſus, iactabat ſe principẽ fuiſſe in epl'arũ calce ponẽdi q̃raptim, cũ dicendũ ſit, q̃ raptiſſime, uel perq̃ raptim, ſiue p raptim: niſi ipſum decebat uitioſa oratio, ſemp ferè mentientẽ ſuas epiſtolas raptim exaratas. Sed ò te raptũ Phreneſi. Ais ſi bene, p ualde uolo accipere, dicẽdũ fuiſſe, p magna: nõ ſecus ac ſi qs amicũ

Bene pro ualde.

Per, & Perq̃.

Panhormita taxatur.

cui

cui constitutū sit hyeme nauigare, sic admoneat: Nolim hyeme mare intres, sed si ita tibi constitutū est, eligito cōmodā hic domū quo ad hyems durat. O plus q̄ caudex, stipes, asine, plūbee, si uolo accipere bene pro ualde, & hoc mihi cōcedis, cur idem uocabulū non uis me capere, sed aliud? Nam illa transeo, quòd clientum mutasti in militum, & hactenus & iam, quorū aduerbiorum alterum redundat, inferfisti. FAC. Hinc quatuor illinc sex leugis distante. Latinus es, & non pudet loqui Gallice? An hæc tibi pulchrior dimensio uidetur, quàm per milia passuum: quod uerbum Romanum est, & notum, & usitatum? Sed uoluisti applaudere genti de qua scribis (ut uideo) & ob id uerbo externo uti noluisti sapienter. LAV. De quæstione hac superius satisfeci. Nūc uecordiæ tuæ te admonebo, quæ tanta est, ut ad singulos propè gradus prolabaris, ac dedita opera id facere uidearis: Leugam ais gallicum esse uerbum, probe tu quidem: cur autem eo utor? nempè ut genti assentarer, siue, ut more tuo loquar, applaudcrē, de qua scribo, & quæ gens est, de qua scribo? certe Hispana. Quo igitur pacto, ò Ligurum infamia, gallice loquens assentor, siue applaudo Hispanis, & non Gallis? Et nunc Gallos, superius uulgus hoc modo loqui uolebas. Præterco quòd tersius eloquutus esses, exempto secundo uoluisti. FAC. Et id tēporis non poterat sententia pro aliquo compeditorum ferri, nisi à sesquialtera parte iudicum. Iterum in superius inelegantiæ uerbum incidisti, quoniam id uerbum inusitatum, aut certe rarissimū maxime in historia. Elegantius, atq; id temporis pro nullo compeditorum iudicium ferri poterat, nisi ex omnium iudicum numero duæ partes in sententiam conuenissent. LAV. Superius uolebas hoc nomē historicis oratoribusq; ignotum, nunc rarissimum inquis: non quia scis, sed quia times alicubi reperiri: quod ne intellexisses quidem, nisi ex alijs historiæ meæ uerbis, quo quid stultius, negare & affirmare

Leuga.

mare quæ nescias? Nunc spectemus quonam modo meã promis sententiam elegantius, aut potius effutiens nauseas. Ego & id temporis: tu, atq; id tẽporis mutasti, & in atq; ambitiose, pueriliter, inepte: quòd si quid differentiæ in usu habent hæ cõiunctiones: &, magis huic loco conuenit, utpote incursu sententiæ. Ego, non poterat pro aliquo competitorum: te nõ aliquo mutasse in nullo, ineptißimum fuit. Ego, sententiam ferri: tu, iudicium ferri, sentẽtiam quoq; mutasse in iudicium par ac similis ineptia, cũ nihil plus in hoc quàm illo sit, neq; significationis, neq; nitoris. Verum præter hoc eruditionem tuam declarasti: euoluantur omnes legum, omnes ciuilis ac pontificij iuris libri, & sicubi iudicium ferri scriptum reperias seruituti te libero, quam mihi seruire debes? ne posßis dißimulare ne unum quidẽ uerbum te ex iure uel audisse, uel legisse cum quo oratores omnes historicíq; consentiunt, semper dicentes sententiam ferri à iudicibus: Interdum etiam sentẽtiam dicere, quemadmodum in elegantijs tradidi. Tu uero homo male sanus cum communem loquendi morem reformides, specie deceptus elegantiæ, ut canis ille qui fingitur in fabulis ueram carnem pro falsa amisisse. Quid illa redundantia uerborum, qua semper inuolueris? nisi ex omnium iudicum numero duæ partes in sententiam conueniissent: quod certius sic uelociusq; dixisses, nisi ex duabus iudicum partibus, uel ex maiori iudicum parte. Nam in sententiã iudices conuenire, cum sententiam laturi sunt, sermo sutoris, cauponis, & piscatoris est: deniq; in sententiam pro in sententia contra grammaticam est: in quo decipit te uerbũ conuenio, cuius est natura, ut cum significet simul uenire, accusatiuũ postulet: dum cõcordare ablatiuum, cũ in utrobiq; præpositione. FAC. Quem quia nouerat suæ partis commodißimum fuisse sauiatus est. Hoc uerbum scire debes, comicum non historicũ est, & propterea in historia fugiendũ est. LAV. Vbi tamdiu

Et, & atq.

Ferri sententiam non iudicium.

Conuenio in sententia & in locum.

Sauiatus.

tanta

tanta latuit sapientia? quid ita sero tantum uirũ atq; omnis eloquentiæ præceptorẽ agnoscimus? quẽ non Liguria, sed Scythia censorẽ nostro orbi donauit: desciscо iam abs te Cicero, quem ducem hactenus sum sequutus, ita scribentem in Bruto, de Iunio Bruto: Quid de matre sauianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteq; coniecerit. Et ad Tironem in epistola illa. Sic fratris tuos q; oculos, etiamsi te ueniens in medio fòrò uidero, dissauiabor. Te quoq; Plini de Cicerone eodemq; sic in epistolis carmine scribentẽ. Nam queritur, quòd fraude mala frustratus amãtem Paucula cœnato sibi debita sauia, Tiro, cũ conterraneo tuo patrisue tui Catullo, qui sic scribit ad Varanum suorũ amicorum, ut ait, antistitem iucundũ, Os oculosq; sauiabor. Et ad Furium: Illo purpureo ore sauia. Et in Cæsarem: Sauiolũ tristi tristius elleboro. Et te Marce Varro respuo, qui differentiã hanc pro tua consuetudine nõ tradidisti, inquiens apud Noniũ Marcellum: Ab ore dicitur osculum, non ab suauitate, unde suauium quod simile sit sauium. FAC. Dũ pacificaret interposita sua autoritate inter dissidentes. Eleganter profectò more tuo: sed ego sic dicerẽ: Dum inter dissidẽtes pacẽ componeret, uel dum dissidentes ad pacem, uel ad concordiam reuocare conaretur. LAV. Non igitur eleganter Plautus in Stycho inquit: Sed sator ego tecũ pacificatus sum Antipho. Nam pacifico & pacificor inueniri etiã Priscianus tradit. Nõ Quintil. in XI. lib. Gestus qui in statuis esse pacificator solet. Nõ Sallustius in Iugurthino: Igitur Vaccenses, quo Metellus initio Iugurtha pacificante præsidiũ imponeret, fatigati regis supplicijs. Nõ Liuius: Inter hæc pacificatum legati à Volscis Equisq; uenerunt. Et iterum: Nunc ad pacificandum bene atq; honestè inter primos stabis. Et alibi: Ad dirimendũ bellum adhibitus & ab Aetolis, & à finitimis pacificator Amynander rex Athamanũ. Non Iustinus: Sed Hãno punico ingenio post paucos dies tacitus quasi pacifi

Sauia uulgo suauia.

Pacifico. Pacificor.

pacificator Carthaginiensiũ, Pyrrhum adijt. Et alijs pluribus in locis. Poßum aliunde plurima cõgerere exẽpla, quorum te nullius cõstat meminisse: dum alterũ hoc uerbo utentem, ut barbarum carpis, apertæ dementiæ est. Adde quòd ais dũ conaretur, id est, usq; dũ inciperet, cũ ego de fine agã, tu de principio sentis: opinor significatione huius uerbi dũ, tibi nõ cognita. Et reuocare eos ad pacẽ cõcordiamq; uis, qui nunquã inter se fuere concordes ac pacati. Quanq; haud scio an tuus modus, in quẽ emendas meũ, sit elegans: cõponere inter dißidentes pacẽ, cum A. Gellius lib. VII. dicat: Cõnixi sunt Rhodienses legationibus Romam sæpe mißis id bellum inter eos cõponere. Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequiuit &c. FAC. Diuersabatur regina in propinquo monasterio cum sanctimonialibus. Magnifica profecto oratio & uere Tulliana: uel eius qui elegãtiæ parens haberi uelit. Ego nõ sic dicerem, & id esset fortasse pulchrius. Diuersabatur regina apud uirgines diuo Dominico dicatas, quæ à regia nõ procul aberant. LAV. Magnificentiam in me oratiõis desiderat Fatuus, quasi ad hũc locũ magnopere faciat magnificẽtia dicendi. Sed uidelicet Ciceronẽ imitari uoluisti dicentẽ: Nunq; se minus solũ esse, q̃ cũ solus esset, nec minus ociosum q̃ cũ ociosus esset, et reliqua deinde. Magnifica uero uox, & magno ac sapiẽte uiro digna. Verũ ut ille optime, sic tu peßime de magnificẽtia locutus es, cũ de elegãtia agis. Neq; uero minoris insaniæ est qua te sic existimas Tulliane dicturũ, diuo Dominico dicatas, cũ Tullius nec diuo libẽter utitur, ut in diuo Iulio: & Dñicũ hominẽ nõ audiuit. Illud uero lõge stultißimũ, q̃ cũ sordes orationis meæ insectaris, non tñ affirmas mũdius dici potuiße, inquiẽs, & id esset fortaße pulchrius. Fortasse nõ utiq; pulchrius. Quid si nõ pulchrius, ut fortaßis est? Sed si mundius ac pulchrius, cur igitur stolidißime mortaliũ, p certo accusas, qđ pro nõ cõperto tibi eẽ cõfiteris? Inspiciamus q̃ recte: Ego, diuersaba

Conor. Reuoco.

Diuus.

ſabatur regina in propinquo monaſterio cũ ſanctimonialibus: tu, diuerſabatur regina apud uirgines diuo Dominico dicatas. Ego intra certos parietes reginam facio habitantem. Tu uelut Dianæ uirgines, quæ in ſolitudinibus ac ſpeluncis habitabãt, uideris innuere: & apud illas proinde quaſi ab eis aleretur, protegeretur, ſuſciperetur: apud monaſterium regina domicilium habuit, nõ apud ſanctimoniales. At enim ſordet tibi (nam quid tibi putido non ſordet?) Monaſterium tanquam non antiquũ, quod perantiquum eſt, & Græcum, ſicut Cœnobium. At non uſitatũ Liuio & Salluſtio. Tametſi quis hoc affirmare audeat, cum melior pars ex libris illorũ interciderit, ut Varronis etiã aliorumq; multorum? Eſt inuſitatum antiquiſſimis, ideoq; reiiciendum cenſes. At quo pro iſto nomine uteris? nimirũ tuo more circuibis potius quàm os ita ſordido itaq; coinquinato polluas. O ſtultum Iuſtinianum cũ ſuperioribus imperatoribus? O ſtultos Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium. Quid hos tantum ſtultos? Gregoriũ Naſianzenum, Baſilium, Chryſoſtomum, & breuiter omnes Græcos Latinosq; Chriſtianos: qui nomen maioribus ſuũ ignotum (ſi accuſatori credimus) uſurparunt. Maioribus inquã gẽtilibus ſiue ethnicis. Iterũ me reprehendes, quòd in barbariem cado, imò tu reprehendendus es, qui iterum, & ſæpius, ac milies in ſtultitiam procidis. Nam quæ dementia eſt cum ego neſciã, aut nolim ſignificare quibus ſacris initiatæ eſſent, quodq; iuxta regiam habitarent ſanctimoniales, te id addere? ſi tu Scytha uel Ligur addidiſti, & non potius Antonius Panhormita, ubiq; ſe, uelut mus, indicio ſuo prodens. Is ut Siculus, hæc quæ de Sicilia à me commemorantur emendauit: ratus hinc notatum iri, aut barbariem meam, aut indiligentiam, barbarus ipſe & Maurus. At ſanctimoniales non ita purum uocabulũ eſt, ut uirgines: primum non uideo cum ſanctimonia latiniſſimum ſit, ut

Monaſterium Cœnobium.

Nouis utendum uocabulis rerũ nouarum.

Ironia.

In Panhormitã. Sanctimoniales.

Sanctimonia.

Cicero

Cicero pro Rabirio: Ad deorum religionem & ſanctimoniam demigraſſe: & ſanctimoniales nõ adeo nouum nomen, deinde quod apud eoſdem quos nominaui latinos, ſæpe legimus. Tu ô caput omni prudentia doctrinaq; uacuũ, de tuo quoq; Panhormita loquor, nõ magis capillis foris, q̃ intus modeſtia & grauitate, non hic pilis magis, q̃ illic ſcientia nudo. Non dico quota quæq; ex ſanctimonialibus uirgo reperitur: ſed nũquid ſolæ uirgines admittuntur? non ne quæ uxores? non ne quæ matres? non ne quæ impudicæ fuerunt? Nunquid quæ uirgines admittũtur tales perſtant? Iſtæ ne ſanctimoniales an uirgines erũt? Ais uirgines, ſic opto ſint uirgines Panhormita filiæ tuæ: de ſe id prædicẽt, quod mulier illa apud Petronium Arbitrum, Se memoria non tenere fuiſſe unquã uirginem. Vos quia inuenitis ſacerdotes Veſtæ nominatas uirgines, idem de noſtris ſanctimonialibus effici creditis. Nec uos admonet ipſum nomẽ ſacerdotis: ut enim olim nominabantur ſacerdotes, nam & ſacra faciebant, quarum nulla niſi quæ uirgo putaretur cõſecrabatur: ita nunc in uniuerſum ſanctimoniales uocantur. Afferã unũ de his quos nominaui, teſtem: Iuſtinianus ſæpe ait ſanctimoniales uiduas, ſanctimoniales uirgines, ſanctimonialem uitã, ſanctimonialem conuerſationem: & quodã loco codicis, cuius titulus eſt de raptu uirginis, uel uiduarũ, nec non ſanctimonialiũ. Raptores uirginum honeſtarũ uel ingenuarum, ſiue iam deſponſatæ fuerint, ſiue nõ, uel quarumlibet fœminarũ, uel uiduarum licet libertinæ, uel ſeruæ ſint alienæ, peßima criminũ peccãtes, capitis ſupplicio plectendos decernimus, & maxime ſi deo fuerint uirgines, uel uiduæ dedicatæ: Et in fine capituli: Omnibus legis Iuliæ capitalis quæ de raptu uirginũ, uel uiduarum ſeu ſanctimonialium, ſiue antiquis legum libris, ſiue in ſacris conſtitutionibus poſita ſunt de cætero abolitis: ut hæc tantummodo lex in hoc capite pro omnibus ſufficiat, quã de ſanctimonialibus etiã, Veſtales.

Digitized by Google

Virgines deo non hominibus licet sanctis consecrantur.

& uirginibus, ac uiduis, locũ habere sancimus. Postremo quis uos docuit illas diuo Dominico, ac diuo Francisco, aut diuo Benedicto dicari, consecrariue, siue initiari, & non deo? An quia ueteres homines consecrabantur dijs quorum nullus non homo fuerat, & quidem nequam, Christianos fas sit consecrari dijs (sic enim sanctos, & bonos interdum appellatos inuenio) & non deo? ut Iustinianus ait: Si deo fuerint dedicatæ. Legite, legite infelices rerum optimarũ scriptores, nec paculis sitis literis ex antiquitate contenti, unde plus tumoris quàm eruditionis hausistis, ne dicam furorem, stultitiam, prauitatem, uos unà (quod aiunt) cum materno lacte suxisse. FAC. *Venerat iam regina Panormum, tenebatq; se in domo regia, quæ dicitur illorum lingua Hosterium. Et hoc quoq; est ex illo tuo errore consueto. Quid enim necesse erat adijcere, quod hosterium dicitur? quod totam orationem deformat atq; dehonestat.* LAV. *Ex infinitis quæ se offerunt exemplis, illud Ciceronis ex eadem insula uisum est accommodatissimum in Verrem: Deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuteriũ uocant. Quid ais Fatue, dehonestat orationem, atq; deformat buleuterium? nunquid hosterium? uter magis loquitur Tullianè, ego qui Tullio reperior similis, an tu qui criminator illius detractorq; conuinceris?* FAC. *Cum hæc triremim, Bernardus domum ingreditur. Tu qui grammatice præcepta tradis, ignoras hoc nomen triremis quartum casum triremem facere, non triremim. Nam siue substantiuum, siue adiectiuum id nomen accipias, accusatiuum casum in em, non in im, mittit: quod tibi tanto grammatico ignotum esse non debuit. Nec dicere potes hoc uitio eius qui librum transcripsit cecidisse, quoniam quater hoc accusatiuo in im, uteris.* LAV. *Hic te teneo, nõ minus q̃ in superioribus, ubi sciens quædã librarij uitia, tribuisti mihi. Nam ò stolidissime, quid ita magno hic grammatico est*

Hosterium.

Buleuterium.

opus

opus? quis adeo imperitus puer ponat im, ut patrim, matrim, panim, dentim, & non ecõtrario potius, ut sitem pro sitim? quod ergo in puerum non cadit, id tu in me cecidisse uis, & peruersitate naturæ omnia in deteriorem accipis partem, interpretarisq; imperitiam quod altiore quadam ratione debebas dictũ suspicari. Ego alibi triremem alibi triercm, alibi trierim, alibi triremim posui, tanq; à trieri descendens, quod sit τριήρης, uel τρίκροτος. An trieris in usu nõ est? imò hexeres & hepteres. Trieres. Oppius seu Hircius: Altera nauis trieris. Quod nomẽ exponẽs Pædianus ait: Trieris ternos remorum ordines habet, ita & biremis, & quatriremis, & deinceps dicũtur. Liuius: Maximæ formæ naues tres hexeres habebat, duas hepteres: à qbus nominibus non ne accusatiuus in im, exit, non solum in em? Quis neget triremim, ut trierim tanquam eodem utrunque fonte? semel, aut iterum posui, sicut aliquoties quoque triremem, deliberaturus cum amicis tum Græcarum literarum, tum eloquẽtiæ studiosis. Quare non imperitia homo imperitissime peruersissimeq; feci, sed magna cum peritia atq; consilio. FAC. Illud planè contra grammaticã est, quod tu (ut ad tertiam inuectiuã ueniam) pueriliter amisisti. Et te magistrum artis facis, & elegantiæ præcepta tradis: quẽ librũ tuum si quo modo mihi ociũ fuerit, ut perspicere ac resupinare ualeam, fortasse adhuc efficiam, ut qui eius exemplum à te habent, eum tanquam rem inutilem, & friuolam in linguam latinam, abijciant. LAV. Eum ad exemplum non ad librum referri potest, ut superius ostẽdi: siquidem, ut ibi dicendum est tragœdias Euripidis quas emi, nõ quẽ: ita hic, exemplũ libri tui quod habeo, nõ quẽ habeo: quòd si uis utiq; grãmatice dici masculino posito pro neutro, ad puerorũ te examen iudiciumq; ire iubeo. FA. Illud ipse iudicas, male te exemplũ posuisse pro exẽplar: cũ hoc nõ illud habeatur, di Exemplum. cente Festo: Exemplũ est quod sequamur, aut uitemus. Exẽplar Exemplar.

Digitized by Google

ex quo simile facimus. Illud animo existimatur, istud oculis conspicitur. Tuum uero etiam manibus (ut significas) tenetur. Nã quare in historia regi dicata & tradita totics, & tam insigniter peccasti, quæ debet esse elaborata, & ab omni uitio pura, quid existimãdum est de eo libello, quẽ incurioſius edidisti?

Edere.

LAV. *Quare pro si, seu, cum posuisti, quod inauditum est: edidisti quoq; pro cõdidisti, quoniam edere publicare est: inq; cõdendo diligentia uel incuria, non in edendo.* FAC. *Sed ad accusationes tuas procedamus. Et uerba ista Aragonensis. Cum ab Aragonia Arago fiat, non Aragonensis, ut à Macedonia Macedo, ut à Paphlagonia Paphlago dicitur.* LAV. *Belle præceptor, qui latine græcissas, Græcarũ literarũ omnino expers. Quid simílius Aragoniæ quàm Catalonia? quia de hac fecisti mentionem asine non scythicè (nam nulli feruntur esse in Scythia asini) sed ligustice, exempla ad Aragoniam penè scythica attulisti, relictis finitimis atq; conterminis, dixisses saltem Aragonios: Nam Plutarchus Catalonios uocat. Transeo quòd Septimius Paphlagonios, & nõnulli Macedonios, unde propriũ nomen Macedonius & Macedonicus adiectiuũ: ut triumphus Macedonicus, ora Macedonica, mare Macedonicum, quod cognomen quibusdam Romanis familijs est factum. Sed faciant sanè tecum duo ista exempla, an legẽ ex duobus constitues exemplis? & ciuitatem ex totidẽ hominibus potius quàm ex mille? Nunquid à Babylonia non fiet Babylonius, sed Babylo? ab Ionia, non Ionius, sed Io? A Lycaonia non Lycaonius, sed Lycao? à Pannonia, non Pannonius, sed panno? ab Aonia, nõ Aonius, sed Ao? à Pœonia, Pœo, non Pœonius? à Mygdonia, Mygdo, nõ Mygdonius? à Mœonia Mæo, & nõ Mœonius? à Sydonia Sydo, non Sydonius? ab Hæmonia hæmo, & non hæmonius? ab Ausonia Auso & non Ausonius? Hæc contra tuã correptionem exempla sunt. Aliquid prompti fãcti ratione subiungam*

Asini in scythia nulli.

Macedonicus.

Digitized by Google

gam, ut taceam ab ipsa Hispania Hispanienſis, à Populonia fit Populonienſis, à Bononia Bononienſis, à Colonia Colonienſis, à Fauonia Fauonienſis: ſic ab Aragonia Aragonienſis. Neq; uero mihi fuit immutanda, quæ tam diu inoleuit, conſuetudo, cũ ab omnibus dicatur Aragonenſis non Aragonius, nec Arago, ſitq; Arago fluuij nomen, non gentis illius. FAC. Et tradi torem & baram barbare inepte à te prolatu. LAV. Hæc mea uerba ſunt in oratione, quæ hic ad literã ſubijciam. Et ſi quis ab ea quicquam uel emerit, uel pignori acceperit, eũ continuo proditionis crimen incurrere, uocariq; apud Aragonenſes traditor, apud Catalonos baram. Ex quo ſatis deprecor uocabulorum inſolentiam ea præmunitione, quòd dico ſic ab illis uocari, quam tu furcifer ſubtraxiſti. Enimuero barã ſic dixi, ut Lucius Florus Celiam: Cum ſe prius epulis quaſi inferijs impleuiſſe carnis ſemicrudæ & celiæ (ſic uocat indigena ex frumẽto potionem) ut Cæſar. Armoricam uniuerſis ciuitatibusq; quæ Oceanum attingunt, quæq; eorum conſuetudine armoricæ appellantur. Traditorem autem cum ſcirem illos ex euangelio mutuatus, ubi Iudas traditor appellatur, non ita irreuerens religionis ſum, ut euangelicum uerbum in ore populorum uituperem, ac uitio uertam. FAC. Sed utinam uerius quàm gloriosius dicerent. Rectius quo ad artem grammaticam dixiſſes, atq; utinam uere magis quàm glorioſe dicerent, cum ſit comparatio ad ſeipſum non ad extrinſecam perſonam. In ciuſmodi enim conſtructionibus magis quàm particulam honeſtius interponimus, ut ſic dicam, Cæſar fortiter magis quàm moderate res geſſit. LAV. Minus ergo recte, minus grammatice, minus honeſte, ſcriptores omnes dum aliter quàm ut tu emendas, loquuti ſunt. Curtius: Magnificentius hæc iactata quàm uerius. Iterum, Id conſilium non ratione prudentius, quàm euentu felicius fuit. Et iterum: Sed acrius quàm cõſtantius prælium inierũt.

Arago. Baram.

Celia.

Comparatiua geminata.

Digitized by Google

Iterum: Hoc *sæpius prudentius quàm auidius persecutus est. Rex quoq; audior quàm patientior tum consilium cæpit utilius Bessо quàm gratius: dum acrius quàm cautius pugnat. Affĕram ex Liuio, Sallustio, Cicerone, singula exempla. Nam si tot uelim quot poßum in infinitũ res procedet.* Liuius lib. XLII. *Non acrior quàm pertinacior impetus Romanorum. Alter in Iugurthino: Multi dubitauere fortior an felicior esset. Nil enim*
An & q̃. *differt hoc loco an à quàm. Tertius in Catilinã: Vereor ne potius omnes boni serius à me, quàm quisquam crudelius factum esse dicat. Adeo Solinus lib. polyhistoron, siue Collectaneorum sic orditur. Quoniam quidã impatientius quàm studiosius opusculum, quod moliebar, intercipere properarũt. Sed quid agũt alia exempla, cum Priscianus hoc præcipiat, subiecto quod superiore libro protuli exemplo? Tam iustior q̃ felicior Aeneas Hectore fuit, subdis tamen, Posse tamen autoritate tolerari non abnuerim. Liuius XXX. ab urbe cõdita: Non spiritus magis magnos quàm utiles. Idem paulopost: Omnibus tuis secũdis rebus, nostris dubijs iam apta ac speciosa danti pax est, nobis petentibus magis necessaria quàm honesta. Ideo stultus ideo peruersus, qui non abnuas propter autoritatem posse tolerari tamen, ut uitiosum accusas, immemor hoc à Prisciano esse præceptũ. Et tu apud me præceptoris fungeris uice, stulte atq; excors, in re uel omnibus nota, & præter exemplum tuum uteris (ut Cicero inquit) testibus non necessarijs. Quid enim ista exempla contra me agunt? Cur quæ pro me sunt, & ea tam multa, uel non uides, uel taces? quorum alterum stultitiæ est, alterum peruersitatis. Et quoniam docere me uis quod aut omnes sciũt, aut ipse nescis, Accipe quod non modo te, sed Priscianum etiã doceam. Is enim tradit magis, aduerbium non solum positiuo, sed etiam comparatiuo iungi, quando ipse comparatiuus uel ad se, uel ad alium comparatur: ut, Achilles Aenea fortior*

magis

Digitized by Google

magis quàm iustior. Hoc, Prisciani pace, apud probatos autores incompertum est, Solinum ut opinor sequuti, cuius uerba, quæ modo attuli, ita ferè leguntur. Quando quidam impatientius potius quàm studiosius opusculum, quod moliebar, intercipere properarunt. Si ita scriptum reliquit Solinus, & eum sequutus est Priscianus, Nam & sequitur aliquando, dicam quod sentio, parum probabiliter hunc facere: qui omissis interdum eminentissimis autoribus, plebeios quosdam, ac minutulos consectatur, è quorum numero Solinus est, qui è Plinij liquidissimis fluminibus turbidos quosdam riuulos tortuososq; deducit. Alterum exemplum ad hanc rem pro simili, licet tale non sit, & ipsum ex se attulit Priscianus. Aiax Vlysse fortior magis quàm Diomede: quod minus quidem quàm illud, tamen uitiosum est. Cuius rei est causa, quòd magis (ut in elegantijs tradidi) aduerbium comparatiuum est loco maius. Nam neutra comparatiuorum aduerbiascunt, ideoq; non potest exponi per magis comparatiuum, quia ipsum tale est, ut Curro magis: unde factum est, ut præterea quæ tunc tradidi, hoc è re præsenti adijciam argumentum: ex eodem tamen fonte deriuatum, Quòd cum duo comparatiua componantur, sicut ostendimus, non poterimus tamen loqui per magis duplicatum & positiuum, quale esset. Nec magis magnifice hæc iactata sunt quàm magis uere. Hæc Priscianus non animaduertens, nouum loquendi genus introduxit, quippe quod nullo confirmare potuit exemplo, quod alij sic dicerent: Aiax Vlysse fortior supra quàm Diomede, uel Aiax non tam Diomede quàm Vlysse fortior. Quare si per positiuum uis huius significationis satis explicatur palàm ex aduerbio comparatiuo, ut magis, ut potius, aliquid, si illo utamur, redundare: nec nos Latine ac grammatice loqui. Habes'ne mihi gratias, quòd te, & quidē tanta, doceo? Si habes, te doceri nō reprehēdi à me uolō

Solinus minutulus.

Magis.

Magis non duplicatur.

uolo existimari: sin minus reprehendi potius quàm doceri: & reprehendi, non modo ut indoctum, sed etiam ut ingratũ. Sicut in illo quoq; quod dixisti, quo ad artem grammaticam, cum dicendum fuerit quantũ seu quatenus ad artem. Et extrinsecam, cum tantum sit aduerbium extrinsecus. Nec absolutũ iri te credas si quem nostræ ætatis, aut aliquem ex impolitis proximorum seculorum in testimonium cites: in nullo enim inest tantũ autoritatis, ut cum antiquitate sit comparandus, nedum præponendus: quos certum habeo non iudicio sic dixisse, sed errore.

Quo ad. Extrinseca. Extrinsecus.

Beneficiarij. FAC. Cum plurimas clientelas multas ex nobilitate beneficiarios haberet. Et hic quoq; sermo ex tua nobili schola depromptus est. Ego uero nõ beneficiarios, sed beneficio deuinctos dicerem. Beneficiarij enim, ut scias, sunt quoddã genus militũ, qui ex eo ita appellantur, quia promouentur ad honores beneficio tribunorũ, ut inquit Vegetius: Idq; cõfirmatur autoritate Cæsaris in cõmentarijs suis cuius hæc uerba sunt: Hæc erãt milia XLV. euocatorum circiter duo milia, quæ ex beneficiarijs superiorũ exercituum ad eũ conuenerant, quæ tota acie dispersa erant. LAV. Respondebo ad diffinitionẽ Vegetij, exemplũ Cæsaris, modestiam accusatoris. Et etiã diffinitionẽ Vegetij absolutam perfectamq; ducimus, tanquam nihil omittentis in diffiniendo. Cur idem inquit Contubernium esse communẽ quandã sub uno papilione uitæ societatem, & inde contubernales dictos? cũ sciamus contubernales in urbe & domi nostræ, præcipueq; sub patrefamiliâs degentes esse, & horũ cõtubernium, quod non modo eiusdẽ domus societatem significat, sed eiusdẽ quoque tori, ut apud Paulum de sponsalibus libro Iustiniani digestorum XXIIII. Veluti ut eam quæ in contubernio filij fuerit, patrem quasi nurum non ducere. Illud Iustin. lib. II. Inter seruos & liberos matrimonium contrahi non potest, cõtubernium potest. Quare Vegetius, neq; enim pereruditus uir

Contuberniũ. Contubernales.

Vegetius.

Digitized by Google

uir fuit, ut in hoc ita in illo non absoluta diffinitione complexus est significationem. Nam illud quoq; significat, ut in eisdem cõ mẽtarijs Cæsaris: Petreius uero, nõ desunt sese arma familiamq; cum hac & prætoria cohorte cetratorũ, barbarisq; equitibus paucis beneficiarijs suis, quos suæ custodiæ causa habere consueuerat, improuiso ad uallum aduolat. Quis dubitet beneficio Petrei qui dux erat, non tribunorum, hos factos esse beneficiarios? nec aliter sic fuisse dicendos, nisi ab eo essent beneficijs affecti? Itaq; uiderit Vegetius, ut generaliter de beneficiarijs loquar: ne à ducibus potius, quàm à tribunis, & beneficia magis quàm honores utiq; illi acceperint, quod multo est ueri similius. Nam quis credat plura tunc in illis castris hominũ millia fuisse ad honores iam promota? Nec sine peruersitate fecit accusator meus, quòd alterum ex ijsdem libris suppresit exemplum: quiq; non uult cum uirum describebam, suos eadem ratione potuisse habere beneficiarios, qua Romani habuere: aut certe proxima atq; persimili, cum multa sint nunc in re militari ab usu ueterum diuersa, quæ referri quodammodo ad uetustatem queunt: siue uetusta ad nostrum morem aptari. Certe ne hoc nomen intercidat, ad nostrum translatum usum ferri non reprehendi debuit. Quod (nisi fallor) est à me non minus proprie positum, quàm à Vegetio diffinitum, conuicta accusatoris insigni peruersitate. FAC. Atq; quo crepitus bombardarum horribilior & ictus pernicioſior foret, omnes non momẽto sed pene puncto temporis laxabantur. Ad quorum pulsum puluereus ex discussis parietibus fumus diu in aëre uisebatur. Admirabilis profecto est eloquẽtia tua: Sallustianam ne illam dicam, an Liuianã? Vbiq; deprehenditur tua Romanæ linguæ paupertas. Ego uero sic dicerem, qui Ligur sum: Ex quo tormẽtorum æneorũ fragor plus horroris ac metus incurrere, quo ue illorũ impulsus uehementior foret, omnia uno eodemq; momento la- Accusator meus.

Digitized by Google

xari iubebat: quorum tantus impetus erat, ut post iactum ater puluere commixtus fumus, in aëre diu conspiceretur. LAV. Legi fuisse qui non multos Homeri uersus emendare sint ausi, ut parum heroicos: sed nihil aliud quàm temeritatem suam, cum hoc fecerant, ostendisse. Idem in hoc Fatuo modo usu uenit: qui cum me (ipsi blandiar) semidoctum hominem omni conatu, & aduocatis uiribus corrigere laborat, ne in uno quidem uerbo felix fuit: & si dolos etiam ac perfidiam adhibet: quod illi Homeromastices non fecerunt. Ego enim sic scripseram: Sed acrius erat certamen tormentorum, præcipueq; bombardarum, quæ utrinq; prorumpebant plurimum tamen è castris ac muris: quarum nonnullæ erant & uastitate & uiolentia mirandæ. Atq; quo crepitus horribilior & reliqua. Hic tu eloquentiam in me desideras. Inspiciamus, quantopere admirabilis sit eloquentia tua. Ego bombardarum dixi cuius nominis superius rationem reddidi: tu per circuitionem tormẽtorum æneorum. Quid? non etiam ferreæ reperiuntur? quales forsitan illæ fuerunt: qualisq; est quam noster rex habet, omnium uastissima: uocant Messanensem. Audio etiam alterius quoq; materiæ fieri, ex quo constat & te stulte sic appellare: & quia per circuitionem parum commode possumus, per suũ nomen, qualecunq; id est, debere nos loqui. Ego crepitus, tu fragor, quasi crepitus, aut nusquam reperiatur, aut hic parum quadret. Plautus de tonitruo, cui nihil quàm hoc similius est, in Amphitryone inquit: Sonitus, crepitus, tonitrus. Et in Curculione: Placite egredere, & sonitum prohibe forium, & crepitum cardinum. Iuuenalis Satyr. XI. Testatum crepitus. Titus Liuius: Sed flammis in castra tendentibus uapore etiam ac fumo crepituq; uiridis materiæ flagrantis ita consternauit hostes. Et iterum: Dispositi in muris Campanorum imbellis multitudo, tantum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte fieri solet, edidit

Homeri correctores.

Homeromasticæ.

Crepitus.

Digitized by Google

edidit clamorem, ut auerteret etiam pugnantiũ animos. Et iterum: Clamorem pugnantium crepitumq; armorum exaudimus. Atq; iterum? Nanq; clangore oris, alarum crepitu excitatus Manlius: Possum è commentarijs Cæsaris, possum è Suetonio, possum ex alijs multis exempla repetere, si necessaria forent. Ideoq; unum ex Plinio maxime idoneum adiecisse contentus sum lib. XVI. Ait Autem: Hæc genera accensa fuligine immodica carbonem repente expuunt cum eruptionis crepitu, iaculanturq;. Longe planum feci id quo sum ipse usus, nomen esse & usitatum apud ueteres, & à me aperte propriéq; positum. Ne fuerit causa cur mutaretur, nedũ in peius, quale tuum est: Quippe crepitus est uiolẽtus sonitus, & proprius rerum quæ subito rumpuntur, ut uesicæ flatu inflatæ, quæ incußis calcibus compressa diffinditur. Cuiusmodi non est fragor, lentus quidã, & continuus sonus rerum collisarũ, & quæ diutius cõfringuntur: ut apud Vergilium de uenti nondum certi aduentu:

Crepitus.

Continuo uentis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & arduus altis
Montibus audiri fragor aut resonantia longe
Littora misceri. Accommodatior est igitur bombardæ crepitus quàm fragor. Pergamus ad cætera: Ego, quo horribilior: tu, quo plus horroris ac metus addidisti: quod additũ nõ oportuit: quia horror est uehemẽtior quidã & expauefaciẽs metus.

Horror.

Necnon decrescit oratio quæ debebat augeri, metu subiuncto. Ego, foret: tu, incuteret: paulóq; post, foret: ostẽde, ubi nã inueneris incuti horrorẽ, & elegantius loquutũ te fuisse cõcedam.

Horrorem incuti.

Ego, è quo ictus pernicioſior: Tu quo ue impulsus uehemẽtior: primùm, ue, pro q;, accipis: deinde nõ uehemẽtior ut stultißime dixisti, impulsus est, si pariter omnes, quàm si subinde laxẽtur. Præterea acrius nomen ictus, q̃ impulsus: licet & ipse postea suo loco sum usus impulsus: postremo satius pernicioſior, quàm uehemen

Ictus.

Digitized by Google

uehementior. Ego, *eodem non momento, sed penè puncto temporis in uno eodemq; momẽto. Mira est in* Fatuo *impudentia: quod ego nego, id tu quasi rei gerendæ affueris affirmas. Sed uidelicet idcirco emendasti, quia punctum temporis idem sentis quod momentum.* O *imperite grammatice, qui* Latine *loquentem barbare loqui iubes: nesciens plus temporis momentum habere, quàm punctum, quo proprie nihil est minus, cum illud sit circiter horæ spatium, ut apud* Horatium *—Quid enim concurritur horæ* Momento. *Iustinus etiam amplius spatium significare ostendit,* Inquiens, *Per tot maria, & tantum spatij, tam breui horarum momento de uictoria nunciatum sit.* Ego, *laxabantur: tu, laxari iubebat. Quis nam quæso laxari iubebat? manca sine supposito oratio est. Sed hoc ad stultitiam tuam, non ad uerborum comparationem pertinet. Per me rei declaratur effectus, per te præparatio: quippe cum posset iuberi, & tamen non laxari.* Ego *ad quorum impulsum: tu quorum tantus impetus erat: à me percussio exprimitur, à te eruptio: & propterea improprium est sanè appellare tormentorum impetum, qui saxorum est tormentis expulsorum.* Ego, *puluereus ex discussis parietibus fumus: tu, ut post iactum ater puluere commixtus fumus, lenocinante tibi, seu* Panhormitæ, *uersu* Vergiliano, *—Aterq; ad sidera fumus. Et iterũ, —Mistoq; undantem puluere fumum.* O *pecus, ò Circes poculo nirgaq; in grunnientium ac subantium gregem ciecte, quem fumũ loqueris puluere cõmistum (*Illum ego ex puluere fumum appellaui*) puluereum fumũ, quia puluis absimilis est fumo, ac uerũ fumum ais, & hũc atrũ, quasi fumus nisi ater soleat esse, aut puluis ille fuerit ater? Et ne de puluere taceas, facis fumũ puluere cõmistũ quasi duæ res fuerint, ingerens superuacua, ut post iactũ detrahens, quod deterius est, necessaria: ut ex discissis parietibus, cur hoc detraxisti? nempe quia de eo sentis fumo, qui ex bombarda*

Punctum tẽporis, Momentum.

cum

Digitized by Google

cum lapide prodit. O famosum tuũ sulfureumq; ingenium, qui de isto fumo feceris mentionẽ? prorsus si de cõuiuio regio scriberes, narraturus pro quodam rei gestæ ornamẽto, quãtus ex opimis patinis sublime uapor effumasset? Ego, diu in aëre uisebatur: tu, in aëre diu cõspiceretur. Taceo quòd uerbũ tuum in clausula positũ finis hexametri est: quod etsi in historia toleratur, tamẽ hoc loco, ubi me emẽdas, dãnari debet, si modo tu numeris nectis orationẽ, aut oĩno pedes ac syllabas tenes. Quid attinebat mutare hoc uerbũ mire in amarũ, nisi omnia amarissime immutares? Quòd si ut apud Aristophanẽ est quẽadmodũ Eschyli atq; Euripidis uerba apud iudices inferorũ in lancibus posita examinantur, utra sint magis tragica, sic nostra põderarentur, profecto mea siderẽt, tua uelut inania, cum sua lance tollerẽtur. FAC. Quippe ad regem cõmeare, & tractare inter utrosq; cœperãt. Ambiguus & diminutus hic sermo est: nisi pacem, aut cõcordiam, aut quid tractaret adijcias. Neq; enim simpliciter prolatũ ullum integrũ sensum habet. Quare male abste dictum est. LAV. Non adiecit quid tractaret. Cur nõ adiecit Liuius? Quid Marcellus immolauit? taurũ an arietem, aut quid aliud? Cũ inquit, immolasse eo die quidã prodidere memoriæ: et alijs pluribus in locis huiusmodi sermo est. Nullum, inquis, integrum sensum habet. Et quomodo sensum eius etiã tu Fatuus intellexisti? siquidẽ pacem cõcordiamq; tractabat: ergo minime necessariũ fuit addere, quod ad sensus intelligẽtiam nihil facit, nec ambiguus diminutuśue sermo est, quem malignus aperte sẽ intelligere dissimulare nõ potest. Etenim quis ambiguam? quis hanc decuratam sententiam putet? Spero affinitatem inter nos futuram cum summa concordia, quoniam cõmunes amici inter utrosq; tractare cœperant. Verum tu nodum in scirpo quæris, qui scirpo uestiri dignus es, qui facũde loqui te arbitraris, istis uerbis sic simpliciter prolatis: & post ambiguus & diminutus, & nullius

Heroici uersus cauda.

Digitized by Google

& nullius integri sensus hic sermo est: infers pro conclusione: quare male abs te dictum est: quasi non aperuisses quid de meo sermone sentires. FAC. Constat inter omnes qui illi festo affuerunt, nec uidisse, nec audiuisse celebriores pompas, cerimonias q̃. Scribis de honore summo regi habito, & uteris sacrorum uerbis. Pompæ enim & cerimonia ad sacra pertinent. Elegantioribus igitur & magis proprijs uerbis usus esses, si ita

Pompa. dixisses: Constat sanè inter omnes, qui illi celebritati adfuerũt, se magnificentius, aut splẽdidius aliquid uidisse nunquã. LAV. Vis te gnarum religionis innuere, dum ad religionem ista uerba reuocas. Agnosce quantopere in isto genere sapias, discęq; præceptor quid pompa sit, quid cerimonia: de pompa præter exemplum Plauti de ueslitu amatoris, quo superiore sum usus libro, Cicero in Pisonem differens de triumpho: Quid tandem habet iste currus? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista mihi crede delectamenta, penè puerorum, captare plausus, uebi per urbem, conspici uelle. Idem de Oratore: Non enim alia sermonis, alia contentionis uerba: neq; ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamq; sumuntur. Et in Oratore: Sed hæc pompæ ac palæstræ: nunc in aciem uerumq; certamen descendamus. Et in Tusculanis quæstionibus libro quarto: Illa quidem ex rhetorum pompa, ardores animorum, cotesq; uirtutum. Et de Officijs: Ne pomparum ferculis similes esse uideamur. Sunt autem fercula pomparum simulacra uictoriarum,

Fercula. quæ in triumpho gestabantur: quod indicat Lucanus, dum inquit de triumphali pompa: Quam seriem rerum longa procedere pompa. Quas potuit belli facies. Neq; uero in lætis modo pompa est, uerum etiam in tristibus, ut Idem Cicero pro Milone: Tu spoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, felicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilanian-

dum

dum reliquisti. Quintilianus: Quid sibi uelit ille funebrium longus ordo pomparum. Liuius: Consulares uero fasces & prætextam curulem, nihil aliud quàm pompam funeris putent, claris insignibus, uelut uelatos ad mortem destinari. Hæc de pompa. Nunc de cerimonia. Illud tamen præfatus, Cur ab religione sentias abesse in templo, per pontificem, regis consecrationem atq; unctionem more sacerdotum? An consecratio ad sacra non pertinet? Accipe nunc exempla quibus citra sacrorum respectum probabo tibi usurpatum hoc à ueteribus fuisse uocabulum. Liuius: Pacem habeat sibi: legiones captas uictori restituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fœcialibus, cerimoniaq; alia solenni. Cæsar: Et quoniam in præsentia dignum erat, iterum consules profecti ad Pontum in colloquium, cum de fœdere uictor agitaret, negarunt iniussu populi fœdus fieri posse, nec sine fecialibus cerimoniaq; alia solenni. Item Cæsar: Et quoniam in præsentia obsidibus inter se cauere non possent, ne res efferatur, aut iurciurando, aut fide sanciendo petunt collatis signis militaribus, quod more eorum grauissima cerimonia continetur, ne facto initio belli ab reliquis deserantur. Omitto cætera exempla, quæ plura sunt, & tu me ais ineleganter atq; improprie locutum, in quo semel peccas. Iterum, quòd pro optimis inania uerba substituis, magnificentius, aut splendidius aliquid. Mea certe conueniunt cum illis Cornelij Taciti: Necdum celebrare solennia nuptiarum audebant. Tertio, quòd festum mutasti in celebritatem pro solenni festo accipiens, cum docti pro honoratorum hominum frequentia accipiant, aut huiusmodi hominum cultu. Quintilianus lib. 1. Ante omnia futurus orator cui in maxima celebritate, & in media repub. uiuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines: neq; illa solitaria, & uelut umbratili uita pallescere. Et iterũ in eodem loco:

Cerimonia.

Celebritas.

His

Digitized by Google

His adijcio, præceptores ipsos, non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere, singulis tantum præsentibus, quod illa celebritate audictium instinctos. Cicero pro Archia: Cum hac celebritate famæ, quum esset iam absentibus notus. Et in eadē: Nisi hāc celebritatis & gloriæ. Quarto, quòd unquam superfluæ addidisti, & sanè insanè. Quinto, quòd præposterè extulisti elegantioribus & magis proprijs, quia prius est, ut sint propria quàm elegantia. FAC. Augebant autem iucunditatem solennitatis, quòd quinq; filij circa patrem uisebantur: quorum medius inspectante omni cœtu, patrem priusquam regali chrismate tingeretur, cinxit ense equeriatus, utpote præditus illa dignitate. Et hoc quoq; depromptum est ex illa tua impudentiæ tuæ officina: quem non pudet (ut priore libro dixi) uerba noua formare, cum uetera extent, honesta illa quidem, & usu comprobata. Saltem è Græco expressisses ea uerba. Nam, ut ait Horatius. Et noua ficta q; nuper habebunt uerba fidem, si Græco fonte cadāt parce detorta. Equerium primo libro formaueras, hoc equeriatum, scilicet alter Varro, uel Tertius Cato ad locupletandam linguam latinam è cœlo lapsus. LAV. Si equeriū recte ac necessario dici suo loco probaui. Quid est quod ab eo mireris formari equeriatus, ut à patricius patriciatus? At extāt uetera. O insanum hominem, Militia ne fuit olim dignitatis nomen? & miles is qui uulgò & non Græce Caballerius nominatur? At è Græco detorsissem: quid tibi cū Græcis barbare? Et si Græcus fons huius rei nullus est, quonam pacto illinc detorquebo, cum illi detorserint è nostro? Hæc breuiter responsisse satis est. Nam quòd Catonem tertium me per derisum nominasti, ostendis te uere deridendum, qui cum mutuari uis uerba Iuuenalis, Tertius è cœlo cecidit Cato: non animaduertisti illum de moribus loqui, non de literis. Non enim fuit omnium Catonum locupletare linguam, cum posterior cato nequaquam

Equerium.

Miles. Caballerius

Cato tertius.

locuples

locuples in dicendo sit habitus, nihilq; admodũ librorum scripserit. Illa quoq; uitio non carent: quòd priorem librum uocas primũ in tertio positus, quodq; formaueras pro formasti, hoc libro equeriatum dixisti. FAC. Sed anticipato die uenit quasi officij gratia papam excepturus. Tullianum uero hoc est? Sed qui eloqui didicerunt non anticipato die uenit, quod pædagogicum est uerbum, dicerent, sed pridie ante constitutum diem. LAV. Omitto, quòd pædagogicos facis Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, cæterosq; eiusmodi, unde locus ille notissimus: Anticipauerunt uigilias oculi mei. Tullius ne ipse non suo more, non facunde, sed pædagogice dixit ad Atticum scribens, dices? Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis? Etiam expressius libro primo de natura deorum. Aut quod genus hominum, quod non habet sine doctrina anticipationem quandam deorum: quam appellat prolepsim Epicurus, id est, anteceptam animo rei quãdam informationem, sine qua, nec intelligi quicquam nec quæri, nec disputari potest. Statimq; post: Fateamur constare illud etiã, hanc nos habere, siue anticipationẽ, ut ante dixi, siue pronotionem deorum. Et iterum in eodem lib. Informatum & anticipatum mentibus nostris. O Ligurum dedecus, ac literarum opprobrium, qui Fatuè furioseq; principibus linguæ latinæ maledicis. Audi nunc historicum Suetoniũ: Nam mortem adeo leue suppliciũ putabat, ut cum audisset unum è reis Carnulium nomine anticipasse eam, exclamauerit, Carnulius me euasit. Hoc in Tyberij. Item in Claudij uita: Fecit et seculares ludos, quasi anticipatos ab Augusto, neq; legitimo tempore reseruatos. Sunt & alia alibi plurima exempla, non modo apud prosa oratione scribentes, uerumetiam apud poëtas, genus hominum inter scriptores omnes eloquendi studiosissimum, ut Statium: Anticipõ. Poetæ.

Sperauit flexæ circum compendia metæ

O Inferius

Digitized by Google

Inferius ductis phœbeius angia habenis
Anticipare uiam. Sed ò pædagogorum ſterquilinĩũ, quo au-
Pridie. *tore dixiſti pridie ante cõſtitutam diem? Non ne pridie compoſitum eſt ex præ & die, ſicut poſtridie à poſt & die, ſiue à poſtero & die: utq; hoc diem ſequentẽ ſignificat, ita illud diem præcedentem? Quid ergo neceſſe fuit addere præpoſitionem, quæ idem ſignificat quod præ? An ſic Iuſtinus inquit? Equum pridie conſtitutam diem ad audiẽdum locũ ducit, ibiq; equæ admittit. Hoc tu ſicut illud Iuuenalis imitari quàm uoluiſti tã neſciſti. Nam quòd ſingulariter diceret, pro plurali poſueris, tibi in crimine, quemadmodum tu in me faceres, non pono.* FAC. *Aduenit Sanctius epiſcopus Palentinus, ducens ſponſam pronubus & uelut parẽs puellæ. Non utimur hoc nomine bene grãmatice, niſi fœminino genere, ſicut nec nupta: quamuis nouum nuptum Plautus ſemel dixerit. Hæc enim ad fœminas, non ad mares pertinẽt officia. Pronubam enim dicimus eã quæ nouam nuptam in cubiculo ſponſo copulat: quod eſt fœminæ, nõ maris*
Nupta & Nubere. *officiũ.* LAV. *Nuptã tu ſiue nubere officiũ uocas, quod quæſo officiũ? Nempe quod propriũ eſt fœminarũ uirũ pati? Nũquid officium Priſcianus id uocat? nõ de iſto uerbo & iſto exemplo*
Binubus, Innubus. *agit. Tranſeo q, Iuſtinianus binubũ uocat qui bis: & alij quidã innubũ, qui numq; duxit uxorẽ. Ego nõ de eo loquor, q uxorẽ*
Pronuba. *cæpit, ſicut nec tu in pronuba, quæ nec ipſa nubit. Sed ſicut hæc præeſt ſacris nuptialibus, p parte uxoris (licet tu uelis eſſe quæ ſpõſam cũ uiro copulat in cubiculo, nõ modo imperite, ſed etiã fœde ac uenere diffiniẽs, ut Panhormitæ diſcipulũ liceat agno-*
Pronubus. *ſcere) ita pronubus pro parte uiri, eſtq; utriuſq; officiũ ſolẽnia curare nuptiarũ. Hic tu, præterq; quòd negas hoc nomẽ inueniri, reddis rationẽ, cur nõ inueniatur, eandẽ ipſam quòd nubere pertineat ad fœminas, quaſi uero pronuba, nunc nubat, & non ſuum officiũ exerceat, agẽdo, prouidẽdo, gubernando: quod nõ*

magis

Digitized by Google

magis est fœminæ quàm uiri, cũ sexus hic nõ faciat differẽtiam. Vnde officia multa sunt cõmunis generis, ut cõuiua, agricola, cœlicola, & alia plurima. Ex quo liquet tuam rationẽ non minus cassam esse, q̃ cassam nucem: Nihilq; obstare quin pronubus esse possit, ut est apud Græcos Paranymphus. An nos Latinũ non habemus? Tibi nõ habere dicendũ est, qui de eo mentionẽ non feciſti, in pronubo reprehendẽdo. Mihi, ut res habet, dicẽdum: nos habere in hunc sensum auspicẽ, ut apud ipsum Plautum in Curculione: Vltro ibit nuptum, non manebit auspices. Quid alia? cum de hoc uocabulo ita præcceperim in elegantijs: Auspex qui præerat nuptijs celebrandis, quia auspiciũ pro nuptijs capi solebat, adhibebaturq; hic pro parte uiri, ut pronuba quæ præest, & ipsa nuptijs celebrandis, pro uxoris. Vt Lucanus, -Contenta est auspice Bruto: & reliqua. Cur autem non dixi, nunc auspicem. Quia nõ sum Scytha ut tu, nec de Scytha loquebar, quæ gens auspicia sectatur: sed de põtifice Christiano. Cur uero pronubus? quia cum alios sacrosanctos uiros imitari uolui, tum uero Hieronymum, qui in libris Iudicum ait, Socerum Sanſonis collocasse filiã uni de amicis Sanſonis & pronubis. Sed hæc ratio tibi non probatur, Hieronymum cõtemnenti, tuq; quo nomine hanc rem appellares, nisi nunc à me doctus, ignorares. FAC. Rex tamen neq; prophetanti planè crediderat. Cum ſcribes aliquid theologicũ, iſto uerbo utitor. Sed cum ſcribes hiſtoriam, putato tibi non licere bone magiſter elegantiæ, qui tam frequenter eouſq; adhuc uſus es. LAV. Quid ais ſcelerate? non nominabo in hiſtoria mea prophetas, ſed aruſpices potius, atq; augures, cæterosq; diuinos, ariolos, coniectores? quaſi non meo, ſed Numæ Pompilij ſeculo ſcribam? Quid enim ſi de alicuius prophetæ uaticinio ſit ſcribendum? quemadmodum nunc uſu uenit, aruſpicem ne aut augurem, aut ariolum nominabo? An ne talem fuiſſe neges,

Paranymphus.

Auſpex. Auſpicium.

Digitized by Google

de quo loquebar? Hæc mea uerba sunt: Etenim fertur quidam, siue ex prognosticis corporis præsagiens, siue oraculo à quo instinctus dissipasse famam, nondum exacto quadriennio regem uita defuncturum. Rex neq; prophetanti planè crediderat, neq; tunc magnopere consolantibus acquiescebat. FAC. Cætera neglexit papa præ umbra illius nominis. Non præ umbra imperite, sed præ splendore eius nominis. Neque enim umbram, sed splendorem eximium, præ se fert pontificis nomen: quo honore nullus in terris illustrior. LAV. Imperitus ergo Cicero, qui in Pisonem ait. Nam ut leuitatis est inanem ancupare rumorem, & omnes umbras falsæ gloriæ consectari: sic leuis est animi, lucĕ splendoremq; fugientis, iustam gloriam, qui est fructus ueræ uirtutis, repudiare. Non'ne non dixit omnes fulgores falsæ gloriæ consectari? Cornelius Tacitus lib. XXX. Eo anno mortem obijt Memmius regulus, autoritate, constantia, fama, inquã tum præumbrante imperatoris fastigio datur. Vides ut fulgor imperatorius obumbrat. Et iterum: Flauium Sabinum inermem, neq; fugam captantem circunsistũt: & Quintum Atticum Consulem umbra honoris, & sua uanitate monstratum. Et iterum: Se tributa ac leges, & præ umbra regis Romanum ius uictis impositurum. En umbra regis, ut ego dixi umbra papæ. Liuius: Nam si etiam nunc sub umbra fœderis æqui seruitutem pati possumus. Quid abest? Quintilianus: Qui dum maiorem uim eloquentiæ ferre nõ possunt, sub umbra magni nominis delitescũt. Profecto magnũ nomen, splendorĕ non obscuritatem habet. Lucanus: Exacuem q̃ te cõplectar Roma, tuumq; Nomĕ libertas, & inanĕ nominis umbrã. Ecce umbra nominis pro maiestate quadam ac splendida dignitate. FA. An non est hæc abiectissimorum hominũ contumacia atq; ambitio, & luciferi arrogantia, qui dicit: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo? Locutio sanè digna historiographo

Vmbra.

grapho eloquentißimo, ne plura dicam? LAV. Digna Scytha Mauroq; sententia, qui nolit pijßimum regem piè loqui. Quid ais? illa apud Liuiũ: Ioue nate Hercules salue. Te mihi mater ueridica interpres deũm, auĉturum cœlestiũ numerum cecinit. Et alibi. Iupiter Optime Maxime Iunoq; regina, ac Minerua cæteriq; dij deæq;, dicuntur eloquentißime. Et ipsa deorum nomina, uelut stellæ illustrant orationem. Christiana uero ac pia nomina, tanquam notæ ac maculæ dehonestant, atq; deformant? Etenim solet commemorare Panhormita, seu carmẽ, seu prosam orationem, simulac de rebus ad Christianam religionem pertinentibus loquitur, obsoleſcere nitorem, atq; elegantiam perdere. Vt si uos audire uolumus, quo simus elegantes, ad cultum Herculis, Iouis, Iunonis, Mineruæ, & ante omnes Veneris, imò cupidinis, qui matre sua magis est uobis cordi, redire debemus. Ego sic regi Ferdinando dignam se orationem dedi, ut Liuius Euandro, & M. Manlio. Vos uero peruerse, qui non uultis accommodari personæ sermonem: & si potius uerus hic sermo Ferdinandi. FAC. Additum quoq; est non esse tentandum, quid facere audeãt qui primigenio dicere ausi sint, die quodam in dissensione de supplicio sontis cuiusdã. Nondũ exiccatum atramẽtũ, quo exarata sunt instrumenta declarationis de succeßiõe: & præter mores legesq; iam fieri. Ornatißime profecto & exquisitißime ut cætera. Recte tu quidem, ne à more tuo recedas: dicerem, qui cũ alias de supplicio sontis cuiusdam dissensio esset. dicerẽ, nõ pertimuerint, nondũ exaruiße publici documẽti literas: quo eius succeßio sancita sit. LAV. Cõparemus tua cũ nostris uir stolidißime, qui unam recte dicendi censes esse uirtutẽ exquisitißime loqui. Ego tres proceres facio cum rege sermonẽ habẽtes his uerbis: Obseruabãt omnes præcipueq; Garaus Caruellis præses Cataloniæ, ne quid in cõsiliarium ciuitatis male cõsulerent, neue præsentẽ furorem plebis

Digitized by Google

imperitæ magis irritarent, darentq; ſpatium, nondũ adeſſe ma turitatem, quod nunc negant, id ultro poſtea delaturos: motum plebis eſſe torrenti ſimilem, qui ad breue tempus inflatus per ennibus aquis concitatius fertur, mox æſtum ac feruorẽ omnino perditurus. Additum quoq; & reliqua. Tu ut exquiſitius lo quaris non laborans, quo modo ſequentia cũ ſuperioribus con gruant, ais? Erant qui dicerent. Hoc nõ exquiſite loqui eſt, ſed mentis exinanitæ, Ego, quid facere audeant: Tu, qd illi audeãt, nempe quid audeant dicere: nam ſequitur qui dicere non perti muerint. Et hoc exinanitæ mentis eſt, non exquiſitæ dictionis. Ego, qui dicere auſi ſunt: tu, dicere nõ pertimuerint. Cũ uerbis ſententia nõ diſſonet, tamẽ mutaſſe hæc uerba mẽtis exinanitæ eſt, & timuerint aptius erat quàm pertimuerint. Ego, die quo dam: tu, aliàs, quaſi non ſemel eiuſmodi controuerſia extiterit. Hoc etiam mutaſſe mentis eſt exinanitæ. Ego, in diſſenſione: Tu, cum diſſenſio eſſet. Par & hic ſignum mentis exinanitæ, niſi ſemper illa inanis fuit. Et eo magis, quòd ex uerbis tuis ſi gnificãtur neſcio qui diſſenſiſſe, ex meis uero iſti ipſi. Ego, nõ dum exiccatum atramentũ: Tu, nondum exaruiſſe literas. Hic magis animaduertendum exquiſitã ne oratione, an exinanita ra tione locutus ſis. Primũ, quòd ueritate diſcrepet, eximis atra mentum, quod in prouerbijs ſolet nominari, nõ literæ. Sed ſci licet atramẽtũ ut humile & ſordidũ uocabulũ repudiaſti, quaſi non de ſcriptorio atramẽto dicatur, ſed de ſutorio, hoc eſt, tibi domeſtico: deinde quòd etſi proprie dicitur exareſcere, magis tamen proprie exiccari: quod genus eſt ſiccari cruorem, ſiccari ſudorem, ſiccari ficus, uuas, poma, nõ exareſcere, niſi cum ſicut tuũ caput exinanita ſunt atq; corrupta. Tum quòd literæ pro ſcriptura nõ accipiuntur. Sed in ſingulari potius numero, quòd poſtremo non forma ſcripturæ quod eſt litera, ſed materia, qđ eſt atramẽtũ ſiccatur, ſiue areſcit. Ego, quo exarata ſunt inſtru

Atramentum.

menta

menta: Tu, publici documenti literas. Cur mutasti in literas in-
strumentum? Certe quia barbarũ existimasti. O barbaros iu- Instrumentum.
risconsultos ac rusticanos: cum mille alijs in locis, tum uero in
titulo de fide instrumẽtorum & admissione. Quid iurisconsul-
tos? An non apud plerosq; alios hoc nomen inuenies? Afferam
unum cõmune Quintiliani ac Ciceronis exemplum. Sunt quæ-
dam & falsæ expositiones, quarum in foro duplex genus est:
alterum, quod instrumẽtis adiuuatur: ut, P. Clodius fidutia te-
stium, qua nocte incestũ Romæ cõmiserat, Interamnæ se fuisse
dicebat. Alterum, quod est tuendũ dicentis ingenio. Cæterum
nihil te insimulo, nihil arguo, si modo pro isto aliud non dico
magis, sed æque propriũ substitueris. Publici documẽti literas.
Hoc uero inauditum est omnibus iudicijs, uniuersis auditorijs
iuris ciuilis incognitum. Ego, declarationis de successione: Tu,
quo eius successio sancita est. Cur ego declarationẽ, cur succes-
sionẽ nũcupaui? Quia se iudices ipsi, ut ex instrumẽto adparet
nuncupauerunt. Non enim ut Numa Pompilius, non ut Tullus
Hostilius, non ut Ancus cæteriq; reges cõsensu Senatus popu
liq; Romani, sic iste consensu procerum popularium q; creatus
est rex: sed per Iudicum sententias declaratus defuncti regis
maxime proximus, ut illi proximitatis iure succederet. Qua-
re non fuit causa, cur hoc uerbum quo uelut adamantina co-
lumna regni ius omne fulcitur eximeretur, & aliud substitue-
retur (ut sic dicam) uitreæ columnæ instar. Nam quid ad
pronunciationem Iudicum? Quid ad instrumentum? Quid
(ut tuo uerbo utar) ad documenti literas? Quid denique ad Sanctio.
successionem sanctio? quæ proprie est lex cum terrore &
pœna, & si à quibusdam aliter usurpatur. Vt enim Vlpianus
ait de diuisione rerum & qualitate. Proprie dicimus sancta
quæ neque sacra neque prophana sunt, sed sanctione quadam
confirmata: ut leges sanctæ sunt, sanctione enim quadam sunt

Digitized by Google

ſubnixæ. Quod ſanctione quadã ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, etſi deo non ſit conſecratum: Et interdum ſanctionibus addicuntur, ut qui ibi aliquid commiſit capite puniatur. Quominus ſic loqui decebat, eos qui ius regium, nec intra uerba tantum ſpernere uidebantur. Agnoſcis nunc ò mentis exinanite, quàm exquiſite loquaris, quanquam accurate? Quanto melius tecum ageretur, ſi cum patre in ſutrina ſediſſes, manibus atramento ſutorio, non modo ſordidis, ſed etiam graueolentibus, ac nonnũquam uerriculum, & ſi imbecillius, cum illo traxiſſes, quàm quòd ad literas puerorum cuſtos à patrono, uel domino miſſus es. FAC. *Quod ſi quemadmodum à Papienſibus dictum eſt, acerbiora ſunt aduerſa, quàm iucundiora proſpera, dicimus præclare cum Ferdinando actum eſſe. Honeſtior elocutio ſi dixiſſes: Quòd ſi plus acerbitatis aduerſis ineſt quàm iucunditatis proſperis, præclare cum Ferdinando actum eſſe exiſtimemus.* LAV. *O mentis exinanite. Superius hoc tolerari poſſe fatebaris autoritate, nunc eam repudiam. Vt quo ſæpius me reprehendere niteris, hoc ſæpius in illud cenſorium dictum incidas. Qui dum alienam inſcitiam inſectari uolunt, ſuã confitentur. Niſi uis me ad illud quoq; reſpondere, quòd dicamus mutaſti in exiſtimemus. Quod non tam inſcitiæ, quàm ſtultitiæ eſt argumentum.* FAC. *Sed Ioannes imperite atq; indocte. Homo quidem grauis probusq; ac ſtrenuus, ſed idiota. Tu certe magis idiota, quàm ille, qui ſic barbare loqueris, Quanto elegantius fuerat dicere: illiteratus, aut literarum ignarus.* LAV. *Si barbarum uocabulum eſt, ſi non utendum, cur eo tu in me pro Latino uteris? Tu qui me doces elegantius loqui? Eſt'ne uocabulum barbarum, quod in media Græcia, mediiſq; Athenis natum eſt: uſitatum Platoni, Ariſtoteli, Demoſthenì, Eſchini, deniq; omnibus Græcis? An ignoras barbarum Græco contrarium eſſe, ut nigrum candido, ut amarum dulci, ut malum bono*

Idiota.

Digitized by Google

bono, ut tu mihi? At non est inquies latinis notũ. Finge me detorsisse è Græco, quod superius autoritate Horatij præcepisti, quanquam unde scias an detorserim Græco ex fonte, qui nunquam (ut inquit Persius) Labra fonte proluisti caballino, arrogantißime fatuorum, simulis cæco, qui in solitudine oberrãs aut ditos prætereuntes non rogat iter, sed intento digito doces. Quid si ego non detorsi? quid si multis iam seculis ostendam apud multos iam tritũ, eosq; egregios? Inspiciamus, inquies, an sint egregij. Apud Hieronymum: Non habeo, dices, istum pro egregijs. Apud Ambrosium, Hilarium, Cyprianum, Augustinum: ultimum inquies nonnihil noui. Cæteros ne inspexi quidem: sed omnes in eundem reijcio gregem. Apud Lactantium: Hic, dices, dum Ciceronis materiã tractat Tullianus est, quatenus uero religionem Christianam, gregalis efficitur. Quid A. Gellium, Apuleium, Macrobium? Ne hi quidem satis egregij? Quid, ne omnes peragam? M. Tullium? Appellabis ne ab hoc, qui ita ait in pisonem? Sed planè animi sui causa, ludos nobis idiotis relinquet. Et in eadem: Ea contemnis, quæ illi idiotæ (ut tu appellas) præclara duxerunt. Et in Verrem sexta: Nõ modo istum hominem ingeniosum & intelligentem, uerumetiã quemuis nostrũ, quos idiotas appellat, delectare possent. Hinc idiomata, ut aromata, ut themata, ut peristromata, ut emblemata, ut toreumata, ut alia mille uenerunt. FAC. Neq; nunc de pecunia res est, de qua si certaretur, pudendum uobis erat, tantulum sumptum regi uestro non gratificari. Sed de pudore meo, de autoritate huius sedis, de fama apud exteras nationes. Quo magis magisq; tua lego, eo magis inscitiam tuam intelligo. Pudorem dicis quod honorem dicere debuisti. Neq; enim id pertinet ad uerecundiam, sed ad honorem ac dignitatem regiam, quòd regi suo non gratificarentur. Melius itaq; & correctius loqui disce. LAV. Vter correctius loquatur pronuncient

Pudor. *cient Iudices. Cicero pro P. Sylla: Si suus pudor ac dignitas nõ prodesset, nullum auxilium requisiuit. Et pro eodem dico illud quod in his causis coniurationis, non autoritati assumo, sed pudori meo. Idem pro Quintio. Denique omnia potius, quàm ius, quàm officium, quàm pudorem. Idem pro Flacco, Septimio ac C. Cælio testibus P. Seruilius & M. Marcellus huius pudoris integritatisq; testes, repugnabunt. Idem pro Archia. Quare cõ seruate hominem, pudore eo quem uidetis amicorum comprobari, tum dignitate, tum etiam uenustate. Et de legibus: Quid uero de modestia, de temperantia, de continentia, pudore, pudicitiaq; dicemus? Quintilianus cum alijs plurimis in locis, tum uero in prima declamatione, quæ sic incipit: Sentio iudices pudori iuuenis pro quo minimum est, quòd parricida nõ est, grauissimum uideri, quòd absoluendus est contra nouercam. Cuius discipulus Plinius & ipse Orator eximius in epistola ad Amicũ scribens de honestissima muliere, inquit: Neq; enim aderat alius, qui defunctæ pudorem tueretur. Vlpianus lib. XXIII. de sponsalib. Palam quæstum facere, non tantum eam quæ in lupanari se prostituit. Verumetiam si qua, ut assolet in taberna, uel quæ alia pudori suo non parcit. Idem lib. XLVII. de iniurijs, & fam. lib. Aut si carmen scribat, uel proponat, uel cantet aliquid, quod pudorem alicuius lædat. Si placet historicus, accipe Cæsarem commentario primo: Vt quàm primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atq; officium, an timor plus ualeret. Infinita sunt huiusmodi testimonia, quorum unum tibi decantabo è triuijs:*

Cato puerorum. *Productus testis (saluo tamen ante pudore)*
Quantumcunq; potes celato crimen amici.
Est ne hoc loco pudor, idem quod uerecundia, ut dicebas, siue ut correctius loquamur, confusio illa mentis, quoties facti nostri pudet? Qui pudor te si homo esses tenere deberet, quòd

amicũ

Digitized by Google

amicum falsis criminibus accersisti: & pudorem eius, ad quem tu nunquam aspiraſti, lædere tentaſti: qui correctius etiam meliusq; dixisses, eo magis magisq;, ut cum illo congrueret, quãto magis magisq;. Vter igitur ab utro discet melius & correctius loqui: ego abs te, an tu à me?

DE CONFVTATIONE Verborum Facij.

CAP. II.

NEQVE *uero scripta mea tantum, sed, ô incredibilem furorem, quod etiam locutus sum, ut minus polite dictum carpere non pudet, in quarta inuectiua. Respondebo enim huic reprehensioni uerborũ, prius quàm obiecta refutem sententiarũ.* FAC. *Quæ lis enim sermo tuus est, talis est profecto oratio, quem multi iudicio decepti, quòd sunt ignari eloquẽtiæ, disertum & tersum putant: qui siquid in his studijs profeciſſent, facile deprehenderent, linguam tuam non* Romanam *esse, sed barbaram. Ego uos puniam ambos minitaris* Antonio, *& mihi dixiſti in conſpectu regis, ne dicam cætera inepta, atque irridenda. Sed si* Romane *&* Latine *loqui sciſſes, non uos puniam ambos dixisses, quo rudius & inornatius dici non potuit, sed utriq; meritas referam gratias, uel utrunq; ulciſcar. O quàm multa notarem in sermone tuo, si te audire uellem, sed insanum ac dementem præsertim in nugis, quibus affluis non audio, quæ multi ut belle & ornate à te dicta laudant, & mirantur: Verũ nõ ex sermone iudicatur hominis facundia & doctrina, sed ex scriptis & operibus, quibus maior uis ingenij, maior ue cogitatio & cura adhibetur. Conferantur tua scripta cum meis, & æquum habeamus iudicẽ, tunc uidebis, quàm parũ disertus sis.* LAV. *Differo reſpõdere cõuicijs tuis. Interim te teneo ex tuis uerbis*

Digitized by Google

uerbis prius uos contra historias meas scripsisse, quàm ego te uerborum ulla contumelia afficerem. Siquidē ista quæ in me reprehendis ut barbara, postridie illius diei, quo cū Antonio iurgatus sum, quoq; die contumelia te affeci, dicta sunt, cum tu ad ulciscendam hesternam iniuriam, uel ad patrocinandum potius Antonio uenisti. Et certe minitari se ulturum, eius est non qui fert, sed qui accepit iniuriam. Nūc ad tuam uerborum meorum reprehensionem: Qualis inquis sermo tuus, talis est oratio tua.

Sermo, Oratio.

Quippe uis hunc in pronunciando, illā esse in scribendo. Quā differentiam quis quæso te docuit? profecto non Cicero, Quintilianusq;: qui uolunt orationem, cū proprie accipitur, sic à sermone differre, quòd hic sedatior, remissior, pressior, ac tenuior, qualis philosophorum: Hæc ut in qua ornamenta, amplificationes, affectus insunt, popularibus accōmodata sit auribus. Ideoq;

Oratores.

Oratores uocari, qui istiusmodi genere utuntur, ut declaratur ex superiori Ciceronis exemplo. Non enim alia sermonis, alia contentionis uerba. Sed hæc te accusant, nō me ab accusatione defendūt. Dixi uos puniam ambos. Esto, rudis & inornatus sit sermo. Si negaro meum esse quo me teste conuinces? Nemo animaduertit, nemo notauit, quum ipse reprehendisti, si dignum erat reprehensione: Nō erat inquies minus grammatice dictū, sed minus eleganter, aut minus ornate. Ideo non reprehendi. Concedas ergo te stulte obijcere, quod nequeas probare. Sed age concedo à me dictum. Vtrum igitur magis uitiosum, grammatice & latine, licet inornate loqui, an ut uos facitis idiotarū uerbis? quibus apud eosdem iudices cum exprobarem imperitiam dicendi, ne lacessitis quidem fiducia fuit literate loquendi, ne uidelicet in errorem incidatis. Ex quo reprehendere iure uestro potestis errata cæterorum, qui ipsi nunquam erratis, nimirum semper iacentes nequando cadatis. Nescimus, inquis, elegāter loqui, sed scribere. Conferantur tua scripta cū meis, & non

pudet

Digitized by Google

pudet uos meorum accusatione scriptorũ non esse contentos? & unum in aliena facie deridere næuum, ipsos tota facie ficosos. Ex scriptis & operibus non ex sermone iudicatur hominis facundia, & doctrina. Quid sibi uult ista oratio? Ais ne me facundum & doctum, an negas? Si ais, cur linguam meam non Romanam uis esse, sed barbaram? cur inornate me locutum ac ruditer? Cur multa huiusmodi te posse in meo notare sermone? Si negas: cur inquis non iudicari facundiam atq; doctrinam? Hoc contra illos dicitur, quasi loquendo facundi sint. Vides ne dementissimo dementior, intra tam pauca uerba te loqui repugnantia, atq; contraria? Quanquam ò doctum & oratoriæ artis peritum, facundissimi quiq; oratores, uel Romani, uel Græci, non ne ex dicendo tales habiti sunt, uel magis quàm scribẽdo? Furiose qui te damnare iudicium publicum non sentis, hoc est regis aliorumq;, quos ais, quia putent me disertum & tersum, quodq; laudent & mirentur me ut belle & ornate dicẽtem, iudicio decipi, tanquam ignaros eloquentiæ, nec habentes aliquos in his studijs profectus: quasi aut tu plus habeas eloquentiæ, aut non sit optimus iudex oratorum populus, quod Cicero frequentissime Quintilianusq; testantur. Longa mihi in hoc suppeditaret, nisi assidue breuitatẽ sectaretur oratio. Eoq; regi (quatuor enim extitistis) persuadere conati estis, & cæteris sedulo persuadere conamini, me multo melius loqui quàm scribere. Non sum ergo infacundus, uel uestra cõfessione. Et tamen non talẽ esse probare niteris, idq; duobus uerbis. Ex duobus ne uerbis minus ornatis, omnis mea facũdia periclitabitur? ob hæc duo barbarus ero? Ego uos puniã ambos. Hæccine adnotationem legisti? Nihil est quod minus culte, minus eleganter, minus diserte dixerim? Profecto nihil. Alioqui id potius obiecisses. O meam singularem Demosthenean̄q; facundiam, in cuius non scripturis, non accuratione aliqua oratoriæ, non

saltem

ſaltem præmeditata, ſed extemporali tumultuariaq; & obiurgatoria altercatione, nec apud eruditos (ſi aduerſario credimus) quicquam notari poteſt minus ornatum, quàm ego uos puniam ambos. Quod tu in loquendo quidem infans, ſed in ſcribendo priſtinæ facũdiæ, emendas, mutans ambos in utrũq;, & puniã in ulciſcar, uel meritas referã gratias. Quid ais? an ambo in uſu non eſt? ut apud Terentiũ: Opportune, ambos uos uolo. & T. Liuiũ: Quos cũ pariter ambos benigno uultu excepiſſet.

Ambo. Et iterũ: Sicq; eos ambos coronis muralibus donare. Et iterũ: Ambo præoptantes exilio modicã domi fortunã. Et iterũ: Tarquinios reges ambos, patrem uoluiſſe, filiũ perfeciſſe. Quòd ſi uſitatũ apud autores eſt, ſupereſt ut pbes me impropric uſum,

Punio. Hoc nõ facis Fatue, igitur accuſas. Nũc de punio, quod duobus modis accipitur, uno cũ ſontes plectimus: altero, cũ inimicos ulciſcimur, quorum utrunq; uobis conuenit, quos uel pro furibus proditoribusq;, uel peßime de me meritis mulctare debeo. Cicero de officijs: Sunt autem quædam officia, etiam aduerſus eos ſeruanda, à quibus iniuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus: atq; haud ſcio an ſatis ſit, eum qui laceſſerit, iniuriæ ſuæ pœnitere. Idem pro Milone in Publium Clodium: Tu me iratum Sexte putas tibi, cuius tu inimiciſſimum multo crudelius, etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ poſtulare? Et pro eodem: Valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, punitor doloris ſui. Et libro primo Tuſculanarum quæſtionum: Cum multi inimicos etiam

Punitus. Puniantur. mortuos puniantur. Errauit ne Cicero, quòd punitus inimicos, & Liuius cum Terentio, qui ambo eodem quo ego modo dixerunt? At tu emendas elegantius. Sit ita ſanè, loquebar ego ex tempore, non ſcribebam ut tu feciſti. Sed quî fieri poteſt ut elegantius, cum ſic loquantur tam magni autores, quos tu furioſe in me reprehendendo reprehendis? Quæ ratio alterũ

tuæ

tuæ emendationis modum ut ineptum refellit, eum tamen non mei defendendi, qui iam absolutus sum, sed tuæ facundiæ perpendendæ atque existimandæ gratia inspicere uolo. Aisdebuisse me dicere, meritas referam gratias. Ecquis me intellexisset eorum qui aderant? apud quos exquisitior sermo superstitiosus fuisset. Quotus enim quisque tenet differentiam inter gratias ago, habeo, & refero? mentior, nisi tu quoq; cum Panhormita collega tuo istam elegantiam ignoratis, etsi à me in elegantijs traditam. Nam ut inoleuit apud plerosque, iam inde aliquot seculis opinio, refero gratias, idem esse quod ago gratias. Ideoq; me dicentem gratias referam aliter accipiẽsent, quàm ego sensissem: sic apud eruditos minus latine dicitur, cum refero gratiam sit dicendum. Quam elegantiam uix ulli nostrorum temporum animaduersam cum traderem, attuli apertißimum ex Liuio exemplum: Hic afferam æque apertum, sed tuo ingenio clausum, ex Cicerone pro Plancio: Cui pro me senatus gratias agendas putauit, ego à me gratiam referendam non putem? O te scitum correctorem? O politum emendatorem? qui lotas alteri manus tuis illotis, atque omni madentibus illuuie conaris abluere. Cuius ex illuuie & illud est quod ais, scriptis & operibus: quasi scriptis non complectamur opera, & prius ruditer deinde inornate, & ue, pro q;. Taceo quòd dißipate, & eadem sæpius loqueris incipiens tunc cum desinis. Quibus uerborum rerumq; uitijs ubiq; scates, & in isto ipso opere de felicitate, de quo mihi aliquid nunc dicendum est. Ais enim. FAC. Præsertim cum te audiam maledictis & obtrectationibus haud finem facere, librumq; meum de uitæ felicitate carpere, atq; contemnere. Et iterũ: Nunc tantum superest, ut libri de uitæ felicitate quem uituperas, defensionem subeam. Reprehendis, ut audio, quòd colloquutores nõ fecerim sæpius repugnãtes, et præcipue, quòd Lamola facilis sit in assentiendo

Gratias ago, habeo, refero.

Scripta, opera.

Digitized by Google

tiendo his quæ Guarinus asserit. LAV. Testor fidem, tu cogis in aliud me uenire certamen. Nimia confidentia niteris, supramodum te iactas, & ad prædam tuorum gregum armatũ hostem solicitas. Ego tuum opus uix sumpsi in manus, cum illud communis amicus, abs te legendum accepisset, in quod me nihil ante iniuriã acceptam dixisse uelis nolis ipse testaris, qui in prima inuectiua huius meæ detractionis non habuisti mentionem. Ex quo manifestum est, quicquid dixi, id me iusto cõmotum dolore dixisse. Quanquam quantulũ est, quod in te reprehendo. Si libros tuos, quos tu librum uocas, perlegeram, licet agnoscas modestiam meam, qui ex plurimis qualia in historia illa, & inuectiua notaueram uitijs, ut mox ostendam, unum notaui, ac uix notaui. Si non perlegeram, sed primas tantum paginas euolueram, non potui colligere uitia tua, non quod potuissem, uulnera inflixi, id est, non debes tu tantopere iniuriam expostulare, non debes propterea efferri insolentius: nam ut rem tibi aperiam, particulam tunc operis inspexi, non tuo, sed alieno chirographo scriptam. Postea uero cum tibi rescripturus essem, ad ipsum Archetypum ac chirographum tuum, non dolo malo, nõ fraude, non proditione (ut uos in me egistis) sed prudentia & uera uirtute perueni: quomodo sagacissimus imperator latronum latebras, & piratarum receptacula perueſtigat. Teneo itaq; te tua manu, ut nulla tergiuersatione, nullo mendacio queas effugere. Miraris, quòd fore non credideris, tuam scripturam in meam uenisse potestatem: sic mirari prædones solent, cum suamet arte capiuntur, quod quanti momenti sit, paulopost apertius senties. Quam ob rem fallaci fiducia mihi insultas, inquiens. FAC. Cur me inelegantiæ non carpsisti? cur non falsæ latinitatis, ut ego te fons elegantiæ & eloquẽtiæ flumen? LAVR. Quasi non te correxerim in inuectiua, atq; historia, hoc non modo immemor, sed etiam ingrate: licet non

omnis

Digitized by Google

omnis immemor ingratus, nisi referre gratiam uoluisti, & ami ce emendantem inimicissime carpere. Cur non te carpsi inquis falsæ latinitatis? En te carpo. Vbi enim falsam legisti latinita- Carpo.
tem? ubi carpo cum genitiuo sicut accuso? Cur non inelegan- Inelegantia.
tiæ? ubi inelegantiam legisti? quod, sicut infacundia & inelo-
quentia, uidetur mihi in usu non esse. FAC. At te pudor te-
nuit: At ille pridem in te extinctus est. LAV. Quis pudor te-
nere me debuit? non mecum propinquitate coniunctus, non de
me bene meritus, non magnæ inter tuos opinionis & famæ.
Nihil minus restat pudor ille, ne inimici operi detraherem.
FAC. An timor & audacia perdita? LAV. Quisnam timor?
ne hoc quidem exprimis. Eadem uesania, nisi uis ab omnibus in
telligi fulgurans fulmen tonantis eloquentiæ tuæ mihi fuisse
extimescendum. FAC. An religio: at contra fidei nostræ do-
ctores inuectus es. LAVR. O fustuario digne, religione re-
tentus sum, ne libros tuos carperem? Nunquid sacer tu sacra-
tusq; es, ut in te formidemus dicere, nisi in Panhormitæ sacra
rio, ubi frequens es, deo fuisti initiatus Phœbo uel Baccho, uel
Veneri? Et quoniam de religione agis, eaq; uis me retineri de
buisse. Vide quàm retinear, qui illa te male utentem reprehen-
do. Vbi enim pro religione nostra apud Paulum, apud Euange
listas, denique apud Hieronymum inueniſti fides nostra, cum,
ut ille testatur, fides sine appositio dicatur, pro religione Chri
stiana? Nihil ergo aliud est ad Pammachium inquiens, nihil
enim prodest, absq; operibus cœlibatus & nuptiæ, cum etiam
fides, quæ proprie Christianorum est, si opera non habuerit,
mortua esse dicatur. FAC. Nihil ergo aliud est, quòd desti-
teris, nisi quia eiusmodi, quod reprehenderes non reperisti.
LAV. Quòd desiteris posuisti pro eo, quod est, cur prohibi
tus sis, cum desistere sit ab incœpto desinere. Atqui ego non Desitio.
incœperam tuæ linguæ uitia carpere. Quòd si intra tam pau-

Digitized by Google

cos uersus, tam multa in te notaui peccata, quid in libris illis existimer fuisse facturus? Sed absit à moribus meis in quempiã, ut ueteres aiunt, caninam exercere eloquentiam. Tu hanc modestiam, lenitatem, grauitatem meam, interpretaris diffidentiam: & ob id mihi sine ulla moderatione insultas. Et quo modo post hæc lauta conuicia, possum non de opere tuo isto tam præclaro dicere, recedereq; paulum à natura? & quoniam in scænam intrare coactus sum, fabulam peragam: Dicam itaque primum de uerbis tuis: secundo loco de rebus, ut tibi reddam rationem. Vbi, quod ad uerba attinet, docebo non modo, quemadmodum loquaris emendatius, uerumetiam quemadmodum inemendate loquentem castiges, & si tibi etiam cordi est carpas. Breuiter enim & modice facere debueras in me, ut nunc ego in te, licet à te prouocatus impulsusq;. FAC. Multaq; ab antiquis & contemporaneis nostris grauiter, & ornate scripta occurrerent. LAV. Apud quem contemporaneos legeris doceueteres enim, & qui Romane scripserunt, æquales hu iusmodi appellant: Poëtæ æquæuos præcipue senes: nonnulli re centiorum coæuos, & coætaneos. FAC. In quem regem de uita beata libellus conuenire potest magis, quàm in te? LAV. Conuenire tibi dicimus, non in te ut alio loco admonui. FAC. Et multa uerba de mutua ualitudine. LAVR. Quid sibi uult istud mutua ualitudo, quod non modo exemplis, sed etiam ratione dicere prohibemur. Nam sicut recte loquimur mutuus amor, mutua beniuolentia, mutuum odium: ita perperam mutua sanitas, mutuum robur, mutuum ingenium, doctrina, opes, uires, ualitudo: quippe cum hæc, ut illa, inuicem non respondeant. FAC. Sed de omnibus unum atque tanquam de parricidis, & sacrilegis iudicium tulisti. LAVR. Habere iudicium quis dicitur, non ferre, sed sententiam sicut superius probaui. FAC. A quo nedum re, sed etiam uita spolietur.

Canina eloquentia.

Contẽporaneus Aequales. Aequæui. Coæui. Coætanei.

Conuenio.

Mutua ualitudo.

Iudicium habere non ferre. Nedum.

Si di

Digitized by Google

Si diligentius elegantias legisses meas, quanquam nunc ex historijs, ut uideo, multa didicisti, sic dixisses: à quo uita spolietur, nedum re. Semper enim nedum secundo uerbo applicatur, ut in elegantijs latius. FAC. *Prosperis illorum rebus collætantur, aduersis uero contristantur, & condolent.* LAV. *Profer autoris nomen, qui te docuit isto modo loqui, collætantur, contristantur, condolent, præsertim cum hoc datiuo seu ablatiuo: Nam peritorum huiusmodi loquendi consuetudo. Ob prosperas illorum res ipsis gratulantur: ob aduersas miserentur, eorum uicem dolent.* FAC. *Alter suorum manu, ut quidam putauerunt, enectus, mane inuentus est mortuus.* LAV. *Quasi uero qui noctu occisus est, posset mane uiuus inueniri. Nescisti enim imitari quod uoluisti, quale est Liuij,* Vt & uno *ictu transfixum per latus occiderit, hoc est, transfigendo occiderit. Et Ciceronis, Atque hunc ille summus uir scelere solutum periculo liberauit, id est, scelere soluit & periculo liberauit, quæ duo diuersa non sunt, ut in tuis enectus & mortuus. Ideoq; Liuius secus, ac tu dixit.* FAC. *Tandem qui obuersati uestibulo Tribuni fuerant, nunciant domi mortuum esse inuentum.* LAVR. *Sed hoc rei forsitan uitium est, illud uerbi enectus, cum necatus dicere debueris, non modo quia ille quem significas ferro est interfectus, & necatus interdū sine ferro, ut apud Ciceronem, ueneno necatus. Et Quintilianum, fame necatus: sed quia semper apponitur ad enectus genus pœnæ, ut gelu & illuuie in transitu Alpium enecti Carthaginienses: enectus siti Tantalus. Manibusq; non manu suorum dicere debebas.* FAC. *Cum multos uideam uiros, summo loco natos, militiam proficisci.* LAVR. Vt *militiæ pro militia usitatum est.* Vt *apud Liuium: Hoc anno domi militiæq; gesta: sic haud scio, an militiam pro in militiam repererim, ut apud Terentium: In militiam proficisci gnatum Cliniam amantem*

Collætantur &c.

Enectus. Necatus.

Militiam. Militiæ.

Digitized by Google

Antiphilam compulit durus pater. FAC. *Verum ut hanc partem breuiter absoluamus, haud lõgioribus immorabor.* LAV.

Longiora. *Longioribus ineptum est uerbum, quia nec breuioribus dicimus, sed paucis seu paucioribus. Igitur pluribus aut multis, aut certe longius siue diutius, fuerat aptum uerbum, sicut breuius.* FAC. *Est profecto difficile, dißuadere hoc uulgo.* LAV. *Si elegantias meas studiosius euoluisses, nam aliquid illinc, uel per te, uel per alios hausisti, scires non in euentu positũ esse dißuadere, sicut nec suadere: persuadere uero in euentu siue in effectu. Itaq; non est difficile dißuadere: quia nec suadere sed persuadere, quod dißuades uel suades, id est, inducere eos, quibuscum loqueris, in tuam sententiam, ut aut non sentiant, quod tu ais non sentiendum, aut sentiant quod ais sentiendũ.* FAC. *Sed num existimabis, uel Scipionem, uel Hannibalem, uel Fabium fuisse contentos?* LAV. *Contentos pro felices, accipis præter eruditorum consuetudinem, qui sic loquuntur, Paruo natura contenta est. Præterea contra grammaticam locutus es, cum singularis numerus hoc loco ob disiunctiuam requiratur.*

Suadere. Dißuadere. Persuadere.

Contentus.

Diffusio. FAC. *Præterea nominis illa diffusio, quam tu magnam atque optabilem rem iudicas.* LAV. *Improprium est nomen in hoc sensu diffusio, duntaxat in prosa.* FAC. *Tamen peruicacia quadam inducti opiniones obstinate defendunt: quos etiã longe magis reprehendendos putarim, quàm eos qui scienter: docti tamen & eruditi contra ueritatem pugnant, ut aduersariorum argumenta perspiciant.* LAV. *Scienter pro scientes posuisti, cum scientes idem sit quod consulto, uel de industria, uel dedita opera, uel non sciendo: scienter uero quod docte & perite artificioseq; ut in elegantijs. Etiam peruicacia defendere & obstinate, idem est.* FAC. *Propterea perfici quod cœptum est hodie, quàm in crastinum extrahi præopto.* LAV.

Scienter.

Extrahi. *Extrahi est extendi non differri. Ideo melius paulo ante dixisti*

Digitized by Google

xisti, nisi forte in crastinum diem differri mauis. FAC. Ea dico quæ magis, uel defensa, uel impugnata fuerunt, quàm breuius potero exponam. LAV. Quàm breuius apud eruditos inauditum est, sed q̃ breuissime, & item in cæteris de quo latissime in elegantijs disserui. FAC. Quos libros quodam die apud communem amicum offendi te legentem, quos si perlegisses, ac sæpius relegisses, melius tecum actum esset. LAV. Tametsi in his quæ illinc, siue per te (ut superius dixi) siue per alium accepisti, quàm gratus, ipse tibi es conscius. FAC. Excellentẽ primo corporis figuram & staturam arrectam. LAV. Sallustius qui nonnullis in uocibus quasi parum uerecundis à quibusdam reprehensus est, de animo nunquam dixit arrectus, de corpore autem, ut tu, quantum memini nunquam, nec ipse, nec alius nisi poëta. Erectam igitur & honestius, & magis proprium fuerat. FAC. Num Brutum Romanæ libertatis autorem, filios securi percussos uoluptatis gratia peremisse? LAV. Idem quod superius uitium, quoniam nõ sunt duo diuersa securi ferire, & perimere: satis erat, ac satius dicere, securi percussisse. FA. Cũ quidẽ illa alterius extrinsecæ rei causa expectatur. LAV. Ex hoc in superioribus notauimus, non nomen, sed aduerbium esse extrinsecus, ut intrinsecus, ut altrinsecus, ut secus unde componitur. FAC. Sed cum commune quodq; bonum & mediocre non possit abs te comparari. LAV. Communissimum quodq; bonum dicimus, non commune, Tribuimus enim quisq;, quæq;, quodq; superlatiuo: omnis autem positiuo, ut in elegantijs copiose disputaui. FAC. Arrigendos in cœlum oculos, aut religionis gratia, aut rerum diuinarum cognitione. LAV. Nõ admoneo iterum fuisse uitandam uerbi obscœnitatem, sed solœcismum esse, cognitione, pro cognitionis, uel ob cognitionem. FAC. Quantislicet animi & corporis, & rerum externarum bonis plena sit, non miserrimam iudicet. LAV. Quantislicet

Qz̃ breuius potero.

Erectus.

Non diuersa pro diuersis.

Altrinsecus.

Quantislicet.

Digitized by Google

oro quantiſcunq;,quo autore dixeris neſcio. FAC. Equidem mihi intelligere uidcor nos,ita natura comparatos eſſe. LAV. Nuſquam legi natura cõparatos homines eſſe,ſed genitos,ſed creatos,ſed generatos,ſed factos. Comparatum autem natura dicimus,ſicut comparatum legibus, comparatum moribus: ut in elegantijs. FAC. Vbi plura bona inſunt, quàm omniũ mortalium linguæ effari poſſunt. LAV. Dicendum erat quàm ut ea,uel quam quæ omnium mortalium linguæ effari poſſunt, ut in elegantijs. FAC. Quorum nunc planctus perhorreſcimus, quorum'uc ortus,& occaſus tanta cura & formidine obſcuramus. LAV. Vc,ſemper pro q; accipis,quod pueris etiam pleriſq;,qui grammaticam docentur,notũ eſt,idem eſſe quod uel. FAC. Quibus profecto quo ad ſplendorem illuſtrius, quo ad ornatum & uaricatem pulchrius. LAV. Iterum reprehendi hoc uitium. Tolerabilius ſeu melius,ſi dixiſſes,quantũ ad ſplẽdorem attinet. FAC. Eiusq; immenſam poteſtatem,ac ſapientiam ſpectent atq; perpendant. LAV. More non ſanè facundorum ſcriptorum, accipis perpendunt, pro intelligunt, cum perpendere ſit exacte conſiderare,ut in elegantijs. FAC. Vt cum illo beatorum cœtu congaudere ualeamus. LAV. Tuo uitio,quod in me uitium non eſt,cum te tuis artibus refello,ſæpius reprehendo. Nam ubi apud illos, ad quorum tribunal me citas,congaudere legiſti? Atq; hæc hactenus. Non enim quicquid ferarum in ſaltu iſto eſt indagauimus: eas tantum quæ in tranſitu inueſtigantibus noſtris canibus oblatæ ſunt, cæpiſſe contenti. Illum quoq; leporem,quem in epiſtola ad Robertum Stroziam ſcripta,& in calce codicis adſcripta,uelut in extremo ſaltu cubantem, noſtri canes odorati ſunt, capere libet. FAC. Et è contra,quæ mala ad alias ſpecies deuenere. LAV. Cicero & eius ſimules è contrario,uel contra non è contra,ſicut nec de longe,nec de propè dixerunt. Poteſt & illud, ſiue

Natura comparati hom.
Comparatum natura.
Qꝫ
Vc.
Quo ad.
Perpendo.
Congaudere.
E contrario.
De longe.

inter

Digitized by Google

inter uerborum, siue inter rerum uitia addi. FAC. *Partes dialogi.* LAVR. *Quasi aut sint aliquæ partes illius dialogi, ut Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorum, siue nominatim singularium personarum, ut tibi dedi partes Antiochi, mihi sumpsi Archesylæ: aut partes omnes, quæ in dialogo sunt tribuantur uni, quod neq; fieri potest, neq; tu sentis.* Partes dialogi.

DE INEPTITVDINE RERVM & sententiarum in opere Benedicti Facij.

CAP. III.

VENIO nunc ad rerum uitia, nec tua subijciã uerba. Nam totidem libris opus esset: sed eatenus de illius uniuersitate pronunciabo, quatenus crimen, quod mihi obijcis ut tui operis detractori, dilui possit, & quales isti libri (ob quos superbis ut fibylla dignos) sint, iudicari. Quereris quòd audisti me in illis notare, quod feceris collocutores non sæpius repugnantes. Et præcipue Lamolam nimis in assentiendo facilem: huic responsioni, postquàm satisfeci sti, ut tibi persuades: quod an ita sit, mox uidero. Ad extremum omni uerborum petulantia debaccharis, quasi non unam notam obiecerim, sed inuectiuas in te, ac Philippicas scripserim. Quod meum crimen, quale sit, tuo unius probabo testimonio. Sed ero breuior, quoniam tibi responsum satis esse potest ea epistola, quam Roberto Strozíæ, uiro claro, scripsi. Verba autem epistolæ hæc sunt: Animaduerti ex tuis literis perbreuibus, id quod per hosce dies ex te audiui, uideri tibi Lamolam, cui partes dialogi mei tribuo, nimis facile concedentem omnia Guarino: quod & quidem alius, quem honoris causa non omnino, dixisse fertur. Ait enim Lamolam uictas ubiq; præbere manus, quasi nescientem obiectam cõtutare. Ab ista oratione ut me tibi dixisse memini, pace tua loquar, lõge Roberte dissentio: En idem & mihi displicuit & illi:

imò & illi & mihi. Siquidē prior ipse uidetur annotasse, cum in uestro colloquio, non sit habita de me mentio, & eisdem quibus ego uerbis notasse. Non ergo pro atroci iniuria existimādum sit, si feci quod alius & doctus, & grauis, & amicus tuus fecit. Ille prior, ego posterior: ille apud te, ego apud eos quos tibi renunciaturos non credidi: ille literis, ego uerbis: ille sæpius, ego semel omnino: ille sua sponte, ego rogatu quorundā: ille accusator, ego iudex, testis uc: ille satisfieri sibi postulans, nec admittens satisfactionem tuam, ego sic loquutus sum, ut iure optimo queam negare si uelim: ille absens, ego præsens, & quod omnium maximum est abs te iam plus quàm grauissime lacessitus: ut incredibilis quædam uideri possit mea lētitudo, mo destia, lenitas, mansuetudo, patientia, quòd me non aliter ultus sim. Et tu uir ferox, immanisq; natura, tantulum ferre non potes, exæstuas, & in me ferro, igni, serpentibus armatus irruis, à te quoq; ipso dissentiens, cum inquis: Hæc sunt bone Laurenti, quibus motus sum, ne frequentiores contradictiones in libello meo induxerim. Sed cum tibi improbari facile fero, modo illū probari sciam & theologis & oratoribus omnibus, quibus illum antequam ediderim, ostendi. Cur non probatur hoc ipso in loco Strozię tuo? Certe uirum clarum appellasti. Caue ab oratoribus eum, theologisq; seiungas, quem nequaquam reor ipse seiungendum. Nam cæteros, qui iudicare possunt, atq; adeo omnes qui inspexerunt opus illud, scio contemnere. Quod cum ita sit, quid inani gaudio mihi gloriaris infelix: quid te falsis (ut inquit Vergilius) ludis imaginibus? A' qua insania, quātum in me erit, te reuocabo: nec perire sinam, nec Hippocratis aut elleborum, aut uincula denegabo. Existimas & Roberto, & mihi, & cæteris, siqui te alij istius erroris monuerunt, satisfeciisse, simulis ebrio, se ebrium perneganti: cum, ne multa repetam, inquis: Itaq; cum scirem Lamolam natura facilem, & non

perti

Digitized by Google

pertinacem esse, uolui hominem secundum naturam & consuetudinem eius disputantem facere, ne contra decorum uiderer agere. Si uero te disputantẽ induxissem, quem scio cõtentiosum, repugnantem pertinacem, ab opinione tua nũquam recedentẽ, putassem equidem me cõtra decorum facere, & reliqua. O caput fanaticum ac uesanum, ut iam de opere tuo pronũciam, intelligasq; qualis fuerit hactenus in me moderatio: quid magis decoro cõtrarium, quàm eam personam facere disputantẽ, quæ disputare, aut nesciat, aut nolit. Tradere arma, uel ad ueram, uel ad umbratilem pugnam, ei qui ad primum statim congressum terga uertat, tela ponat, & se, antequam uictus sit, uictum esse fateatur? Nescis quæ sit natura disputationis? Eadẽ profecto quæ pugnæ. Aut non descendendum est in certamen, aut acriter decertandum. Tu cum ueritatẽ, cum summum bonum, cum felicitatem inuestigare te prædices, & alijs uelle ostendere, non ipsius naturæ rationibus, sed confessione disputantis ex aduerso probabis? Est facilis nimium ad concedendum Lamola? feciſſes alium minus facilem. Neq; enim historiam, neq; dialogum scribis, ubi pro nostro arbitratu sermonem, cui uolumus, attribuimus. Vbi non orationem personæ, sed personam orationi accommodamus. Vbi nihil admodum refert quis, sed quid loquatur. Nam personam ferè, aut autoritatis gratia, aut uenustatis asciscimus. An ita te Marcus Tullius, cum alijs multis in locis, tum uero in Catone maiore facere docuit? Cum inquit: Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono cuidam, ne parum autoritatis esset in fabula: Sed Marco Catoni seni, quia nulla uidebatur aptior persona, quæ de ætate illa differeret, quàm eius, qui & diutißime senex fuißet, & ea in ætate præ cæteris floruisset. Tu attribuis primã (quæ asperrima solet esse) pugnam homini, si tibi credimus, imbelli, pauido, & (ut semel dicam) præuaricatori. Præuaricator enim est, Præuaricator.

ut Vlpianus *definit, qui causam aduersario suo donat, à parte actoris in partem rei concedens. Quanquam peruicacissime fatuorum, non est quòd mollitiem, segnitiemq; disputantis accuses, ut in alterum crimen refundas, amicumq; uituperes. Noui hominem & constantem, & retinentem suae dignitatis, atq; uirilem in disputando. Qui tibi forsitan idcirco leuior uidetur, quia ipse furiosus es. Quid dixi uidetur? imò istud ad tempus finxisti, istud stultitiae uelamentum praetendis: nam nõ Lamolae sermonem, sed tibi attribueras homini, ut stultissimo, sic pertinacissimo, ut ex ipso libro, qui penes me est manu tua scripto docetur. Vbi tuo nomine cancellato, illius induxisti. Quid habes nunc fatuissime, quod contra hisces? dic nunc te deseruire noluisse personae. Teneris nunc, teneris non modo pro inepto, uerumetiam pro mendaci, atq; periuro. Quantopere nunc torqueris & rumperis, fur alienorum librorum, quòd libros contra te tuos exhibeo, quòd tua te manu conuinco, iugulo, strangulo, & furem ad se suo laqueo suspendendum adigo. Sedo incredibilem inauditamq; dementiam. Non tam mollities ac stultitia singularis est, in defendendo proposito, quàm in proponendo. Quis enim, ne omnia prosequar, quamlibet pertinax, & te, si fieri potest, pertinacior, ea defenderet, quae facis illum proponentem? An si quis dicat hominis felicitatem & beatitudinem esse, agricolationi operam dare, aut militiae, aut principum sequi aulas, aut consequi sacerdotium (Haec nanque & huiusmodi subinde, pro beatitudine proponuntur) diu perstare in sententia uelit? Quae etiam confutare conari ineptum sit, nedum confutanda proponere, prorsus ut si sibi quis praeuaricatorem aliquem apponat, quo melior ipse*

Lamola. *patronus existimetur. At enim discipulus Guarini Lamola fuit. Sileo quàm decorum sic in dialogo plurium, discipulum, & hunc assidue, cum praeceptore contendere. Ideó ne pueriliter interro*

Digitized by Google

interrogantem, & plusquam pueriliter induxisti? Egregia profecto ratio, & per Iouem lapideum egregia. Putas me iocari? Opto sit ille propicius fatuis, & laurum solito feriat fulmine, infestario loquor. Tibi enim omnibus pueris stultiori, sermonem illum stultissimum attribueras: ut fatuè pugnam inires & relinqueres. Hactenus de una persona, de qua quid sentirem, aperte me pronunciare coëgisti. Quid de duabus alijs, Guarini, & Antonij Panhormitæ? Nēpe tui es similis, de quibus, ut cumulatius nostrum sit in te beneficium, etiam pronūciabo, cum duos uerborum errores in superioribus tuis dictis notauero. Vnum, quibus illum antequam ediderim ostendi, cum dicere debueras, antequam ederem, uel anteq̄ edidi: uideris enim nondū edidisse, quale est, anteq̄ peccauerim uis me accusari, & antequam ediderim libros nolo transcribi. Alterum, uolui hominem secūdum naturā & consuetudinem eius disputantē facere. Pro suā dixisti eius. In personis, tum cōmuniter, tū separatim, peccatum est. Cōmuniter quidē, quòd hi duo nunquam in mutuū uenere cōspectū, quòd hoc tēpore, quo sermo fingitur, collocutores sicut iam plurimis annis in diuersissimis prouincijs agunt, quòd inter se nō amant, & tacitas simultates gerūt: Cū Guarinus se spoliatū ab Antonio libris, hic se ab illo spoliatum fama, etsi semper fuit infamis, existimat. Separatim uero, quòd Guarinus Græcarū literarū longe peritissimus, tamē sic inducitur, ut nullū Græce doctrinæ det specimen, nullamq; significationē, nullius autorū Græcorū meminerit, nihil nisi ex Latinis gestis libriśq; repetat. At nescire te nisi lingua latina inquies. Nō introduxisses Græcū hominē. Ex quo nō modo decorū nō seruatur, sed etiā tanto uiro fit iniuria, q̄ præter dignitatē suā locutus inducitur. O ubiq; fatuū caput, ac uesanū, quem suis libris honestare conatur, eum summopere dehonestat: quanq̄ cui honesto uiro dignitatē addere posit tua oratio? Sed huic delicto ueniam

Antequam ediderim.

Eius pro suam.

Guarini & Panhormitæ simultates.

Digitized by Google

ueniam do, niſi quod ſequitur cẽtuplo eſt grauius. Tu ne Guarinum ea literatura, ea ætate, ijs moribus, ea autoritate cum
Ironia. *Panhormita cõiungis, à quo ille ſe & eſſe uult & uideri ſeiunctum? Gratulor hoc nomine etiã atq; etiã tibi Guarine, quòd ut Homerus, & Vergilius, Demoſthenes, ac Cicero, Scipio & Lælius, cæteráq; huiuſmodi paria, uel nominantur, uel pinguntur. Sic tu qui cum Antonio Panhormita in Fatui, uelut tabula pictus aſpiceris, ad poſteritatis memoriam reſeruaris: retulit tibi gratiam diſcipulus tuus, quòd illum inſtituit gratis: fecit quod paucorum eſt hominum, poſt annos quinq; & uiginti quam debere cœpit, cum fide ſatisfecit, rem & tibi & ſibi de-*
Panhormitam fugillat. *coram. Siquidem cum Panhormitam tuo conſortio ſtudet ornare, te quantum in ipſo fuit, illius conſortio uehementiſſime dedecorauit. Verum & tua uirtus & illius nequitia, et huius ſtultitia maior eſt, quàm ut diſſimulari poſſit. Etenim ut iam de Panhormita agam, quid minus conſentaneum, quàm huic homini cunctorum ſcelerum exemplo, omniumq; qui fuerunt deterrimo atq; teterrimo dare ſermonem de uirtute, de felicitate, de ſummo bono, de beatitudine, de paradiſo? ut mihi materia ipſa ob ipſius perſonam ſordeſcere, ac male olere uideatur. Quis enim peius de religione Chriſtiana ſentit? quis peius de moribus, de utroq; ſexu, de ſeculi noſtri pudore meruit, quàm Antonius Panhormita? uſq; adeo ſi uera (quod fieri non poteſt) fuiſſet oratio, tamen alteri, cui uita, cui fama integra, potius at-*
Lacedæmoniorum facium. *tribui debuit: Lacedæmoniorum exemplo, qui cum ab improbo quodam ac minus ſtrenuo dicta eſſet egregia in ſenatu ſententia, ne talem uirum ſecuti fuiſſe uiderentur, iuſſerunt alium infacundum quidem, ſed fortem ac ſtrenuum eandem ſententiam dicere, ut præclari conſilij, præclarum ſequerentur autorẽ. Illi malo uiro bonam orationem detrahendam, quæ eius eſſet, tu induendam quæ ſua non eſſet putaſti. Tametſi quid ſimile inter*

illam

Digitized by Google

illam,& hanc materiam? aut quid in illo improbo Lacedæmone fuit, horum flagitiorum, probrorum, dedecorum quæ in isto sunt? Nunquid domi suæ exoletorum lustra ut leno, uel mango publice habuit? num conuenticula aleatorum? Num contra fœminas pro pusionibus scripsit? Num pro externa contra paternam religionem uulgò disseruit? Num unam uxorem peremit, alteram quia filiam matri præponebat, amisit? Tertiam deformissime emit? Num de impudicitia sua nefandissima sic cõposuit carmine, quod opus hic Hermophroditum inscripsit, ut M. Antonius de sua temulentia? Num tantum sceleratus uir Antonius, omnium Antoniorum sentina, in quo barbaricam planè Africanamq; libidinem agnoscas,& nõ etiam ignominia notes? At, quanta ignominia? Certe bis in celeberrimis Italiæ locis. Primum Ferrariæ cum papa synodo adesset: Iterũ Mediolani, omnium populorum frequentia inspectante, per imaginem chartaceam crematus est. Tertio per seipsum cremandus ut spero: I nunc Fatue & dic te rationem decori habuisse,& inscruire uoluisse personæ. Ego uero (si qua mihi fides est) haud facile dixerim, quid scribere potueris magis, non modo indecorum, sed omnino nefarium. Atq; hæc de personis. Quid porrò ipsa tractatio, quæ coniuncta cum eisdem personis est? Nimirum uel ex hoc satis signi erit, quòd hi duo tanquam disputantes,& suam uterq; causam defendentes inducuntur. Sed tanquam eiusdẽ causa patroni, ut alter alteri succedat,& succedat non quasi defatigato priori, non quasi ipsi adstipulator, non quasi duo rerum capita habente materia, suum quisque pertractet: sed quam orationem alter instituit, alter exequatur: uterq; stultissime: prior, quòd sine causa imperfectam relinquit disputationem: posterior, quòd argumenta, quæ alter pro se parauerat, illi ipse priori inculcat, ueluti incognita referens, quæ non nescit eidem esse notissima. Sed quid faciat qui

collo

collocutores inducit, nisi loquendi uires seruentur, omnino circunspecta cogitatio, ut scias idem in cæteris personis, quod in Lamola fuisse cõsilium, attribuere singulis indecoram orationem, dum opus queat appellari dialogus, capteturq; ab autore fauor hominum quos facit disputantes. Quanto satius erat, si disputationẽ eruditorum fingere nesciebas, persona tua loqui. Non grauium doctorumq; hominum, sed unius puellæ et duarum anicularum, mihi uideris feciſſe colloquium. Ex quo qualis stilus sit, de eo nanq; ad extremum dicere habeo, satis colligi possit: de quo uelut in medio omnium, qui usquam sunt doctorum eloquentiumq; conspectu, positus testificor. Haud ueritus insolentiæ crimen, si Iuliani Sedigiti uerbis dixero, Si quis contra sentiat, nihil sentiat. Cuius stilus ciusmodi est, ut si quos audias disputantes, non rationibus (ut moris est) sed longe accersitis autoritatibus: non argumentis, sed nugatorijs testimonijs: non epicherematis, sed exemplis, ijsq; nulla diligentia, sed ut quodq; uenit ad manum: nulla inuẽtione, nulla disputatione, nullis figuris, nullis ornatibus, nulla grauitate, nulla deniq; ingenij commendatione, ut quiuis intelligat ac iudicet, nullũ nec naturæ, nec artis autorem præbere specimen: meliusq; se de eadem re, quàm hic fecit disputare posse. In quibus libris, nec oratores, nec philosophi, nec theologi aliquid recognoscunt, quod planè censeri queat oratorie, philosophice, nec theologice dictum: & de quo scribere quàm disputare potius oportuerit. Nec libros esse, sed ineruditum, inconsultumq; plusculorum ex quotidianis scriptoribus locorum aceruum, atq; congestum. Habes meum Fatue de tuo opere iudicium, ex quo licet intelligas, quanta fuerit, tum in me moderatio, ne de tuis libris omnia promerem, quæ sentirem, tum in te improbitas, quòd insultasti modestiæ meæ.

Stilus Facij.

De rerum

DE RERVM ET SENTEN= tiarum in opere Benedicti Facij inepti= tudine. CAP. IIII.

IAM tempus est, ut ad institutam sententiarum disputationem transeamus. Cæterum nequaquam ab ratione fuerit abhorrens pauliſper eam differre, tum ut ei suum librũ dedicemus, et item suum quæstioni de moribus, tum ut dilatis uerborum uitijs, quæ in meis uel sententijs, uel moribus reprehendendis aduersarius admisit, hunc librum germana ac propria materia expleamus. Hoc enim pacto nec ulla de uerbis controuersia, ubi de rebus agitur, intercedet, & suo tractatu loco, & lucidius & iucundius cognoscetur: in qua nostro instituto utemur, ut aduersarium non recte loquentem, & breuiter & molliter reprehendamus. FAC. Non ad antarcticum polum, ut ad orientem, sed ad arcticum, qui polus certissimus est, se conuertunt. LAV. Poli duo sunt omnino, nec plures esse queunt: sicut nec centrum, nisi unum in singulis globis, quas Græci sphæras uocant. Ex quo certior, nõ certissimus polus, grammaticus sermo est. FAC. Neq; hæc quoq; exornatio. Neq; quæ tam uicina uolunt esse. An uidisti uspiam Liuium, cum de consulibus Romanis in expeditionem euntibus scribit, de signis quæ ferebant mentionem facere? LAV. Vidisti pro legisti accipis. Quemadmodum ergo legisti mentionem facere, pro faciẽtem mentionẽ: dictu absurdum est, ita uidisti facere. Præterea satius erat omittere Romanis, cũ cõsules nõ nisi Romani fuerint. Vt præterea non solũ consules insignia huiusmodi tulisse, nec solum in expeditionem euntes. FAC. Quoniam eam rem dignitati populo Romano sciebat esse. LAV. Honori res sunt, non dignitati: & honor alicui habetur, non dignitas. Hic enim extrinsecus uenit: illa uero intra nosipsos est, uel in nobis apparet. FAC. Hæc

porrò

Porro. Definio. *porrò sententio.* LAV. *Tua sic incipit, qualiter nulla incœpit oratio, ut porrò sedem in huiusmodi principijs haberet.* FAC. *Opibus ac potentia illam ad postremum diffinis.* LAV. *Pro definis, ais diffinis. Est enim definio idem quod termino, quod metior, ut termino summum bonum uirtute, metior felicitatem uoluptate, tu definis omnia pecunia.* FAC. *A quibus credo id sumpseris.* LAV. *Sæpius admonui, te abuti coniunctiuo pro indicatiuo.* FAC. *Hic planè apertissime indicas admirabilem prudentiam tuam, uulgaria inducens exempla.* LAV. *Planè & aperte in idem significationis incidunt. Igitur alterum redundat. Vulgaria quoq; pro illiterata accipis, nulla fretus autoritate.* FAC. *Vix ulla extat memoria literarũ, itemq; prodi monumẽtis.* LAV. *Libuit tibi elegãtiæ affectatori imitari utrũq;, non peruidenti memoriam & monumenta idem esse, ideoq; nõ prodi memoriam monumentis.* FAC. *Abesseq; à suis uiginti millibus passuum, ab hostibus uero non plus quadringentos passus.* LAV. *Cur alterum numerum per ablatiuum, alterum per accusatiuum protulisti?* FAC. *Ac præterea præter historiæ dignitatẽ, in qua huiusce modi friuolarum quarumq; rerũ.*

Ac præterea. Quisq. LAV. *Vbi coniunctũ reperis ac cum præterea? In friuolarum uero quarumq; rerum bis peccasti: semel, quòd quisq; superlatiuo iungi debet, nõ positiuo: Iterum, quòd in genitiuo plurali nunquàm legitur cum adiectiuo, ut docui in elegantijs.* FAC. *Regem summa notare leuitate.* LAV. *Notatur quis infamia:*

Notari leuitate. *non autem leuitate. Infamia autẽ pœna est: Leuitas autẽ culpa. Quòd si notare pro accusare accipis, genitiuo debueras uti.* FAC. *Miseros captiuos, suæ gentis cultu corporis præditos.* LAV. *Non dicimus quempiam cultu corporis, sed forma, sed*

Præditus. *bonis fortunæ, sed bonis animi præditum: interdum & malis, ut calamitate præditus.* FAC. *Cur captiui pudore affici deberent?* LAV. *Vbi reperisti quempiã affici pudore? quis afficitur dolo*

Digitized by Google

dolore, supplicioq;, non pudore, aut uerecundia. FAC. Et fabulam pro uera accuratißime scribis. LAV. Quid sibi uult pro uera? Nempe pro uera fabula, quasi fabula illa uera non sit, nisi quando pro narratione accipitur. Potestq; tunc addi, uel falsa, uel uera, uel ficta: dicendum ergo fuit, pro historia, siue pro re uera. FAC. Vt cum expugnatam patriam uideret, tamen ab opere non discesßit, donec texendo perseuerans occisus est, murum texere perseuerauit. LAV. Politius eloqui uoluisti, texendo perseuerans, quasi participium hoc iungatur cum gerundio instar participij obtinenti, quod non secus est, quàm si sic dicatur, perseuerans texens: ut, quoq; non indicatiuum, sed subiunctiuum desiderat. FAC. Sunt qui dicant regem nulla arte, nulloue consilio, ex regina liberos gignere potuisse, LAV. Virum ex muliere gignere liberos dici eleganter, proferto priscorum aliquem autorum. FAC. Hoc uel meretrix impudica abhorreret. LAV. Accusatiuum respuit hoc uerbum, quem tu ei dedisti: Amat enim ablatiuum cum præpositione, ut Cicero in principio Paradoxorum. Animaduerti Brute sæpe Catonem auunculum tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos graues ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi & publico. Illud quoq; inconueniens est epitheton impudica. Ex hoc enim quòd meretrix appellatur, satis significatur impudica. Ne alioqui uidearis aliquam pudicam esse meretricem, quasi hoc sit cuiusmodi uenenum, quod & malum uocatur & bonum, dolus quoq; malus & bonus. FAC. De loco ubi diuertebat. LAV. Existimasti ac eandem habere rationem diuertor & diuersor? ita puto & ea propter errasti: nam diuersor tale est, quale conuersor. Et diuerto quale conuerto: diuersor illinc, ut conuersor illic: diuertor illuc, & conuerto me illuc. FAC. Qui satis essent, quando nusquam alibi peccasses, ad te perpetuo uituperãdum.

Gignere.

Aborreo.

Impudica.

Vbi diuertor & Diuersor.

Digitized by Google

Quando. Ire in oculos.

LAV. Quando pro quoniam frequentissime inueni, pro si nunquam. FAC. Non auderes in hominum doctorum oculos uenire. LAV. Vbi legisti uenire in oculos, pro eo quod est, uenire in conspectum? Eodem dicitur modo uenire in oculos, quo ire. Atqui, ire in oculos est contra ire, & inuadere in oculos: ut apud Quintilianum, Ire in istos oculos, in ista ora debebat. FAC. An adhuc se scurram gerat nec ne? LAVR. Vt omittam uerbum illud scurram. Sunt qui nudiustertius me certiorem fecerint, te legisse elegantias meas, è quibus discere debuisti non coniungi, an & nec ne. Cicero de officijs, Domus, nec ne in nostra potestate est. Cæsar, Vtrum prælium cõmitti ex usu esset, nec ne. FAC. Siquis rem huiusce modi in conuentu

An nec ne. Recitare.

aliquo, pro uera recitauerit. LAV. Recitare pro narrare accipis, quod secus usus habet. Est enim recitare proprie ex scriptis ad uerbum apud alios pronunciare, siue legere, ut audientes percipiant. Interdũ quod instar lectionis est, apud eosdem pronunciare memoriter: quæ aliquando legisti, uel lecta audisti, ut nihil ex tuo adijcias. De hoc ut reor in elegantijs. FAC. Quid oportebat dici de Francisci uestitu & barba? quid de rerũ humanarum derelictione? quid de eiusdem hominis aptitudine ad res principum administrandas? quid illam sentẽtiam interiectã? quid aliorum quos enumeras (sunt enim decem, si recte memini) commemoratio? LAV. Pro meo, renunciasset rebus humanis, genus sermonis apud multos autores usitatum, substituisti tuum uelut elegantius, rerum humanarũ derelictione, ignarus aliud esse relinquere, aliud derelinquere: illud generale, hoc speciale: derelinquimus, quæ in periculo relinquimus. At cũ opibus, aut magistratui renũciamus, nõ derelinquimus ea, sed relinquimus. Neq; me præterit apud nonnullos legi deũ derelictũ, sed non quos tu me sequi iubes, & habere autores. Apud hos nanq;, neq; derelinquere in istum sensum reperisse me memini, nec

Relinquere. Derelinquere.

aptitu

aptitudinem, sed dexteritatem. Quid loquar de duplici solœcismo? Nam unde interiectam sententiam regitur? Vnde nominatiuus ille. Quid aliorum cõmemoratio? ut existimari possit tertius solœcismus, ista uacillatio, ut igitur per accusatiuum, hic per nominatiuum interrogaueris? cum alioqui neuter casus, unde pendeat, habeat. FAC. Magnum cum cæteris in partibus, tum maxime hoc loco prudentiæ, & dicendi artis documẽ tum edidisti. LAV. Quis unquam isto modo locutus est, & non sic potius? cum cæteris in partibus, tum maxime in hac documentum dedisti. Non enim documentum, quod est probatio præsenti tempori seruiens, edi dicitur, ut exemplũ quod ad memoriam editur, ut apud Terentium: Quæ in te exempla edent. FAC. Quos credo imitatus sis. LAV. Imitatus es, latinius erat, ut superius sæpe notauimus. FAC. Cuius tantæ opes, & dignitas fuerant. LAV. Elegantius in numero singulari fuerat, ut uerbum respondeat ultimo supposito, quod est dignitas. FAC. Vsq; ad femora succinctam. LAV. Meum diuaricatam mutasti in succinctam, quod diuersæ significationis est, ut apud Vergilium, de Venere: Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lincis. id est supercinctam, non ut accipis, & ego exprimo diuaricatam, ut de eadem dea inquit, idem autor: Nuda genu. FAC. Breuissimis uerbis præteriri decet. LAV. Quod præterimus, de eo uerba non facimus. Verba quoq; breuissima uocantur, non quæ pauca, sed quæ paucis ex literis, uel syllabis constent, dicendum igitur. Paucissimis uerbis perstringi decet. FAC. Credo id dicere uolueris. LAV. Nimis crebro in hoc uitium incidis, pro indicatiuo ponẽs subiunctiuũ. FAC. regnũ antea sibi ignotũ & inaccessum. LA. Inaccessus locus, non ad quẽ nõ accessimus, est, ut tu accipis, sed ad quẽ nõ possumus accedere, id est inaccessibilis, ut Verg. Dium inaccessos, ubi solis filia lucos Assiduo resonat cantu. Præterea prius po-

Altitudo. Dexteritas.

Edi.

Succinctus diuaricatus.

Præterire uerbis breuissime.

Inaccessus locus

Digitized by Google

nendum erat inacceſſum, ut tu uis ad quod non acceſſerat regnum, quàm ignotum, quoniam locus, ad quem acceſsimus, notus eſt nobis: & qui ignotus, is nec aditus. FAC. *Credo nunquam præceptum ullum de his quæ ad breuitatem narrationis pertinent, uideris.* LAV. *Idem uitium quod crebro notaui ſubiunctiuo pro indicatiuo poſito.* FAC. *Vtrum condito teſtamento an ſecus.* LAV. *Non eſt eruditorum iſte ſermo, ſed hic, recte an ſecus, bene an ſecus. Non autem, ibis hac uia an ſecus, dormiens an ſecus, ſed an non. Ita condito teſtamento an non. Et enim ſecus idem eſt quod aliter. Atqui propria locutio eſt & uſitata, recte fecit an aliter, id eſt, an male? condidiſti uerò teſtamẽtum an aliter? ſiue an ſecus, ideo improprius & inemendatus eſt ſermo, quòd hoc aduerbium non habet alterum cui opponatur, ſed uerbum cui opponitur negatio ſic, an non, ut ſubaudiatur an non condidiſti?* FAC. *Nam ſi Cicero reprehendit qui dixit aut dicat.* LAV. *Solœciſmum admiſiſti diuerſos uerborum modos coniungens, cum fuerit codẽ utẽdum: aut ſic, qui dixit aut dicit, aut ſic qui dixerit aut dicat.* FAC. *Igitur omnes reges à uectigalibus immunes, ac liberi eſſe debent.* LAV. *In uectigalibus dicimus, nõ à uectigalibus. Non enim amat præpoſitionẽ à, immunis quoq; genitiuo gaudet, non ablatiuo cum præpoſitione.* FAC. *Si æquum eſt ut iuſta regi ſoluantur.* LAV. *Ridiculus ſermo ſi æquum eſt ſoluere, quod æquum eſt: ſi iuſtum eſt ſoluere, quod iuſtum eſt: Præterea iuſta alicui ſoluere, eſt honorem exequiarum defuncto præſtare, ut plurimis doceri poteſt exemplis.* FAC. *Tu doctiſſimum hominem de ſerijs, ac maximis rebus legentem interrumpes.* LAV. *Legentem eodem modo dici poſſe exiſtimas, quo diſſerentem de maximis rebus.* FAC. *Auſus es profiteri apud regem, & apud quem regem? Regem inquam ſummæ ſapientiæ, ſummiq; iudicij, te emendaturũ omnes deprauationes, quæ*

An ſecus.

Iuſta.

Digitized by Google

quæ in operibus Liuij librariorũ uitio ceciderunt. LAV. *Vbi reperisti post interrogationem subijci, inquam, ut solet nempe, profecto, certe, & quæ sunt id genus? ut in elegantijs tradidi:* Inquam. *Inquam uero eum usum habet, cuiusmodi est apud Ciceronem, Ciues ciues inquam: tu, tu inquam. Ad hæc sicut alibi librũ pro libris, ita hic opera pro opus appellas. Vnum enim Liuij opus extat, idq; dimidiatum, atq; truncatum. Etiam cadere in operibus, quam cõgruũ sit grammatici cognoscent. Vitio quoq; pro culpa improprium est. Siquidem uitiũ libri, uitium hominis appellamus, cũ liber uel homo uitiatus est. Hunc librarius mẽdose scribendo in culpam incidit, nõ in uitium, nec se uitiauit, sed librum.* FAC. *Si liceret corrigi proprio arbitratu, atq; iudicio, quod à te fieri intelligo.* LAV. *Huius quoq; rei quem magistrũ habes, ut pro accipio siue audio, utaris intelligo? ut uulgo ineruditi loquũtur: Intelligo regem discessurũ, intelligo te accepisse uxorem.* FAC. *Qui id facere desinunt.* LAV. *Pro non audent siue non tentant ais desinunt, cũ desinere sit eorum qui incœperunt.* FAC. *Tu uero de his loqueris, de quibus modo dixeras, corrigere non audent. Qua ratione textus corrigendi sint.* LA. *Vbi Cicero & hi quos mihi cẽses imitãdos dixere textus?* FAC. *Paucis quibusdã permutatis, dicam, an peruersis?* LAV. *Permutatis pro mutatis: q aliena suis mutat, nõ pmutat. Lego eadem rerũ permutatione, quid sit permutatio?* FAC. *Tu enim cũ arator magis, quàm orator sis, Logicam identidem, ut uitẽ repastinari putasti.* LAV. *Hic iocus est Panhormitæ, qui scripsit in Antoniũ Raudensem, qui in hunc postea libros, & prosa oratione & carminibus edidit. Non erit Orator Rhodus arator erit. Mutuatus ex meo quodam carmine, quod neminem uero nomine præstingit, argutiæ tantum gratia compositum.* Epigramma Vallæ.

Cado in Vitium. Culpa. Intelligo. Desino. Textus.

Non est cur doleas, quod quæ uis Aeole habere,
Cuncta nequis, cuncta nam quis habere potest?

Digitized by Google

Non potes esse bonus pictor, potes Aeole pistor.
Non eris orator magnus, arator eris.
Ciuili uel pontificum non Aeole iuri
Sufficies? iuri sufficies patinæ. Et in sequentes deinceps uersus. Non est ergo iuris, nisi patenarij: ut meo in me uersu pugnetis. Verum si aratorem me facitis, haud probe mentionẽ uitium feciſtis. Cum bobus & aruis rationem habet arator, nõ cum uinetis atq; arbuſtis. Cereremq; magis quàm Liberum ue ſtrum colit. Quid? ſi ego arator, uos oratores. Vos oratores ego arator interrogo, nũquid oratoris ſit, an aratoris pro iti=

Idẽtidem. dem quod ſignificat ſimiliter, ſiue pro ita, ponere idẽtidem, cu=

Quam. ius ſignificatio eſt, frequenter, eodem modo. FAC. Cũ ſint qui intelligãt q̃ minimũ literarũ teneas. LAV. Quàm pro quantũ, nunquã applicatur ſuperlatiuo: niſi cũ uno uerbo poßum, ſiue queo, ſiue ualeo: ut in elegãtijs. Tu nunc pro quantum accipis. FA. Ita fit ut inter Græcos Latinus ſis, inter Latinos Græcus,

Neutrum. inter utroſq; neuter. LAV. Neutrum nõ neuter dicendũ fuit, quòd uidelicet illud ad numerũ rerum, hoc ad numerũ homi=nũ refertur, Plautus in Amphitryone, Seruus es, an liber? utrũ animo quod libitũ eſt meo. Non dixit uter. Cui ſimile eſt illud, Petronij arbitri? Hebræi eſtis, an fugitiui, an utrunq; ? Plinius ad Hadrianum, Stabat modo conſularis, modo ſeptem uir epu=

Duplex. lonum, iam neutrum. Duplex Vicentinus in argutißimo car=mine, quod ſolum ipſius inueni,

Cum mea me genitrix grauida geſtaret in aluo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe deos.
Mas eſt Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq; neutrum.
Cumq; forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti fatum, Iuno hic ait occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, ſors ſua quæq; tulit.
Arbor obumbrat aquas, conſcendo, decidit enſis
Quem tuleram, caſu labor, & ipſe ſuper.

Digitized by Google

Pes hæsit ramis, caput occĭdit amne, tulitq;
Fœmina, mas, neutrum, flumina, tela, crucem.

De uero autem Hermaphrodito, inquit Ouidius. Hermaphroditus.
Nec duo sunt, sed forma duplex nec fœmina dici,
Nec puer ut possit neutrumq;, & utrunq; uidetur.
Sunt alia quoq; infinita exempla. Cur tamē (inquies) Cicero
ait? Sed tamē nostra legēs, nō multū à Peripateticis dissidētia,
quoniā utriq; & Socratici et Platonici esse uolumus, de rebus
ipsis utere tuo iudicio. Cur inquā nō ait uolumus esse utrūq; So-
crati & Platonicici, sed utriq;? Quia utriq; præponitur, uerbo Cic. locus.
nō apponitur, referturq; nō ad unum Ciceronē, sed ad Stoicos
Peripateticosq;, sic quoniā utriq; hoc est, & nos Stoici, quorū
præcepta nūc trado: & Peripatetici, cuius sectæ præceptorem
Cratippū, tu fili audis, uolumus eē Socratici et Platonici, id est,
ab eodē fonte uolumus uideri, profecti, quia quæ Socrates loquēdo
(nam literā nullā scripsit) hæc Plato scribēdo, sub illius tamen
persona, tradidit. Si qua aūt tradidit, sit inter eos qui Socrati-
cos, & eos qui Platonicos sese appellant differētia, supersedeo
exequi. Et hoc aduersus elegātiam peccatū: quod sequitur ad-
uersus grāmaticā est. FAC. *Pereā nisi malim penitus ignorare*
literas Græcas, q̄ illarū, tam paruā, q̄ te scientiā attigisse. LA.
Pro nominatiuo posuisti accusatiuum, quod ita esse inspicienda
constructione probabitur: sic peream, nisi malim penitus igno-
rare literas Græcas, q̄ attigisse tam paruam illarū scientiam, q̄
te: uides ut dicendū erat quam tu, id est, attigisti: nūc iste accu-
satiuus unde regatur, nō habet. FAC. *Si ab his quos uituperas.*
At tibi turpe est cōtemnere, à quibus didiceris. LAV. *At ocio-*
sum est, atq; inelegāter positū. FA. *Quæ summo usui sunt, nō*
solum mediocribus, sed etiam doctis hominibus. LAV. *Medio-* Mediocris.
eres pro mediocriter doctos accipis, qd' inauditū est. Sed esto.
Quomodo autem hos, tanq; docti nō sint, infra doctos statuis?

Digitized by Google

FAC. Nomen mehercule operi conueniens. LAV. Caue ne te Scytham suspicemur, qui per Herculem deieras, & hinc esse, cur me uocabulis Christianæ religionis utentem asperneris. FAC. Vt Græcorum ueterum more de quacunq; materia & scientia te in publico disputare uelle aliàs proposueris: aliàs, pro quodam die quàm sit elegans, tu uideris, & quàm compositum ubi nuncupaueris materiam, sciẽtiam subdidisse, quasi latior sit scientia, quàm materia, & non omnis scientia, sub materia contenta. FAC. Inter Græcos Latinissas. LAV. Græca nomina recipiunt hanc terminationem, ut à πατήρ τοῦ πατέρος & πατρός patrisso πατρίζω. Plautus, Atq; adeo hoc argumentum Græcissat, tamen non atticissat, sicilissat. Et alibi, Scyathisso apud uos quando poto. FAC. In æde sacra libellum Græce scriptum legis spectãte populo, ut uulgo Græce doctus esse uidearis. LAV. Non dicitur in æde sacra (quia omnis ædes sacra est) sed in æde certi dei, ut in æde Iouis statoris: igitur in ædibus sacris, quia nõ omnes ædes sacræ ut in elegãtijs latius. Præterea, nec proprie doctus Græce, etsi proprie liber scriptus Græce. FAC. De quibus tradidit sciuisse dicitur. LAV. Quas tradidit melius dixisses, & scisse quàm sciuisse, Quintiliano tradente. FAC. Nisi Antonius eius intercursu ex illorũ manibus eripuisset. Augustinum carpis nec uerbis modo, sed etiam scriptis erratum à se dictitans. LAV. Illic debueras dicere suo intercursu non eius, & hic ab eo, non à se. FAC. Cum te ut de male sentiente existimant. LAV. Te existimo ut de malo sentiente, nunquam audiui. FAC. Cuius consuetudinẽ uides, omnes uiri boni aspernantur, atq; ut uesanũ effugiunt. LAV. Melius erat fugiunt: nam effugere est ab eo, uel homine, uel loco fugere, elabiq;, ubi eramus inuiti. FAC. Hæc ego scribere statui. LAV. Si accipis statui pro constitui, & animo proposui, nondum scripsisti, quod falsum est: si pro iudicaui, scribenda statui dicendũ

Alias. Materia Scientia.

Aedes.

Effugere. Statui.

dicendum fuit, ut putaui ueniendum, id est, ueni de quo in elegã tijs. FAC. Vt siquam mihi detrahendo uoluptatẽ ebibisti, hanc totam male legendo euomas. LAV. Quàm facile bene dicta nõ bene docti deprauant, cum imitantur. Sallustius in Ciceronem, ut tu nunc in me maligne atq; inuide inuectus, inquit: Vt siquã male dicendo uoluptatem cæpisti, eam male audiendo amittas. Est enim maledicere mala de altero dicere: Male uero audire, malè de se audire, ut in elegantijs. At male legere non est mala uel de altero, uel de se legere, sed indoctè legere. Hæc sunt quæ uelut instrumẽta ac testimonia in iudicio recitata probãt, utra pars inquinate loquatur, ac minus latine. Nunc ad cõfutationem rerũ in quibus arguor peccasse transeamus.

Male dicere.
Male audire.
Male legere.

DE CONFVTATIONE RERVM in quibus Valla arguitur peccasse.

CAP. V.

EVROPAM tertiam partem orbis terrarum esse, ferè traditum est, & reliqua quæ scribere longum est. LAV. Quid cæteris in locis facere putandus es, qui ipsum statim operis mei principium deprauas, gratiamq; corrumpis compositionis: Nam sic scripseram, Europam tertiam orbis terrarum esse partem traditum est, sequutus Quintiliani præceptum, qui hoc docet, Ciceronis exemplo dicentis: Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes, quia in duas partes diuisam esse, durum erat. Cæsar quoq; & ipse sic incipit: Gallia omnis in tres diuisa est parteis. FAC. Descriptio ista orbis terrarum ex aliqua parte superflua & uitiosa est, maxime ubi probare niteris Hispaniam orbis terrarum caput, & eam trium partium, in quas mundus diuiditur esse maximam. LAV. O Brutum pecus: Hispaniam ne ego dixi tertiam orbis terrarum esse partem, eamq; maximam? FAC. Satis enim fue-

Ordo in scribẽdo seruandus.

Digitized by Google

rat, cum de Hispania solum mentio futura esset, Hispaniarum situm gentesq; describere. LAV. O nunquam quid loquaris aduertens? quanto longius erat situm Hispaniæ gentesq; describere, quàm tres orbis partes, & quinque Hispaniæ regna per transitum, & ,ut dicitur, perfunctorie attingere? Atqui ut exemplo tecum agam, cur Thucydides in historia nulli secundus, statim in primo, ut maximum omnium bellum, se conscripturum monstret? decuplo pluribus quàm ego uersibus in superiora longe tempora euagatur? argumentis etiam colligens illos exercitus fuisse, quàm sui temporis minores? Sed omitta-

Iustinus. mus Græca. Cur Iustinus scriptor compendiarius, & alieni operis abbreuiator, de origine Scytharum Aegyptiorumq; altius repetit, & de antiquitate utriusq; disputat gentis, ac deinceps passim similia facit? FAC. Dicis te historiam incipere, & cosmographiam ingrederis, quæ res ab historici officio separata est. LAV. Quibus istam rem? Hoccine percurri, cosmographia appellanda? quòd si feciſſem, ratione tamen probabili ductus tuerer factum meum, causa non exemplo, cũ unusquisq; ut poëtarum, sic historicorum suum sit institutum sequutus.

Sallustij principia. Cur Sallustius præter historicorum morem in Catilinario Iugurthinoq;, à nihil ad historiam pertinentibus principijs est exorsus? Cur Xenophon in uita Cyri superiorum uestigia deseruit? Quis deniq; (ne omnes percenseam) alteri ferè similis est? Et ego similis alicui sum, & exemplo nitor non dico Pauli Orosij, qui à descriptione mundi incipit, aliorumq; nonnullorum, sed Cæsaris qui à commentariorum argumento longe diuersa in principio scripsit, sicut ostendi: Nisi quantum attinet ad eas regiones de quibus scripturus sit, ut ante dixi. Hoc ipse & q̃ breuissime fieri potuit feci, & breuius multo quàm cæteri: nec ferè pluribus, quàm Sallustius in Iugurthino partes Africæ, nec minus necessario. Esse autem meam descriptio-

rem

nem ocioſam, nemo niſi inimicus, & inuidus ſtatuet. FAC. Eſt enim contra præceptũ narrationis de breuitate, quod eſt. Et ſi non ab ultimo initia repetamus. LAV. Nec ego paucioribus abſoluere potui, qui rem ingentem tanto compendio complector, & tu cum artis rhetoricæ peritum te oſtentaueris, plus quàm imperitiſſimus agnoſceris. De iudicialis enim orationis Cicero narratione loquitur, quæ nihil ad hiſtoriam attinet: de quo in ſequentibus quoque (nam ſæpius hoc inculcas) diſſerendum eſt. FAC. Verum ſicut ad cœlum Hiſpania uergit in occaſum, in dextera eſſe cẽſenda eſt: ita ad ipſum orbem terrarum, quia certiſſimum eſt caput, Europæ caput nominari poteſt. LAV. Vehementer erras coſmographe, ſi putas Hiſpaniam, quia in occaſum uergit, in dextra parte cœli cenſendam eſſe. Qui enim mundi partes dimetiuntur, non ad antarcticum polum aut ad orientem, ſed ad Arcticum, ſe conuertunt, atq; ita eorum dextera ad orientem, ſiniſtra uero ad occidentem uergit. Atq; in hunc modum omnes cœli terræq; dimenſiones à ſanis hominibus fieri uideas. Rationes autem meas, quæ iudicibus ignotæ ſunt, ſubtices. Præterea ſic diſputas, quaſi ego ad antarcticum dixerim reſpiciendum, & non ad arcticum. Aisq;, qui mundum dimetiuntur ſe conuertunt ad arcticum, quod apud nullum, nec ueterum, nec nouorum aſtrologorum geometrarumq; legiſti: non deniq; apud ipſum Priſcianum, qui de ſitu orbis, etſi Græci autoris interpres, uerſibus ſcribit: quid facit mundi dimenſio ad dextrum ſiniſtrumq; diſtinguendum? Non agam tecum ſubtilioribus argumentis, non abditis rationibus, ſed tuis ipſius & ſi rudibus uerbis. Qui ſe ad arcton conuertit, ſeu quo apertius, intelligas, qui ſe conuertit ad lunam media nocte medioq; cœlo meantem, Non ne eas ſtellas uocabit dexteras, quæ ad dexteram quidem illius micant, ad ſiniſtram uero ſuam reſpondent?

Item

Digitized by Google

Item sinistras, quæ ad sinistram eiusdem sitæ opponuntur dextræ suæ? Vtq; ipsæ stellæ inter se alia dextera, alia sinistra, tam hic oculos, manus, pedes suos dextrum quidem in læuam, læuum uero in dextram spectare confitebitur. Sed quid tibi cũ luna, arcto, stellisq; reliquis? homini batto & argillacco, nisi quomodo lunaticus & stolidus es, ac ritu ursi (arctos Græce uocatur) furis. Duo illa siqua marmorea dimidiata, quæ supra ualuas portæ regiæ spectantur intrantibus alterum imberbe, barbatum alterum, illud uero hoc aliquorũ iudicio pulchrius: non ne dextrum est nobis, quod alteri sinistrum. Itemq; sinistrum nobis, quod alteri dextrum? prout licet uidere in speculo in quo Panhormita se mirari solebat. Cur sibi læuus oculus identidem pro dextro, ad auram cum eadem nare traheretur? Qualia multa disputant cum alij philosophi, tum uero qui de prospectiua præcipiunt, cum à sinistra oculi parte dextrũ ex aduerso signũ describunt. Itemq; ediuerso. Itaq; ut ij quibuscũ loquimur contraria nobis gerunt latera, Ita cætera quæ in conspectu nostro è regione consistunt, qualis septentrionis orientis, occidentisq;, facies enim illa cœli non terga sunt. Quid affĕram huius rei ex pluribus autoribus exempla, tum Latinæ, tum Græcæ linguæ, tum punicæ in nostram traductæ? Satis sit unus Plinius cum sua, tum superiorum autoritate, quos sequitur dignissimus cui credamus. Cœlum rotare è læuo in dextrum, hoc est, ex oriente in occidentem: quod tu captus oculis negas, nisi captus es mente. Sic in secundo naturalis historiæ ait: Læua prospera existimantur, quoniam à læua parte mundi ortus est. Et in eodem: Omnium autem syderũ errantiũ meatus, itemq; solis & lunæ contrarium' mundo agere cursum. Idem: Læuũ illud semper in dextra præcipiti. Et de uentis loquens. À læuo latere in dextrum, ut sol ambiunt. Sed ne te hæc exempla perturbent, sic habeto: Sol suapte natura contrarium mundo agit

cur

Digitized by Google

cursum, id est, in læuum: sed ipsius mundi raptu rotatur in dexterum, sed quidem multo ocyus. Vbi sunt igitur insane isti sani homines, quos à me dißidere ais? FAC. Nec uero minus infirma est altera ratio tua, qua probare niteris Hispaniam esse Europæ caput, quoniam nullis montibus, nulloq; flumine terminetur, ut dicis tu: qui logicæ repastinatorem te facis, nomen profecto rei conueniens, hoccine consequens affirmabis? Hispania nullis mõtibus, nulloq; flumine: sed aperto uastoq; mari terminatur. Igitur Hispania Europæ est caput: Si hoc affirmas, ad dialecticam redi. LAV. Quid blateras ueſane: candẽ rem, pro ratione repetis: nam bis idem dicis, ne intellectis quidem, ne dicam parum syncere, uerbis meis expositis, quæ hæc sunt: Ipsa autem Europa nusquam aptius cõuenientiusq; initium sumere, dicenda est, quàm ubi primum se ab Africa dirimit, nõ flumine aut monte, ut alibi fit, sed freto oceani, ac mediterranei maris: hoc est in Hispania: Sequutus enim sum præter rationem, cum multos alios autores, tum uero eundem Plinium, qui ait: Terrarum orbis uniuersus in tres diuiditur partes, Europã, Asiã, Africam: quæ origo ab occasu solis, & Gaditaneo freto, qua irrumpens oceanus Athalanticus in maria anteriora diffunditur. Paulo q; post: In eo prima terrarum Hispania est. Ideoq; ille ab hac descriptione terrarum, ut à capite orditur. Tu uero cũ nihil habeas, quod opponas, inquis, si hoc affirmas: quasi dubium sit an affirmem. Quia igitur sic disputas, ac dialecticã cum rhetorica grammaticaq; nescis, me autore ad sutrinã, & uerriculum redi. FAC. Alter fratrum sperat se relicturũ Mariam suam, Castellæ reginam: cum alter fratrum qui non sperabat suam Mariam, relicturus esset, ille se putat hos coniuges regni sui facturum hæredes, & hic qui non putabat, sui facturus erat. Huiuscemodi exornatio aliena est à rerum gestarũ expositione, quæ debet esse pura & minime fucata. Conuenit autem

proprie

proprie cõfirmationi, uel confutationi in oratione. Taceo uero compositionem, quæ qualis sit uides. LAV. O minutorum minutissime, qui totus pædagogica oles præcepta, uim orationis inculcas in historia, quæ quantum differant, postea commodius aperiam: tametsi Quintilianus uult omni gratia & uenere ornandam & uariandam esse narrationẽ. Quis te magistellus edocuit, quæ cui parti orationis exornatio, aut figura conueniat? quasi non ubiq; habeat locum, intelligo te. Alani cuiusdã longe ab eloquentia abhorrentis, etsi quis nostris temporibus illius est similis, potius quàm Ciceronis aut Quintiliani præcepta sectari horum alterius nullum opus, alterius iuuenilia dũtaxat opera legisti. Cæterum ut pro me respondeam, possem, si liberet exquirere, complura huiuscemodi reperire exempla. Vnum tantum apud cõmẽtarios Cæsaris impræsentiarum occurrit. Hic subitam commutationẽ fortunæ uidere licuit, qui sibi modo timuerant, hos tutissimus portus recipiebat. Qui nostris nauibus periculum intulerant, de suo timere cogebantur. Itaq; tempore cõmutato, tempestas & nostros texit, & naues Rhodias afflixit. Quid hoc à nostro genere dicendi differt, cum rationibus tũ ipsa propositione? Sic enim apud nos scribitur. Sed profecto raro respondent cuncta propositis nostris, ut intelligere possimus consilia humana utiq; diuina ratione superari. Alter fratrũ &c. Nam quod ais de compositione, Ciceronem mihi uideris nõ legisse, qui in tertio de oratore, itemq; in oratore, ut Quintilianus quoq; aliter ac tu compositionẽ accipit. Huc accedit quod stultũ est dicere ei, quẽ reprehendis (nõ pro babo illius errore) quantopere erres, tu uides. FAC. Præclareq; cũ exercitu ac populo agitur, si dum maiori parti bene cõsultum sit, minori male consulitur. Inepta certe & impia sententia. Nescio unde istam præclaram philosophiam didiceris, quæ doceat minori parti male consulendum esse. Neq; enim minus consu

consulendum est paucis, quàm multis, si fieri possit: quòd si quo fato, aut casu fieri non possit, plurium saluti prospiciendū erit. Sed tamen paucioribus non male consulendum, illud enim inhumanum est, sed quoad poterit adiuuandi erunt. Sanū igitur si particula ista subtracta, sic dixisses: Præclaræq; cum exercitu ac populo agitur, si plurium saluti consultū sit. LAV. Quandoquidem non meam tantum sententiam carpis, uerumetiā illorum de quibus locutus sum factum, prius pro illis, postea pro me dicam. Quis adeo à lectione librorum ueterum abhorrēs, atq; peregrinus, imò quis adeo rerum imperitus est, qui non legerit & memoriæ nostræ non audierit duces, plerunq; paucos milites in apertum coniecisse discrimen occidiq; ab hoste uoluisse, quo ipsum hostem circūueniret, ac falleret? Et hoc quidem sponte. Quid ubi necessitas coēgit, id quod nunc fiat, cum fame laboraretur? Vnde Liuius: Annibal id damnum haud ægerrime pati: quin potius credere inescatam temeritatē ferocioris consulis. Tu nunc Annibalē ad philosophos citas, accusasq; cur non omniū saluti cōsuluerit. Non'ne uicissim ille, si hæc audiat, tibi respondeat? Quid ais deliro Phormione deliriore? Nisi ita egissem, nō ipsum cōsulem, & propè rem Romanā strauissem, atq; profligassem. Aut omnino nō gerenda, aut sic gerēda sunt bella. Neq; enim fas est, neq; postulandū, ut in re militari cōsulatur omniū saluti: nullaq; nō uictoria, ad quā oēs tēdimus, cōsistit sanguine ac morte nostrorū. Ita nihil aliud bellū est, nisi male cōsulere paucis, dum pluribus bene cōsulatur. Nec secus ipsi philosophi, ut Xenophon, & Epaminūdas, ut Dion, & alij plurimi cū ipso parente philosophiæ Socrate bella administrarūt. Ausim cōfirmare, ne in pace quidem aliter uiui posse, nisi ut ali quibus male consulatur, dū pluribus bene consultū sit. Hæc aduersus te Annibal. Ego illud. Quem philosophū habes autorē, nō minus paucis, utputa duobus tribusue, q̄ multis, utputa toti

exerci

exercitui, aut toti humano generi consulendum? Et nõ potius, si uirtus omnium par sit, pluribus magis totidem æque paucioribus minus prospici debere? quanquã sicut es fatuus, idem ais & negas. Cum enim inquis, si quo casu & si quo (ut stulte adiectum est) fato idem fieri non posset, prospiciendum esse saluti plurium: hoc sentis, deserendam salutem paucorum. Nempè paucioribus male consulendum, quod negabas. Denique si quo ingenio ac prudentia esses, cum dicitur: præclare cũ exercitu, ac populo agitur, si minori parti male consulitur: palàm est de eo populo atq; exercitu dici, qui nisi cum impendenti clade decideret: amissione paucorum sit totus ipse periturus. Aliter nõ præclare cum eo ageretur, sed male. Quantulacunq; enim corporis sui iactura cuiq; mala est. Hactenus pro defensione facti illorum: nunc pro me aliquid dicam, ac uerius contra stultitiam tuam. Nam quid stultius quàm sententiam utilitatis retorquere ad honestatis? Præclare cum exercitu ac populo agitur, utile fructuosumq; est, si dum maiori parti bene consulatur, id est utiliter fiat, minori male consulitur, id est, inutiliter fit. An si in alto nautæ propter uim tempestatis ad leuandam nauim necesse ducentes aliquot uectores Neptuno tradere, te & Antonium in mare deiicerent, non præclare mecum esset actum, qui in eadem naui uecherer, uobiscum incommode, quòd illi meæ uitæ bene uoluissent consultum, uestræ uero male? At non debuerunt: esto sanè. Non ideo tamen hoc minus uerum sit. Nõ fuit honestum. Nescio, Mihi certe est utile. Non bene fecerũt: istuc ego non laboro, mihi bene feciſſe negare non poſsum. Nõ fuit ita consulendum: quid mea, dum mihi bene consuluerint: & tamen consulere nunc ad actionem, non ad rationem refertur: sicut bene ad utilitatem, non ad honestatem: & male ad damnũ, non ad uitium mentis. FAC. *Dura uidebatur omni ex parte ratio.* LAV. *Cur uerba mea paſsim deprauas? etsi ego diſsimulo*

Digitized by Google

mulo, ne uerbis libros extendam, dura uidebatur ego scripse-
ram. FAC. Inquiret fontes quos magnos uiros esse suspica-
batur. At ne ad delictum quidē potuerat ulcisci. Reficeret cur-
rum. At magnum dispēdium, & ut infame magis ac magis in-
ualescente indies mulitum contumacia proponebatur. Rediret
infecta re: at non aliorum culpa, sed ducis argueretur. Neque
hæc quoq; exornatio huic loco conuenit, quæ non narrationi,
sed confirmationi, uel magis proprie confutationi accōmodata
est in oratione. LAV. Abi hinc in malam rem cum isto Alani,
& Alani similium, absurdissimo præcepto. Quanquam quid
ais? In oratione nunc ego iudiciali uersor, aut in narratione?
nisi uis tōtam historiam esse narrationem. O te scitum artificē.
Nunquid narrabat aut confutabat aduersarium, aut ad iudices
orabat Alexander apud Curtium, inquiens? Bibere perseuerē?
ut si datum uenenum fuerit, ne immerito quidem, quicquid ac-
ciderit, euenisse uideatur? damnem'ne medici fidem? in taberna-
culo me opprimi patiar? Non. At satius est alieno me mori sce
lere, quàm metu meo. Deliberabat tacitus Alexander, ut nunc
Ferdinandus. Et cur nō hūc deceat, quod illū decuit? FAC. Ve
xillis præcedentibus, quorum primum habebat imaginem domi
ni nostri IESV CHRISTI in cruce pendentis? Alterum ma
tris eius, cum angelo Gabriele, conceptum opera spiritus san-
cti annunciante. Tertium sancti Iacobi. Plebcia sanè & uere
Laurentio digna eloquutio, & superuacua in primis rerū nar
ratio breuitati contraria. Hæc enim summatim, non particula-
tim narranda sunt. Quid enim opus erat de uexillis hoc lo-
co mentionem facere? An uidisti uspiam Liuium, cum de consu
libus Romanis in expeditionem euntibus scribit, de signis quæ
ferebant, mentionem facere? & tamen sine signis eos non
esse ad bellum gerendum scimus. Secus autem facit cū hostium
signa capta erāt, quoniā eam rē dignitati pop. Ro. sciebat esse.

Digitized by Google

LAV. Reprehendis orationem meam, quòd plebeia, quod breuitati contraria, quòd à ueterum usu dissonat. Et quòd plebeia quidem sit, agnosco causam, quòd Iesum non Iouem: Mariam non Mineruam imò Venerem, Iacobum non Bacchum, Gabrielem nõ Briareum, aut Priapum nomino. Plebeia enim apud uos & ignobilia sunt nomina, nemine literato excultoq; uiro digna: & quæ orationem, ut soleς prædicare Maure Panhormita, applaudente fatuo Scytha (honor sit cæterorum auribus) pernigant, atq; conspurcent, Iesus, Maria, Iacobus, Gabriel, similiaq; : sicut econtrario illa uelut gemmæ ornant, Iupiter, Apollo, Minerua, Venus, Bacchus, Hercules, Priapus, & cætera similia. Facesite impijssimi homines, piaculi tanti propediẽ luituri supplicium. Verum summatim, nõ particulatim fuit narrandum: scilicet nunc causam iudicialem, non historiam scribo: & rem de qua pronuntiandum est narro, non uitam & gesta Ferdinandi. Minutissime pædagogorum, qui præcepta orationis iudicialis inculcas. Ostendam tamen quãtum inter hanc & illam narrationem interst, quo superius destinaui loco. At uexilla Liuius non recensẽt. Ranuncule odiose coaxans non loquens, qui ignoras apud consules his duntaxat temporibus, quorum libri Liuiani qui extant, meminerunt non fuisse depicta uexilla, sicut nec sericea, & ais illum non facere mentionem de signis, nisi quando essent capta de hostibus: quoniam ista res cederet ornamento pop. Rom. Vere fatuo digna ratio: quare nõ idem referat, quot ipsi Romani signa in prælio amittebant? Nam si id solum narraret quod ad ornatum pop. Rom. pertineret, non historicus, sed tibi similis foret. Et nihilominus, quoniam me ad huius legem autoris accusas, audi quid ipse narret: Confestim ad aliud sacrificium eidem diuæ à decẽ uiris edicta dies. Cuius ordo talis fuit: Ab æde Apollinis boues fœminæ duæ albæ, porta Carmentali in urbem ductæ: postea duo signa cupreς

Nomina sancta Christiano non uitanda.

Vexilla Rom.

Digitized by Google

cupreſſea, Iunoni reginæ portabantur: tum ſeptem pueri, & duodecim uirgines longam indutæ ueſtem, carmen in Iunonem reginam canentes ibant. Illa tempeſtate forſan laudabile rudibus ingenijs, nunc abhorrens & ineruditum, ſi referatur: uirginum ordinem ſequebantur tredecim coronati laurea, prætextatiq; à porta tergemina iugario uico in forum uenere. In foro pompa cõſiſtens, per manus reſte data, uirgines ſonum uocis pulſu pedum modulantes inceſſerunt. Inde uiſco Tuſco uelabroq; per boarium forum in uicum publicum, atq; ædem Iunonis reginæ: utra quæſo magis ſuperuacanea narratio? utra longior? Certe ſi quid in mea uideretur ocioſum, apud æqua iudicia poteram putari Liuium imitatus, à quo tu recedentem facis: qui haud dubie de aureis ſericiſq; uexillis mentionem feciſſet, cum de ſignis cupreſſeis, ut aliæ ſileantur ineptiæ, tam curioſe narret. At qua in materia? nempè ſecundi belli punici, quod ut ipſe teſtatur, fuit omnium maximum. Audi præterea quid Curtius ſcribat, & ſi tibi uidebitur, poſtea ſuperſtua me & inſueta narrantem reprehendito. Vtrunq; regis latus ex auro argentoque expreſſa decorabant, diſtinguebant, internitentes gemmæ iugum, ex quo eminebant aurea ſimulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli: inter hæc aquilam auream pennas extendenti ſimilem ſacrauerant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur, purpureæ tunicæ medium albũ intertextũ erat, pallam auro diſtinctam, aurei accipitres, uelut roſtris inter ſe concurrentes, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus, Acinacẽ ſuſpenderat, cui ex gẽma uagina erat, Cydarim Perſæ uocant. Regiũ capitis inſigne hoc, cerulea faſcia auro diſtincta circuibat. Talis in expeditione Darius eſſe narratur, qualẽ à me Ferdinandũ narrari, rana quõ tuliſſes, q uel tria memorari uexilla nõ pateris.

Digitized by Google

FAC. *Quasi uero non sint, non solum alij principes interdum maiores regibus: ideoq; regaliores, ut olim Romani imperatores: sed certe qui obsidet alterius regnum, ipso rege obsesso, non inferior censendus est. Hæc porrò sententia tuo illo summo subtiliq; iudicio maxime consentanea est. Tu enim cum loquaris de dignitate personæ, opibus ac potentia illam ad postremum diffinis. Dixisti prius regi Africano è dignitate non uideri in bellum prodire, in quo non sit rex alter cum eo certaturus: postea subdis multos principes, quoniam potentia superent, regibus multis maiores esse. Non uides in quem errorem incidas.* LAV. *In quem incido errorem, ne quidem tu aperire scis, tam aperto ore ranunculus. An quòd dissidentia loquor? an ranunculinum ingenium non sentis, hanc me illius sententiam fecisse non meam? cum dixi: Addidit etiam facto superbiã barbarus. Noluit ipse huic expeditioni præesse, quòd diceret ab re esse, regem, nisi aduersus regem, exire in bellum: quasi uero &c. Hanc ego barbari opinionem improbo, non mihi contradico. An tibi dolet, quòd facio alios principes regibus pares? Video quid captes, blandiri uis regi nostro inuidia mei. O caput cucurbita farctum, de barbaro rege loquor, non de Christiano. Et enim quid apud illos inter regem & principes differt? An non in ipsa Hispania sexcentesimo aut circiter iam anno propè tot erant reges, quot urbes? ut apud gentes illas, quas Iosue domuit? ut apud Græcos bello Troiano. Quippe quinquaginta reges ad Troiam è Græcia nauigarunt: ut multis adhuc in nationibus durat: quorum nulla alia dignitas est, nisi quòd iustum imperium in populos optinent, & aliquandiu iniustum, nulla inter regnum tyrannidemq; differentia. Nam in Syria & Aegypto ferè aliquis è regijs seruis regnum inuadit, Soldanq; efficitur, quod lingua illorum regem significat: quasi ille peculiariter rex sit. Atque ita, ut quisq;*

Reges multi in Hispania, nec principibus maiores.

Soldanus.

Digitized by Google

quisq; potentißimus est ditione, ita ferè plurimum optinet dignitatis. At quam rationem reddis? Potestate & uiribus esse aliquos principes, qui fortasse uincant hunc aut illum, tibi concedetur si uoles. Sed quod ij principes à quibus uincuntur opibus uel obsidentur, dignitate superent, nunquam tibi planè concedam. Quis istud dicit amentißime, qui regem obsidet eũ ipso rege superiorem esse dignitate? Ego tantum dixi non inferiorem: puta autoritate, fama, fauore hominum, & sua etiam per se accepta dignitate. Sed fac me id dixisse. Non ne appositi Romanos imperatores? An si quis Hispaniæ regulorum non existimare se diceret fore è sua dignitate, ut ipse prodiret in bellum aduersus Scipionem Pompeium ue, aut Cæsarem, quem tot reges comitarentur: non superbe tibi facere uideretur? aut maiorem in illo dignitatem, quàm in Romano imperatore ineſſe censeres? cum præsertim ab hoc obsideretur: ab hoc inquam, in quo maiestas populi Romani agnoscitur. Et cum dico Romanos imperatores, de Cæsaribus loquor, quos iam peculiari nomine receptum est appellari Imperatores, ut apparet: cum ex illis locis plurimis, tum ex iure ciuili. Num igitur quinquaginta, aut plures, si plures fuerunt, Hispaniæ regulos comparandos reris dignitate cum uno quolibet Cæsarum, qui reges non extiterunt? Quare ista sententiola tua, tanquam falsa, & perridicula, tota reijcienda est. Virius igitur magis oratio ridicula: mea ne, quæ qualis sit iam probaui: an tua, qui ais concessurum te mihi aliquos principes uincere opibus, uiribus, potestate, aliquem regem, quasi hoc dubiũ sit ac probandum, nisi ab aduersario cõcedatur: Adijcisq; si uoles, quasi non concessurus, nisi me uolente. Præterea ais, nunquã planè cõcedam, quasi sic tenuiter concedas, nõ tamen planè. Et idem nunc uis omnino reijciendum, quod pauloantè parum abfuit, quin concederes. Sed cur reijciendũ sit, reddis rationem. Præcipue eũ ad dedecus Imperatores.

Digitized by Google

regiæ maiestatis attineat, quæ in cæteris amplissima est. Dixi cur ridicula: nunc cur falsa sit dicam. An regi nostro fit iniuria, si regno barbaro dignitatem detraham? si ueritatem fatear? si patrem ipsius, regi quantumlibet illustri comparem ac præponam? Et ne me censeas illi more tuo assentari, libere dico, non esse hunc parem Romano imperatori, penes quem amplissima in terris maiestas est: non penes alium principem, ut tu stulte fatuéq; mentitus es. FAC. Ex qua tertiam partem tu bicinibusq; ac socijs quos reuocauerat, distribuendam adiudicauit. Tubicinum (ut uideo) amator es: quos secundo loco numerandos in prædæ diuisione iudicasti. Res est profecto digna historiæ grauitate. Sic Liuius, Sallustius, & Cæsar, à quibus credo id sumpseris. LAV. Quia decent fatuum insulsumq; ioci ac sales, non explicabo, quàm paria, & his similia Herodotus, Thucydides, Xenophon, Plutarchus, Iosephus, alijq; Græci historiæ intermisceant: aut necessitatis (ut ego feci) aut iucunditatis gratia. Itemq; historici Latini: sed uno tantum ex Liuio ipse sum contentus exemplo, cuius etiam Cicero Valeriusq; cum alijs plerisq; meminerunt: de tibicinibus, quoniam tu tubicines meos derides, à quibus tanta res in bello confecta est. Ait igitur Liuius, Tibicines, quia prohibiti à proximis cenſoribus erant in æde Ioui uesci, quod traditũ antiquitus erat, ægre passi, Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo esset in urbe qui sacrificijs præcineret. Eius rei religio tenuit senatũ, legatos Tibur miserunt, ut darent operam, ut ijdem homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primùm accitos eos in curiam, hortati sunt ut reuerterentur. Romani postquam propelli nequibant, consilio haud abhorrente ab ingenijs hominum aggrediuntur die festo, alij alios per speciem reparandarum cantu epularum causa inuitant, & uno, cuius fermè auidum genus est, oneratos sopiunt, atq; ita in plaustra uinctos

Tibicinum æstimatio.

uinctos conijciunt, ac Romã deportant: nec prius ſenſere, quàm plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ lux oppreſſit. Tum populi Romani concurſus factus, impetratoq; ut manerent, dã tum ut triduum quotannis cum ornatu & cantu, atque hac, quæ nunc ſolennis eſt, licentia, per urbem uagarentur. Reſtitutumq; inde ueſcendi ius ijs qui præcinerent. Amator erat tibicinum Liuius, & (quod mirabilius eſt) uinoſorum: qui talia & talibus quidem uerbis enarrat: Quo tu me inſectarere conuicio narrantem hanc tibicinum fabulam, quòd eos omnes Tiburtini ſopiuerint? quòd in plauſtra non impoſuerint, ſed coniecerint, de monte in plana? Deinde plus quindecim milibus paſſuum portauerint? non niſi luce diei poſtera experrectos? quem ita carpendum putaſti, quòd tubicines nominaui improbiſſime accuſator, Simile eſt quod ſequitur. FAC. Vt renouemus in nobis, quæ de Orlando à * Rainaldo in hac regione geſta memorantur: qualia fuiſſe Hectoris, Aeneæ, Achillis, aliorumq; principum frequenter audiui. Hic planè apertiſſime indicas mirabilem prudentiam tuã, qui uulgaria inducẽs exempla, * Orlandum neſcio quem, & Rainaldũ, de quibus uel apud Gallos, unde orti ſunt, uix ulla extat memoria literarũ monumẽtis prodita, Hectori, Aeneæ, atq; Achilli, quos ſummi poëtæ hiſtoricíq; ſummis in cœlo laudibus extulerunt, cõparas. LAV. O peruerſiſſimæ mentis cauillatorem. Primũ ais non extare memoriam literarũ. Quid ad me qui extare non dico? Deinde quia neſcis an extet, affirmas uix ullam eſſe memoriam: quid ſibi uult iſtud uix? niſi quod ais pariter & negas? Mira ubiq; inconſtantia. In quo ne erres, non modo apud Gallos, ſed apud nos quoq; monumenta ſunt, latine ſcripta, de geſtis illorum à nonnullis hiſtoricis. Deinde quòd poëtas hiſtoricosq; coniungis, tanquam aut multa de heroibus hiſtorici, aut cadẽ utriq; commemorent, cũ inter ſe uehementiſſime diſſentiant, ne plura

*Reginaldo.

Galli Rolandũ uocant.

Poetarum & hiſto. diſſenſio.

Digitized by Google

referam, Vergilius ab Aenea quem deo cuidam similem facit,
Mezentius uictus an uictor. Mezentium Etruscorum regem canit occisum. Liuius: Mezentium eo prælio victorem, Aeneam extinctum narrat. Postremo mentiris, hos cum illis à me comparari: tametsi uel ob hoc comparari possent, quòd de utrisq; fabulosa multa, & incredibilia referuntur. Neq; in persona mea talia dixi, sed in hominis militaris. Cuius persona ex hoc quoq; commendat exempli gratiam, quòd cum prius fuisset Agarenæ superstitionis, nũc esset
Agareni. Christianus, & apud illos & apud nostros audiuisse uerisimile est, quæ Christiani cum Agarenis bella gessissent. Commendant personæ audientium, qui huic similes ac pares erant: commendat ipse locus, ubi principes illi pro nostra religione fortissime dimicasse memorantur: Commendat insuper conditio diserminis, euentusq; antiquitati similis, & alia multa, ut à me rite sit seruitum personæ, in attribuẽda illi tali oratione, si modo ego attribui, & non reuera illius fuit: quorum tu utrunq; peruersissime negas: huius tu sequenti loco totam orationẽ ad literã subijcis, quæ quo magis dijudicari queat, aliquãto altius repetam uerba historiæ. Altera pugna non ab oppidanis, sed à castrensibus uiris incœpta est. Erat in castris eques quidam nomine Ioannes Mars, Secretensis, Agarenæ quondam superstitionis, impiger iuuenis, uiribus animo respondentibus. Hic hortatus sodales suos, ut in agrum Malachanum incurrẽtes, agerent prædas: ad centum homines, quos paupertas faciebat audaces, coẽgit: profecti, cum iam octo milibus passuum ab urbe abessent, sub luce trecentos, ut colligi poterat, equites ex aduerso in se ferentes conspiciunt: moxq; conspiciuntur inuicem, parua iam utrosq; diuimente intercapedine. Cæterosq;, cum se deprehensos arbitrarentur, fugere uolentes, Ioannes oratione retinuit: & ut hostem quoque inuaderent induxit. Socij, ut ipse uestri aduentus, & ut fors tulit, uestri periculi autor

autor sum, sic meum est uestri reditus, ac uestræ salutis curam habere, non solum meæ. Si locus hic, ubi sumus, satis apertus ad fugam esset, si satis esset distantiæ ab hostibus ninarum non tam ferox temerariusq; sum, ut pugnam moramue suaderem. Nunc cum & locum cæpimus angustum quo uenerimus occultius, & hostis non absit longius quadringentis passibus, ut opinor, recentioribus, quam nos equis, quam spem salutis tantam ponimus in una celeritate equorum. At frsis plus quinq; & uiginti milibus passuum remetiendum, quos isti incomposítos ac dissipatos insequuti, ut quemq; primum assequentur trucidabunt: & ut certum habeo usq; ad unum. Non enim firmiores nostri equi, aut ut dixi recentiores sunt ad perferendum cursum, modo tres quatuorue illorum qui plures nobis sunt, si pernicibus equis insideant, instabunt fugientibus, tergaq; cædent, & aut morari compellent, aut ritu ouium caprarumq; mactabunt singuli plurimos: ut renouemus in nobis ea quæ in Orlando & Rinaldo in hac regione memorantur, qualia fuisse Hectoris, Aeneæ, Achillis aliorumq; priscorum frequenter audiui. Ex quo non mortem defugerimus, sed ad honestam mortem refugerimus. Est autem honesta mors in pugna, non in fuga. Ad quam mortem fortiter hortari uos ausim, si nihil aliud sit reliqui. Nunc etiam spes salutis ostenditur, ac uictoriæ, si fortunam belli tentemus. Sæpe enim pauciores uel consilio, uel uirtute, uel (quod maximum est) necessitate & desperatione uicerunt. Magna res est proponere animo aut uincendum, aut mortem, dedecus atq; omnia extrema patienda. Sæpe infirmiores feræ quæ in aperto singulas robustiorum fugissent, cum se inclusas uiderunt, contracta rabie, aduersus plures insurgunt, & nonnunquam eiulare & fugere compellunt. Ego uidi uulpem unam uulneratis pleriſq; canibus euasisse. Nos ergo tot uulpes, cum rem nostram in angusto uidea-

Digitized by Google

mus positum, paulo plures canes extimescemus inuadere? Quid quod nostrum adiuuat fortuna cõsilium? si inuadimus, speciem præbebimus nos partem insidiarũ esse non totam manum, neq; enim compertum habent nostrum numerum. Videtis ut lente cunctanterq; ueniunt, unum uel duobus longius præmiserunt explorandi causa, & ipsos hæsitantes, ac circunspicientes. Audendum igitur antequam certum explorent, & tanquam fidutia sociorum qui lateant feroces simus, ferociter irruamus: uictoria imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa, nobis audenda, unde aut uictores cum præda & gloria redibimus, aut certe honestissimam mortem oppetemus, quam nefas est appellare mortem, fruituros apud uitæ parentẽ uitã æternã? Spero quoq; in CHRISTO IESV, qui me de pristina mortalitate ad spem æternitatis reuocauit, cum hanc meam spem non frustraturũ. Atq; eius inuocato nomine, feror in suos hostes. Hæc dicens, adacto equo, in duos antecursores, & qui iam proximi erant infesta hasta dirigit cursum. Illi propere terga dant, cæteri Christiani insequuntur. At barbari, qui ad responsum exploratorum suspensi erant, uisa eorum subita fuga, hostiumq; incursu turbantur, & inter pugnæ fugæq; consilium cõmiscentur: & alijs terga dantibus, alij perterrẽtur. Libuit exequi longius historiæ uerba, ut sciretur, imò ut uoluptati foret legentibus felix euentus istius orationis. FAC. Oratio ista perpetua arator sapientissime, hoc loco uitiosa est, præsertim cum ij de quibus loqueris, neq; in castris, neq; pro castris essent: neq; munitionibus ullis, neq; loci situ defenderẽtur, abessentq; à suis, ut scribis, uiginti milibus passuum, ab hostibus uero nõ plus quadringentos passus. Aduersus se citatis equis sic aduentantibus, ut orandi spatium ac facultas non daretur. LAV. Quid? alibi quàm in istiusmodi locis non habetur oratio? etsi in istis non semper orationi locus est hostibus ingruentibus: quotiens deprehensus

hensus circunuentusq; in medio itinere dux, conjectis unum in locum sarcinis, milites suos est adhortatus? quomodo aliter in mari fieri potest, ubi neq; castra, neq; munitiones, neq; situs tuentur? Cæterum unde colligis illos citatis aduentare equis? quod ego non aio, sed lente atq; cunctanter. Ideoq; satis spatij fuit, si minus per ocium, ut tu cauillaris, at festinato ad exhortandos socios, cum etiam Graccho repente in eum ex occulto hostibus irruentibus, non defuerit tempus comites cohortandi, ut Liuius refert. FAC. *Præterea hostes trecẽti erãt, ipsi uero non plures centum: & recentiores equos habebant, ut scribis. Malacha enim, unde exierunt, uicina erat, ut retardari impetus hostium, præsertim conspecta paucitate non debuerunt: prius enim opprimi, & in uincula conjici potuerunt omnes à Malachanis, quàm orandi finis esset. Vno enim & continenti equorum cursu quadringenti passus ab hoste cõfici poterãt.* LAV. *quibus Malachanis conjci in uincula poterant? ab equitibus trecentis. Quid ergo ad rem urbem fuisse uicinam, ab ijs qui in oppido erant? Quid ad rem equites habuisse recentiores equos? si non istis, sed oppidanis illis præda futuri erant. Præterea unde aut uincula equitibus, aut si uincula pro carcere accipis, ubi tam propinquus carcer? Aut ijs qui intra urbem manebant non equi, sed pegasi erant, quibus conscensis tam repente ab urbe, quæ octo milibus passuum aberat, accurrerent, atq; aduolarent: præsertim uincula adferentes, quæ citius dicto para uissent. Adhuc immemor es proximis diebus fuisse eos prælio uictos, ac plus quàm triginta milia suorũ amisisse, & à nostris fuisse, uel interempta, uel capta: qua clade ita abiecerãt animos, ut ne Granatenses quidẽ (quæ regia gentis illius ciuitas est) ausi sint prodire è muris aduersus prædatoriam manum, quòd castrensem arbitrarentur. Et tu Malachanos protinus insaturos fuisse uis hostem uictorem, non admonitus saltem ad*

secus

Digitized by Google

secus sentiendũ illis uerbis. Victoria Imperatoris nostri omnia facit eis formidolosa, nobis audenda. FAC. *Nec illud obstat huic rationi, quòd ais hostes insidias fortasse uerituros, & ab incursu temperaturos, quoniam & ipsi centum de quibus agitur, de maiori hostium numero timere non minus poterant, quòd illi propinquiores oppido, quàm ij castris erant.* LAV. *O' plumbeum pugionem, rationemq; hebetem atq; inscitam. Num quia mihi causa est cur te metuã, tibi cõtinuo nulla erit, ut uicißim ipse me timeas? metuebant nostri, ne sibi insidias tetendisset hostis, ne huic oppidani suppetias ferrent. Esto, qui non & ille ab istis similia timere poterat? illis eo magis, quòd uictores, quòd in agro alieno graßantes, quòd in loco insidijs idoneo erant. Quid, quòd nec metuere debebant nostri, aut insidias trecentorum, qui per loca aperta, qui specie iter facientium ueniebant, qui de aduentu istorum tam repentino nihil suspicari poterant, aut oppidanorum eruptionem tam longe positorum, à quibus cerni nequibãt ipso meridie, nedum luce adhuc dubia. Quid, quòd non modo hosti maior numerus nostrorum timendus fuit, nostris minime, uerum etiam nostris pugnandi neceßitas, nisi perire mallent, hosti nulla, sed in fuga spes facillimi receptus.* FAC. *Oratio (ut scias hoc) debet esse loco & tempori accommodata, & ex ea iudicatur prudentia. Non enim omni tempori ac loco conuenit perpetua, & ex omnibus partibus perfecta oratio. Satis enim fuerat, cum utriq; in conspectu essent, neq; plus quadringentos passuum distarẽt, oratione cæsa uti, & paucis uerbis ostendere pugnandi necessitatem: nisi turpiter cedere, quàm honeste mori mallent. Salutẽ (si qua erat) non in fuga, sed in una uirtute ponendam esse: forti atq; intrepido animo congrediendum, antequam eorum paucitas perspecta hostibus contemptum sui faceret: fortibus uiris sæpenumero fortunam affuisse.* LAV. *Nõ secus te loqui de pru*

Verituros inept.

de prudentia decet, qui tam probe accõmodasti personis orationes in dialogo tuo: quàm de re militari loqui decuit Homericum illum Thesiten. Quid imprudentius ista tua emendatione, atq; ineptius? siue quòd cũ necessitatem pugnandi uis ostendere, de honestate argumentaris: siue quòd pauculis ac frigidis uerbis putas, uel ducem debuisse uti ad suam sociorumq; salutem, uictoriam, prædam, uel illos inducere potuisse ad tam rarum facinus. Insuper ais non perpetua, sed cæsa debuisse me uti oratione. O uirum doctum? quid enim cæsa oratio? Non ne ut dialectico, qui minutis interrogatiunculis, aut quæ uicem optinent interrogationum, quod proposuisset, efficit concisa: sic rhetorico perpetua donatur oratio, hoc est continens, & non concisa? Obliqua fortassis oratione dicere uolebas. Sed obliqua in scribente, non in uere concionante desideratur: qua Liuius, Sallustius, Cornelius parcissime sunt usi. FAC. Itaq; tota illa argumentatio, qua demonstras quid crudelitatis hostes in illos fugientes edituri sint: Et exempla illa fabulosa de Orlando & Rainaldo inepte atq; aniliter introducta: & illa de mortis genere accurata disputatio, & comparationes de uulpe & cane, uacui capitis, non hominis sani, omnia uitiosa, & præter artẽ, & historiæ dignitatem: quoniam ut dixi, nec locus, nec tempus ferebat hanc uerborum inanem magnitudinem, cum hostes ad unum qui cursum proximi citatis equis in se ferrentur, & ipsi nullo munimento loci tuti essent. LAV. An hæc oratio sit accommodata personæ, an secus, aliorum sit iudicij: cum sciant apud Xenophontem induci Persarum regem, dum Cyrum alloquitur, simili exemplo utentem: Scropham cum procellis suis fugientem, ubi se acrius premi sentit, cõuertit, & addito animo in insequentes irruit. De loco quoq; & tempore satis, ut spero, probaui, nequid tua ratio ualeat, quam unam ad probandum omnia quæ proposueras reddidisti. Cæteras autem tuas absurditates

Oratio cæsa.

Oratio obliqua.

ditates transeo, disponẽdi, & sæpius in eadem recidendi: & in concione positorum uerborum: quale est male edere crudelitatem in fugiẽtes: & introducta argumẽtatio, introductaq; exẽpla, et accurata disputatio de genere mortis, cũ nõ disputetur: & cõparatiões, de uulpe et cane, cũ sit una cõparatio: & uacui capitis, nõ sani hominis, cũ redũdet hominis: & ad unum equi cursum citatis equis, quia equũ & equos implicas: & in se ferrentur, pro, in eos ferrentur: sicut superius aduersus se aduentantibus, pro, ex aduerso uenientibus: & neq; in castris, neq; pro castris essent, quasi extra castra sint, qui pro castris sunt: & uerituros, pro ueritos. Proxime feci sti me imprudentem, & ego te talem ostendi: nũc feci sti uacui capitis, & non sani: uelim probasse id existimaueris, cum nihil minus feceris, nisi te talem cum hic aliquãtum probaui, tum mox multo magis probabo. Ais enim. FAC. Præterea notatione digna est illa cõtradictio, quam facis in initio orationis. Verba enim tua hæc sunt: Profecti, cum iam octo milibus passuum ab urbe abessent, sub lucem trecentos, ut colligi poterat, equites ex aduerso se ferentes cõspiciunt: moxq; conspiciuntur inuicem, parua iamiam utroq; dirimente eos intercapedine. Ac paulo post ais. At fessis plus quinq; & uiginti milibus passuum remetiendũ est. Quid enim octo milibus passuum à castris progressis, quinq; & uiginti milia passuum remetienda erant? LAV. Tacco non esse uerba hæc in initio orationis, sed ante orationem. Non ne ipsis testaris scribere me (ut uerum est) cum illi iam abessent à suis, hoc est à castris, uiginti milibus passuum? Quid ergo nunc ais eosdem octo modo milibus passuũ progressos esse à castris? Quod ego nec dico, nec sentio, sed ab urbe abesse octo milibus passuum. Quonam modo te cæpit obliuio eorum, quæ paulo ante dixisti? Ne possis negare non me, sed te contraria dicere, planeq; uacui esse capitis, ac debere Plautinos uersus in Bacchidibus

Pro castris esse.

bus, quasi testes ingenij tui, captare. Quicunq; ubiq; sunt, qui fuerunt, quiq; futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blemni, buccones, solus ego omnes longe eo ante stultitia. FAC. Quærebant nonnulli uel ioco, uel serio quosnam socios cum equis amisissent? Respõdit quidam, imò interrogate ipsos equos, & ornamenta, ac uestes, quosnam socios amiserunt, Ioannes &c. facetius (ut sumus in uictoria faceti ac dicaces) nos uero in nemore sumus uenati, & quot animalia manus nostras effugerunt, non perdidimus: perdidimus quot non effugerunt. Tu hoc appellas facete dictum? ego uero & insacetum & prorsus insulsum. Est enim pueriliter, & ieiune, atq; inepte prolatũ, ac præterea præter historiæ dignitatem, in qua eiusce-modi friuolarum quarumcunq; rerum, & maxime probleuma te renunciata, quod ne Œdipus quidem interpretari sciat, superuacua est, cuius generis oratio à rerum scriptore diligenter uitanda est. LAV. Non facetum tibi uidetur sed insulsum: quid si Thersitis oratio uideatur tibi faceta, an tum erit facета, an potius insulsa ut tu? nam quod tibi Scythæ displicet, id Græcis placet. Et enim hæc fuit quæstio Homero proposita (ut notum studiosis est) quam cum soluere nequisset, dolore creditur absumptus, eoq; à Græcis, quos quidam Latinorum imitati sunt, memoriæ mandata illis uersibus: Quæstio Homero proposita.

Ἐνθάδε τὸν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον ὁμηρον.

Conditur hoc tumulo uates diuinus Homerus,
Heroum cecinit qui bene gesta ducum.

Et reliqua. Non attinet plura huius generis afferre ex historijs exempla, præcipue apud Xenophontem, quem musam atticam uocauerunt. Quid seuerius, quid fere breuius historijs Cæsaris, quas propter compendiarium genus dicendi, commẽtarios uocat? In his ille (ut simili utar exemplo) ita ait: Omnibus Xenophon.

equis

equis Gallis equitibus detr ctis, in eos legionarios equites, milites, legionis decimæ, cui quàm maxime confidebat, imposuit, ut præsidium quàm amicissimum, si quid facto opus esset, haberet: quod cum fieret, nõ irridicule quidam ex militibus decimæ legionis dixit: plusquã pollicitus esset, Cæsarem facere: pollicitum in cohortis prætoriæ loco decimam cohortẽ habiturum, & nunc ad equum referiberet. Vides inuide, Cæsarem magis affectasse iocos, quàm me? Enimuero ut te tua laude non fraudem, ne tu quidem irridicule loquutus es, uel magis quàm uel meus, aut Cæsarianus miles. Nam quis grammaticis imbutus, non irrideat istam tuam orationem, ut incongruam? quòd renunciata quidem caret substantiuo: probleumate autẽ pro propositione nihil obscura, quòd diuinare non interpretari illam oportet, ut Oedippus ille hic uel acturus sit ut barbaram: quòd præter illa quæ superiori libro reprehendi uitia uerborum, probleuma scribis & pro ænigma accipis. Siquidem ut Græca

Aenigma. *discas. Aenigma est allegoria obscurior. Problema autem propositio in interrogatione posita, ut Aristoteles ait in Topicis, & alibi, licet inter πρόβλημα & per interrogationem propositionem quam uocant, differentiam statuit: quæ interrogatio hic non est: ergo ænigma (ut Plinius in quadam epistola ad amicum scribit) his uerbis. Eadem epistola & scribere te & non scribere significat. Aenigmata loquor: ita planè ut denique imprudenter, quòd diligenter ænigmata uis esse uitanda: quasi uero diligentia sit opus ad hæc uitanda, quæ uix cum diligentia queunt inueniri. Cætera non sunt digna quibus respondeatur.* FAC. *Quòd si hoc conceditur, illud multum magis concessum iri necesse est, eos quos utlgo caballerios, Græci ἱππότας uocant, eos uocare equerios. Hoc tibi nunquam concedet Parmeno, ut in narratione rerum gestarum disputationem inducas longiorem de uerborum significatione. Est enim uitiosa*

Digitized by Google

uitiosa digressio breuitati contraria. LAV. Nunquam ne respicies infelix, quod de arte repetis, id ad orationem, non ad historiam pertinere? Nam ut in illa quoad fieri poterit, uitanda digressio: ita huic more poëtarum est maxime amica. Neq; hæc disputatio est, neq; longa, sed perbreuis narratio: neq; tam de nouo uerbo, quàm de noua re, sicut Thucydides de uocabulo Græciæ, id est, ἑλλάδ & fecit. FAC. Videris enim non historiam uelle scribere, sed grammaticorum præcepta tradere. Itaq; totam istam de militis & equitis uocabulo disputationem, ut superfluam, atq; ineptam, uitiosissimam puto. LAV. An uno'ne uersiculo prælongus sum, & grammaticæ præcepta trado? tametsi de re magis, quàm de nomine ago: si recte uis, & non interprete inuidia, iudicare, & hoc tam breuiter quàm erudite. FAC. Nec minus hoc loco elegantiam tuam damnandam atq; irridendam censeo, cum uelis noua & absurdissima formare nomina, pro quibus proprijs & usitatis atq; honestis uti licet. Equerios enim appellari uis, quos eruditi homines equites, & equestris ordinis uocant: quod nomen usus pridem admisit & comprobat. Hic enim ordo medius inter patres ac plebem Romæ fuit, in quo & Cicero extitit. LAV. Sedulo me cohibeo, ne toties te feriam, quoties licet: & multa in uerbis sententijsq; tuis prætermitto absurda: quale est pridem magis uerbum Prisciani exponentis quàm Ciceronis utentis, nisi præcedente alio aduerbio, ut in elegantijs: & admisit, deinde comprobat: cum prius comprobemus quid, quàm admittamus. In quo extitit Et in quo ordine extitit, pro ex quo ordine extitit: præterea ineptè. quòd eadem repetuntur & inculcantur. Hoc enim dico, quid absurdius stultiusq; quàm id genus hominum, quo de nunc agimus, uelle ipsius esse ordinis cuius ueteres, ut Cicero, fuerunt. Quid enim ad hanc nouitatem facit antiquitas? Verum adhuc, quod nescis, ille extat ordo: ex quo illi, qui & olim fuerunt, &

Digitized by Google

nunc sunt. Nunquid ista ratione uocati sunt uocanturq; equites? Nam quid simile inter hos & tuos? Tolerabilius si dixisses equites, ad exemplar eorum, qui equo merebant, atque hodie merent: siquidē ut uocabantur equites, ita & uocantur: unde equitatus, sicut peditatus eorum qui pedibus militant. Nec addidisses equestrem ordinem. Et enim equestris ordo nō nisi Romæ fuit, estq;, qui & ipsi uocantur equites, quòd uidelicet equo debent militare. Itaq; cum istos appellas equestris ordinis, id agis, ut unusquisq; eques Romanus ista sit præditus dignitate: & quisquis ista præditus est, inter Romanos numeretur equites, quorum siue utrunq; siue alterutrum affirmaueris, quominus te luto incessamus ut fatuum, recusare non potes. Alioqui quis non fateatur suum Romanis nomen quod est equester ordo, suumq; militibus, qui equo militant, quod est eques, etiam doni peculiare Romanorum esse relinquendum, ne maiestatem horum nominum quasi consecratorum prophanemus, & nouæ rei nouum accommodandum? Ex his constat quàm eruditos existimem, quicunq; illi sint, quos appellasti eruditos. Neq; enim charior erit aliorum mihi dignitas, quàm mea. Ego neminem nomino, ut nemo mihi apud sese posit irasci, nedum apud alios, apud quos de suo, si uolet, errore necesse habebit confiteri, si audebit de me queri. FAC. Atq; ita ad imperatorem capti perducūtur: quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, ut uix unquam sit uisus risisse hilarius. Non intelligis imprudens te grauissimum uirum, & regem summū, notari leuitate? Nihil profectò minus uerisimile. Quid enim dignū cachinno affertur? LAV. An ego imprudens sim, postea uidero: interim te talem esse tua est testis oratio. Velle enim alterum ostendere imprudentem, & causas, cur ita sit, non dico non posse, sed negligere afferre, non alienā, sed suam imprudentiam indicat. Esto sanè, ut haud decenter inducam

Equites.

Equester ordo.

Ferdinan

Ferdinandum etiam, ut tu affirmas (quod nescis) grauissimum uirum, etiam, quod mentiris, regem cum longe abesset ab regni spe in risus solutum, atq; (ut tu fingis) in cachinnũ. Quid respondebis legentibus? finge enim te ab illis interrogari, ut certe tacito interrogant, quid est cur Laurentius fecerit imprudenter? an non rident & principes usq; ad cachinnum, cum cachinnandi affertur occasio? At non fuit, inquies, materia tantopere ridendi. Tu potius imprudenter, qui cur huiusmodi materia non fuerit, reticuisti: quis enim hoc iudicare queat de causa non cognita? FAC. An quòd uiderit rex miseros captiuos suæ gentis cultu corporis præditos? O singularem hominis prudentiam? O singulare iudicium? ubi est acumen tuum? ubi illa ingenij uis? An tibi iusta uidetur causa, cur regem cachinnantem inducas, miserorum captiuorum in sua ueste conspectu? An illud fortasse te mouit, qđ postea subijcis, puduisse captiuos, quòd in tali habitu cernerentur? At te magis pudere debuit Laurenti isto modo scribere. Quid enim erat cur captiui pudore affici deberent, si suis armis, suoq; habitu ornati erant? Magis profecto illis erubescendum fuerat, si Romano cultu, & Romanis armis conspecti essent: qua uero eloquẽtia & gratia ista explices, omitto. LAV. Quis non modo iudicet an uere reprehendas, sed intelligat omnino quid censeas? quæ imprudẽtia maior sit, an stultitia, dubito. Percontaris enim me, cur illa riserit: quare ego non dixerim causam percontaris: rursus an iusta causa sit, quasi causam dixerim, percontaris: an ideo riserit, quod uiderit captiuos suæ gentis more uestitos: quasi hæc posśit esse causa, & hic nunquam illam spectasset gẽtem: ridiculusq; sit ille habitus, & illa armatura. Percontaris iterũ, an ideo riserit, q, captiuos puderet sui habitus, quasi causa esse posśit, aut illis pudendi ob patriũ habitũ, aut huic ob alienũ pudorẽ. Percõtaris deniq;, an aliud quiddam me mouerit,

Digitized by Google

quasi hoc percontari oporteat? O te nescio quo nomine appellem, ita es bestia non loquēs, sed coaxans. Et poteram quidem hac imprudentiæ, & stultitiæ tuæ confutatione contentus esse, sed malo legentes totius rei iudices facere, subijciendo ad literam uerba historiæ. Iussiq; non descendere ab equis, sed longa se iunctos serie colligari func, quem uictores deiecerant: ita uincti ex aluco processerunt, scutis ex corio factis, qualibus Mauri semper atq; Afri sunt usi, ad sinistram partem ephippiorum appensis: lancea super dextrum femur iacente, atq; ita cum inauratis calcaribus, alijsq; equeriorum insignibus, cum magna deducentium exultatione, quòd hoc sua arte potuissent, ad imperatorem deducuntur: quo ille spectaculo ita magnos risus excitasse fertur, ut uix unquam sit uisus risisse hilarius: dixisseq; circumfusis inuestigationibus, ac præ uictoria gloriabūdis, quoniam puderet captiuos illo cultu conspici, exuerent & sibi haberent sagum, per lusum, illorum spolia se dono dare ijs qui cepissent. Vides quæ per te exponēda fuerant? uides quàm multa dempseris? uides quis cultus siue habitus fuerit illorum? quid eos puduerit? quid Ferdinandus riserit? At leuem facio Ferdinandum, qui ob hoc riserit: si ita sanè excesserit (quod est longe secus) modum ille risus, meum tamen fuit non laudes tantum eius exequi, uerum etiam, si qua minus laudanda egisset, more eorū qui Philippi, qui Alexandri, qui Cæsaris, aliorumq; principum gesta scripserunt. Tibi fortasse conueniat mentiri, qui soles, nec ais esse uerisimile, quod tam graues uiri qui affuerunt, uerum fuisse testantur. At satius erat illum non accusare leuitatis. Censoria castigatio: quid? Crassum ne quem semel in uita risisse Lucilius scribit, uis esse debuisse iuuenem ducem inter milites uictoria ac ludicro exultantes? quasi nō uiderimus quotidie regem filio similiter agentem, qui multo maior est natu. Quòd si, ut uerum notumq; est, ille magnos hilaresq;

Historico scribēda etiam uitia eorum quorum gesta scribit.

Crassus.

risus

risus excitauit: cum tu damnare ausus es, ut leuissimum? quod tantum abest, ut ego faciam, ut etiam defendam (parum dico) ut laudari posse affirmem. Nam ita censeo risum hunc dignum hilari duce, dignum forti, dignum Christiano fuisse, cum uideret trecentos, non modo suos, sed etiam religionis hostes, qui ad perniciem nostrorum iureiurando adacti uenerant, tanto astu interceptos, tum inusitato incredibilique genere deiectos, & in tantam omnem exercitum alacritatem, plausum, exultationem effusum. Tu melius, qui doles uicem hostium religionis, qui toties illos miseros uocas: qui nostros uictores cum suo duce reprehendis, quòd miserorum non miserentur: quasi in triumpho, ubi uictores ante se agunt captiuos, ciuitas uictorum succenseat exultationi ob misericordiam erga captiuos. Vere Scytha & uere Maure, qui victoribus iraseeris Christia- Miseri qui.
nis, & uictos miseraris Mahumetanos, ut miseros. Cur tandem miseros? utra maior eorum pœna, an culpa? Certe culpa, nam pœna prope nulla est. Quid igitur, ut cæteros taceam, mihi casum illorum non ita miseranti facis inuidiam? Sed ne sine exemplo transeamus hanc de risu quæstionem, audi Liuiũ. Petissent, ne Pœno bellum Italiæ inferenti per agros urbesque suas transitum darent: tantus cum fremitu risus dicitur ortus, ut uix à magistratibus maioribusque natu iuuentus sedaretur, adeo stolida, imprudensque postulatio uisa est. Vter risu ueriſimilior? uter dissolutior? ridentis argutiam illam militum in castris, an uerba legatorum transitum ne darent Pœnis postulantium in senatu? Et alibi. Barbarus eum quidam ob iram interfecti ab eo domini interfecit: deprehensusque à circunstantibus haud alio quàm si euasisset ultu, tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitia dolores, ridentis etiã speciem præbuerit. In tormentis suis credibile est risisse aliquem, in alienis incredibile erit? Ne aliud dicam, illud uero an gram-

Digitized by Google

matice dicatur in sua ueste conspectus Priscianum consulito.

Pegna amatorum. Amator. Amans.

FAC. Pegna amatorum, hoc est, petra amantium. Non illi profecto tam amantes erant, quàm tu amens, qui uerbo uteris incognito. LAV. Amens ne sum, qui Hispanum locum de quo narratio est, ad uerum interpretor? Siquidem à me scriptum est. Insidebat speculator in edita petra, inter utranque urbem pari interuallo, nomine pegna amatorum, hoc est, petra amantium. Ideo autem amatorum in amantium transtuli, quòd literate amator ad uirum tantum pertinet, amans ad fœminam quoq;. Pegna apud Hispanos petra dicitur. Quòd si Sallustio licuit sine interpretatione dicere, Vsq; ad decliuem latitudinẽ, quẽ locum catabathmon uocant, qualia exempla sunt infinita, Cur mihi, quòd Hispanum uocabulũ interpretor, uitio detur? Etenim addis. Et fabulam pro uera accuratissime scribis. Nisi eam subijcias ad uerbum, quis iudex esse poterit? nisi ut me absoluat, imò adeo te condemnet talione. Credas enim iudicum huius litis talia erga te esse uerba: Vnde scis Barptolemæe fabulam à Laurentio, non historiam narrari? quomodo probas? qua coniectura colligis? quibus testibus doces? uel omnino affers? Tu igitur nobis amens uideris non ille. At mox amentiam hanc compescas à crimine Platonico inquiens. FAC. Quam postea à te non credi inquis, hæc enim uerba tua sunt. Huius nominis causam, quia non iniucunda auditu est, satius est perstringere, quàm omittere. Iuuenis quidam & reliqua. Subinde dicis, quod, ne credam, sequentia inducunt. LAV. Nullum deus animal, neq; uolucre, neq; terrestre, neq; aquatile genuit insidiosum alijs, quod non uigeret ingenio, præterquam homine: ita multos uidere licet stolidos, & tamen malitiosos uoluntatemq; summã decipiendi habere, facultatẽ nullam. Id quod non nostro correctore cum ex superiore constat, tum uero ex hoc loco, ubi alterius & longe sequentis negationem sententiæ

tiæ ſuperiori applicat, ut altera alteram collidat: quaſi æſtus & gelu eodem anno nequeant eſſe quia repugnent. Quæ malitia quàm ſtolida ſit, uerba hiſtoriæ, quæ ipſe non eſt auſus ponere, teſtantur. Iuuenis quidam, nomen non traditur nec patria, ſed tantum natio, quòd eſſet Hiſpanus, ſeu bello, ſeu latrocinio captiuus Granatæ, duobus tribuſue annis ſeruitutem ſeruiuit, utente domino ſua opera in rebus urbanis, atq; domeſticis. Filia cuius capta tum forma, tum nitore linguæ, tum liberalibus moribus adoleſcentis, hominem illexit, & ipſum mutuo flagrantem ſpecie puellæ, & elegantia. Iidem cum uiderẽt nec impræſentiarum liberam ſibi eſſe conſuetudinem, nec diu futuram, cum alter ſeruus eſſet, altera nubilis, præterea periculoſam utriq; rem atq; capitalem, conſtituerunt per occaſionem ambo fugere, ſed adoleſcens honeſtius, quòd ipſe ad ſuos, illa à ſuis abibat: niſi religionis ratio conſtitit, quod ne credam ſequentia inducunt. Non rem geſtam nego, ſed cauſam fugæ fuiſſe religionem: quod probat finis narrationis: quæ uerba iſte malitioſorum ſtultiſſimus, & ſtultorum malitioſiſſimus, ne dolus ſuus deprehenderetur, peruertit, tenoremq; rei interrupit alio diuerſæ & procul poſitæ materiæ capitulo. Huius euentus & ſi nonnihil me quoq; miſeratio ſubit, tamen miſeratione indignos ob id fuiſſe apud deum exiſtimo, quòd & puella amores ſuos uidetur non deum ſequuta, & iuuenis audacior fuiſſe cum rapina ad ſe uindicandum in libertatem, quàm prius ſine rapina: quæ cauſa, ut iter ſibi tardius, & perſequutores acriores, & minorem ſpem ueniæ pararet, extitit. Præterea neuter in extremis ſuis rebus bene de dei bonitate ſenſit. Quid aliud agũt hæc uerba, niſi affirmant me ſentire rem quidem ueram fuiſſe, ſed religionis cauſam abfuiſſe? Nunc inſpiciamus quid tu eis opponis.

FAC. Inepta ſanè & inconcinna ſententia, tum rationibus,

Digitized by Google

tum uerbis. In quibusq; enim rebus uel minutissimis philosopharis: non ita Liuius, non ita Cæsar: quorum opera percurrisse te credo, sed certe eorum uirtutes haudquaquam intellexisse. Vbi enim incidit quicquam graue & dignum memoria, sententiam afferre, & quid probes improbes ue explicare non incongruum puto, si modo id raro & moderate facias. LAV. Quid tua stultius oratione, qui dum ex autoribus uerba aucuparis, quæ apud te suum decorem perdunt, nihil quod loquaris attendis? Proponis quòd sententia mea est inepta sane, incõcinnaq;, tum rationibus, tum uerbis: demum rationem subiungis, quòd ubiq; philosophor, quod nõ facitarunt Cæsar & Liuius. Quid ratio hæc ad propositionem? Fac me nimium esse in sententijs frequentandis, quod tu philosophari uocas, quomodo probas perineptam hanc peráq; inconcinnam esse sententiam? Hoc non facis, quod unum est peccatum uel stultitiæ, uel calumniæ tuæ. Alterum, quòd ratio ipsa non patet. Non enim probas me, uel in minimis philosophari, seu passim frequentare sentẽtias. Tertium, quòd sententiam à rationibus, tanquam diuersa sint, sepparas. Quartum quòd nescis quales historici sint, aut certe tuo more dissimulas: qui crebrior in hoc genere quàm Sallustius, & cuius hic æmulus fuit, quem tu non uidisti, sed de quo legisti, Thucydides. An uero legisti Ciceronem ita scribentem: Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile uincit: qui ita creber est rerum frequentia, ut uerborum prope numerum sententiarum numero assequatur: ita prorsus uerbis aptus & pressus, ut nescias utrum res orationis ratione, an uerba sententijs illustrentur. Quid pluraꝰ cum Lucius Florus atq; Iustinus, qui epitomata scripserunt, huiusmodi sententijs redundent: nisi quòd magis te uelle dicere existimo, ideo mea est inepta, ideo inconcinna sententia, quod de re Christiana loquitur, quodam historiæ dehonestamento. Honestius igitur

Thucydidis laus.

Epitomata.

Liuius

Digitized by Google

Liuius (eludant nunc antiqua mirantes.) Non equidem si qua sit sapientum ciuitas quam docti fingunt magis quàm norunt: aut principes grauiores temperantioresq; à cupidine imperij, aut multitudine melius moratam censeant fieri posse. An Liuio licuit cõtra Platonem, Aristonem, Theophrastum, alios q;, qui de republica præceperunt (ut tu appellas) philosophari, mihi contra neminem pro republica Christiana licebit? sed hæc satis. FAC. Illud ad extremum à te quæro, quid ita dixisti in historijs dignum memoria? LAV. Non ne quæcunq; historici memoriæ mandant sunt digna memoria? Quid est sententiam afferre potius quàm sententia uti? Verum hoc in uerborum uitijs notandum erit: tamen & hic quoq; conuenit, ut intelligas non me sed te labi in rationibus siue sententijs & uerbis cum ineptis tum inconcinnis. Nunc respondebo illi particulæ superioris reprehensionis: quæ abs te post hunc locum erat ponenda. FAC. Et multis uerbis explicas, quod te paucis complexurum promiseras. LAV. Quomodo tu istud iudicibus probas? Dimisisti multas iam in urbes huius cõtra me operis exemplaria, citra exemplar historiarum nearum: sine quo qua ratione legentes poterunt tuam accusationem ueram iudicare? Hoc stultitiæ tuæ argumentũ comitatur calumniam, quæ manifesta est ijs quibus ipsas historias ostendo, quibus non longa narratio uidetur: sed tu longe stultissimus, malignissimus, indoctissimus. An non Liuius sic inquit? Operæprecium uidetur excedere paulum ad enarrandum, quàm uaria fortuna huius sit in amittendo, & recuperando paterno regno. Militans pro Carthaginiensibus Masinissa &c. deinde exequitur hanc rem circiter ducentis uersibus, & quadruplo pluribus quàm sint mei. FAC. Ex quo intellectum est, quòd diutina dissuetudine didiceramus non pluribus lignis opus esse ad cremanda cadauera: præsertim, ut tum erant, solibus incocta, & adipibus qui

defluebant, nonnihil alimenti flammæ præbentibus. Fœda profecto & tragica, non historica narratio. Quodcunq; enarras mihi sic incredulus odi. LAV. Vix unquam propositioni ratio respondet propositionis: quod fœdum dictu. Autoritate Horatij pro ratione affers quod incredibile est. Prius ad uersum Horatij: deinde ad propositionem tuam pauciſſimis respondebo, postea aliquid adijciam exemplorum. Horatius non uult in scena palam fingi Medæam filios trucidantem, & Atreum liberos fratris coquentem, quæ cum facis inspectante populo sunt & incredibilia & inuisa. At cremari corpora defunctorum in publico tam uerum quàm usitatum fuit: quod si semel fiat seculo nostro num tetrius erit, quàm olim fuit? num tragicum? & si tragicũ, num tamen protinus ab historia alienum? num fœdum relatu, utiq; in hostibus & Agarenæ superstitionis? Cornelius Tacitus: Fœdum atq; atrox spectaculum: intra quadrageſimum à pugna diem, lacera corpora, truncі artus, putres uirorum equorumq; phornæ, infecta tabo humus. Vergilius de Cycople Homerum sequutus, cuius hi sunt uersus:

In arte.

Κοὺς δὲ δύω μάρψας ὥς τε σκύλακας ποτὶ γαίῃ
Κόπτ', ἐκ δ' ἐγκεφαλὸς χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τοὺς δὲ διαμελεϊσὶ ταμὼν ὠμῶλίσατο δόρπον,
Ἤδθιε δ' ὥς τε λέων &c.

Vidi egomet duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieq; * aspersa natarent
Limina: uidi atro cum membra fluentia tabo
Mãderet, et tepidi tremerẽt sub dẽtibus artus, Mox deinde:
—Saniem cruentus & fruſta cruento
Per somnum commixta mero.

* experſa.

Ouidius quoq; Vergilium æmulatus:

Temporis illius quo uidi bina meorum

Ter qua

Ter quater affigi ſociorum corpora terræ,
Cum ſuper ipſe iacens hirſuti more leonis,
Viſceraq; & carnes cumq; albis oſſa medullis
Semanimesq; artus auidam condebat in aluũ. *Mox deinde:*
Mandentemq; uidens eiectantemq; cruentas
Ore dapes, & fruſta mero glomerata uomentem.

Ideo ſtudioſius ex poëtis protuli exempla, quod Horatius in iſto præcepto, quod tu ad artem hiſtoriæ probandam attuliſti, loquitur de arte poëtica. FAC. Imperator iubet aggerẽ deuolui in foſſam ligonibus, bidentibus, marris. Curioſus es in enumerandis omnibus inſtrumentis: Sed cur non & corbes & cophinos addidiſti, in quibus terra effoſſa transferretur, & in opere deſudantibus potum miniſtrarent? Nõ intelliges in hac parte, quàm ſis breuitati contrarius. LAV. Si dixiſſem, omni genere inſtrumentorũ, fuiſſem (ſi te audire uolumus) breuitati amicus. Nũc quia idem totidẽ uerbis explicaui, ſum prælongus. Cur ergo Liuius inquit, Secures, rutra, falces, alueolos, molas, quantum in quadraginta naues longas opus eſſet. Et poſtea nõ pudet te iocari belle, percõtariq;. Cur nõ & corbes & cophinos addiderim? Nec intelligis cophinos & corbes nõ facere ad aggerẽ in foſſam deuoluendũ: neq; in mentẽ mihi uenit de potũ miniſtrãtibus facere mentionẽ? quia nõ ſum tantopere, ut tu potus, amator uini, quo tu plenus eras cũ hoc ſcribebas. Quibus terra & foſſa trãsferretur, quia ego de terra quæ egereretur effoſſa dixerã, & non de ea quæ ingereretur in foſſam. FAC. Quod ſuperioribus diebus impedimentorũ fuit cõmilitones, id ſatis emendatũ uideris. LAV. Cur plerũq; uerba mea minus fideliter reddis cũ putas reprehẽdi nõ poſſe? Ego ſic ſcripſerã, Id emendatũ ſatis eſt, ut ipſi uidetis. FA. Quod reliquũ eſt, nõ niſi in ueſtra manu poſitũ eſt. Falſa eſt hæc propoſitio: Nã etſi parata omnia, tñ multa fert caſus, multa fortuna in rebus bellicis.

Lau.

Digitized by Google

LAV. O gravitatem Senatorium? ò censorum severitatem? O sapientiam singularem? quis tam stultus est? quis adeo dei ac fortunæ immemor, qui nesciat cuiuslibet rei momentum positū esse in fortunæ manu? Ideoq; in consiliis ferè de illa tacetur, ut quam nemo præstare possit, faciat fortuna quod voluerit, legatus à præcepto non recedat, Quintilianus inquit. Talibus exēplis referta sunt omnia. Vbi non legimus in nostra manu positum est? In nostra manu est quirites? In manibus nostris quantus sit Cæsar habetis? Sic apud Lucanum Cæsar alloquitur milites iam prælium initurus. Annibal apud Liuium ait: Si tales animos in prælio habebitis, quales hic ostendistis, uicimus. Stulte haud dubie Annibal, stultè Liuius, qui non sic posuit, & dixit quantumlibet uirium, quantumlibet audaciæ, quantumlibet
Fortuna. scientiæ rei militaris in prælium afferatis, nil proficitis nisi fortuna, in cuius manu sunt omnia, nisi casus adsit. Hunc in modum censes à duce Ferdinando fuisse milites alloquendos, Fatue atq; furiose? Cum præsertim non ad rem militarē, hoc tantummodo pertineat: sed ad cuiuscunq; rei consultationem. Neque enim plus regni bellicis in rebus fortunæ est: quàm in nauigationibus in re rustica, in negociationibus, in matrimonijs, in liberorum prouentu, cæterisq; id generis: quoniam fortuna nihil aliud est, quàm deus, qui moderatur omnia, aut ipsius dei moderatio. Ex quo nemo quippiam consultabit, quippiam futurum sperabit isto metu fortunæ. FAC. Multi nec opinantes domi sunt oppressi. Horum unus etiam texens: qui cū audisset urbem expugnatam, non obseruauit fores, non fugit, non etiam surrexit: sed tanquam fieri non posset, texere perseuerauit: atq; ita sedens telam, atq; detexa esset, sanguine suo tinxit. O imperitum hominem? Miror equidem, cur & alium mingentem non induxeris? Hoccine est historiam scribere? Hoccine est illustrissimi & maximi regis res gestas cōmendare? huiusce modi

res

res, præsertim tam ineptè, historiæ immiscere? LAV. Quid est quòd uerba mea derideas, quòd hanc narrationis partem contemnas? nunquid Ferdinandum facio texentem, aut texentem interfectorem, an non etiam paruus in historia locus, certe, si saperes, multum hæc res ad admirationem uictoriæ facit: quòd rem Ferdinandus effecit etiam hostium opinione maiorẽ. Omittam infinita minutarum rerum exempla inter maximas inserturum: quantopere me derideres si (ut facit Liuius) dicerem. Gallum illum qui Romanos ad singulare certamen prouocabat, exerta lingua præ contemptu hostis processisse. Cæterum nullum fuerit similius, quàm quod idem Liuius de Archimede refert in Syracusarum expugnatione. Et custodibus dimissis per domos eorum qui intra præsidia Romana fuerunt, cũ multa iræ, multa auaritiæ exempla ederentur: Archimedem proditum est, in tanto tumultu, quantum captæ urbis fragor in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in puluere descripserat, ab ignaro milite quis esset interfectum. Non comparabo inter se opera, non excutiam utrũ ueri similius: certe ut alia paria sint in utroq; plus illud in nostro est, quod ducis uincentis gloriam auget. Et tamen Iuuenalis uersibus à tuo Panhormita deprauatis conuicium facis: Archimedes.

Frange igitur calamos uigilataq; prælia dele,
Quæq; facis dona Veneris bone Valla marito.

Per æque te irridere alios decet, ac Gallum illum, de quo modo dixi decuit: uel potius per æque ac simiam illudere nobis decet: cum aut nudatos dentes quatit, aut nudatum rictum cum deformi cauo protendit. Verum quasi nolis hoc reprehensum, ut es ubique inconstans, subijcis. FAC. Licuit tamen tibi & huius rei mentionem facere, si modo illam aptè, & cum aliqua dignitate uerborum expressisses: hominis constantiam laudans, atque ostendens, tantum in eo mortis cõtemptum fuisse, ut cum

ut cum patriam expugnatam diripi, & ciues passim cædi uideret, tamen interritus ab opere non discesſit, donec texendo perseuerans, occisus est. Sic rem cognitione & admiratione dignam effeciſſes: quæ isto modo puerilis atque irridenda est. Præterea quàm arida, quamq; exanguis sit ista oratio, alijs in dicendum relinquo. LAVR. *Supersedeo de dignitate uerborum loqui: rem ipsam spectemus. Velles me uirum fortem & mortis induxisse contemptorem? O effutiens uerba non promens: qualis non fuit talem à me iubes induci. Non ego poëta nunc sum, non Bartholemæus Facius: qui cum poëtas ignoret, tamen in historia poëticam fingendi licentiam, non historicam synceritatem solet imitari. Cur non Liuius Archimedem talem induxit potius, quàm abalienatum à sensu ciuitatis quæ diriperetur, intentum figuris in puluere describendis? cum diceret cum uirum, qui suo ingenio patriam tandiu ab hoste Romano tutatus esset, non ad puluisculum inuentum, sed ad murales machinas fortiter oppetere mortem.* FAC. *Quanquam ò terq; quaterq; uesanum: in cuius, nisi furiosi quale tuum est, ingenium cadit, ut cum fugere possit, cum uitam suam suorumq; ferro defendere, cum denique uirum fortem decet inter confertos hostes dimicantem honestissime occumbere, malit domi manere, patentibusq; foribus hostem operiri, & sedens, inersq;, nulla uoce, nullo gestu, nulla operis intermissione trucidari. O rem inauditam? ò telam preciosam? ac cruore emi dignam? texere perseuerauit, qui mortem contemnebat.* LAVR. *Dij te perdant, quos deierare ac peierare soles, pluris ille telam, quàm uitam fecit quoad texeret, qui iam uiuere negligebat? Hunc tu uirum laudas? hunc admiraris? hunc cognitione ac prædicatione dignum existimas? quem omnes etiam immanium ferarum truculentiam iudicent excesſisse? Atque hoc deprauatissimi*

Digitized by Google

tissimi iudicij tui insigne documentum est. Sed non minus insigne illud uacui facti cerebro capitis. Audite, audite hominis acumen, ac circunspectionem. Ait illum uidisse patriam expugnari, diripi, passim ciues cædi, & tamen ab opere non discessisse, sed texere perseuerasse. Intus igitur eodem tempore ac foris fuit, domi texebat, & idem per urbem uagabatur prorsus Amphitryon geminus & geminus Sosia, ut Plautus inquit. Nam altri intra domum, altri extra domum erant, sed non uterque ueri. Cui tanta sermonis absurditas, nisi fatuo excidisset? Nisi te ob hoc defensurum iri speras, quòd idem putasti posse contingere in texore, quod in sutore: quod tu ministerium cum patre tuo factitasti sedens extra limen, & quæ per uiam geruntur inspiciens. Agnoscis iam Fatue utrius oratio puerilis sit, utrius irridenda, quam puerilitatem absurditatemq; illud quoque indicat, quòd ais orationem meam aridam atque exanguem: quod etsi cur dicas non agnosco, cum præsertim breuitatem sæpe in me requiras, tamen in re, ut tu insimulas, minuta atque humili non multum desideratur carnis & sanguinis, licet tu ubique sis talis, quoties talem esse non oportet. FAC. Re bene ac feliciter gesta proceres, exacta enim iam æstate appetijt autumnus, ut quicquid ante hyemem agi posset, id non magni sanè momenti eße censendum sit &c. LAV. Hic meam ad literam subijcit orationem, quam ideo non subijciendam, quia non defendendam statuo: quippe cum uel aduersus eam nihil nisi nugatorium friuolumq; opponat: cuiusq; quicquid reprehendit, id ferè in accusatione repetat. FAC. Quid erat opus artificiose rhetor hac artificiosa exornatione? quo spectat? quid agit? quid sibi uult? dixeras antè non iudicio, non iure, sed factione, potentia, armis de regni Aragoniæ possessione agi: postea hæc subdis, inducens argumentum à minori quasi ea res obscura sit,

nihil

nihil in dubium uenire posit: si postquam dixeris non uia iudiciorum, sed potentia & armis certari, statim subdidisses illud, quod à te post argumentationem hanc dicitur, armis & potentia hostem armatum ac potentem: opus est bello à te dictum cõficerer. Itaq; totum illud à te superflue ac iniuriose prolatum puto. Nec profecto minus improbo subsequentis argumentationis tuæ in tot capita distinctionem. Cum enim ostendere propositum sit, discordiam inter Hispaniæ & Aragoniæ reges oriri posse, quid oportebat enumerare causas unde bella oriri soleant? Cum satis esset id modo dicere: posse aliquando bellum inter ipsos reges excitari? quod si accederet, fore, ut grauissima belli necessitas Hispano regi incumberet: præsertim si ad Aragonici regis partes barbarus rex accederet. Et in demõstrandis utriusq; regis opibus, non erat indecens te longiorem esse. LAV. *Tota generis huius est accusatoris nostræ orationis notatio prorsus inepto, imperito, peruerso, fatuo digna: ut propè sit æque ineptum has nænias confutare conari, cum præsertim sint animi iudicum à fastidio prohibendi, quantũ in nobis erit, quasi alio potius ei respondendũ loco, prosequitur.* FAC. *Sed in eo scilicet occupatus es, ut doceas bellum aut odio, aut simultate, aut inuidia, aut metu, aut auaritia nasci solere: quasi uero non alijs de causis bellum oriri possit. An ignoras interdum suspectione iniuriæ, interdum aliena gratia, interdum fœminarum raptu, uel alia huiusce modi graui causa atrocissima bella suscitari? Sed non erat opus hoc loco bone arator ad eas species deuenire, quæ magis ostentationem quandam artificij, quàm prudentiam significare uideantur. Mihi crede nisi ingenij tui rectum ac syncerum sit iudicium, frustra laborabis cum artificio tuo.* LAVR. *Dij tibi dent quæ optas: & si male optas, dent bene optare: qui me tam amice, fideliter, prudenter admonuisti stultitiæ meæ, Itaq; ut tibi credam (quod iubes) animum*

Digitized by Google

mum induco: sed unus restat scrupulus, qui me male habet: Ne tu sis multo me stultior, qui mihi præcipis, inquiens: interdum suspectione iniuriæ oriri bella. Si de facienda iniuria sentis, non obscure loqueris. Quis inops mentis non intelligit metum cau sam belli subesse? Sin de facta, bis stulta loquutus es: semel, quòd temerarij est hominis iniuriam, quam sibi factam esse pro ex quisito exploratoq; non habet, malle ulcisci, quàm certius ex plorare. Iterum, quòd species est simultatis & odij. Nam odiũ & simultas ex iniuria nascitur, ueluti si suspicetur res aliquis contra se ab altero rege summissa hosti suo militum auxilia: quæ fuit frequentissima Romanis, & sola propriè, belli inferendi causa: uidelicet ob ulciscendam iniuriam. Cuiusmodi etiã est ob raptum fœminarum: quale fuit bellũ inter Græcos atq; Troianos, Græcis iniuriam ulciscì uolentibus. Iam uero aliena gratia mouere bellum, non minus stolidè, quàm superiora, abs te dictum est. Qui enim pro alio bellum suscipit, easdem cau sas belli proponere, quas ipse ille cuius suscipit partes, nec suo, sed alieno se nomine agere testatur: ut aut propulset, quæ infertur, iniuriam: aut ulciscatur illatam: aut illam inferre uo lenti, se uel ducem uel comitem præbeat. Quæ iniuria ex ali quo à me enumeratorum fontium emanat. Quocirca dabis ue niam, si tibi magistro tam rudi atq; hebeti fidem non habeo. FAC. Quid, quòd in eadem re tibi ipsi non constas, sed aper te contradicis? Hæc sunt uerba tua, ne calumniari me putes: Et enim si alius quàm ego rex Aragonum creetur, inter quem ac regem Castellæ (ut memoria patrum scimus accidisse) di scordia incidat: an speramus occupatos nos duplici marte ex utrisq; hostibus uictoriam reportaturos, aut Granatam expu gnaturos? Paulopost subdis, Castellæ regnum in omni Hispa nia maximum est. Hoc cætera regna, non dicam oderunt, inui dentq;, certe metuunt: & ab eo sicut infirmiores quadrupedes

Odium & Simultas.

Digitized by Google

uolucres ue à leone, aut ab aquila cauent. Nam rex Aragoniũ etsi prapotens est, ac maris, ut ait, dominus: tamen eius uires multo minores fama sunt. Quid enim Sardiniæ regnum, male pacatum, ac propè Catalani nominis inimicum, adiuuaret Aragoniæ regem, bella gerentem cum rege Castellæ? Quid Sicilia, quæ uix didicit iugum ferre alienigenarum? quæq; (ut audio) iam nunc non satis quieta est. Omnis igitur uis ac robur regis illius residet in Hispania, quæ Hispania nequaquam cũ nostra est comparanda. In priore parte ostendis timendum esse Hispano regi discordiam ac bellum Aragonici regis, tua enim uerba hunc sine dubio sensum habent: ut sit timendum ei, si Aragonicus rex cum barbaro se coniungat, ne Hispanus rex utriusq; resistere non possit, sed contorte sententiam istam dicis. I. A V. Imò tu contorte & stolidè. Contorte quidem, quòd, ut me corrigeres, regem Castellæ in regem Hispaniæ mutas: quasi quatuor alij non sint, & ipsi reges Hispaniæ, sed transmarini. Stolidè autem, quòd istud ego nec dico, nec sentio, regem Castellæ utriq; regi Aragoniæ Granatæq; non posse resistere, quasi ab ijs ei bellum sit inferendum: sed non facile de ambobus uictoriã reportaturum, & utriusq; urbes expugnaturum. An parũ interest nõ facere uictoriã debellationemq; hostis, & hoc ipsum ab alio timere? Ne longius exempla repetam, in hac ipsa Hispania non mille urbes à Romanis omni conatu expugnari nequierunt ad Augusti usq; memoriam, ut Liuius testatur, & in tua Liguria (si modo Ligur, & non Scytha es) castella quædã ad uersus Romanam potentiam pluribus annis in cõtumacia perstiterunt. Nũquid pop. Ro. quia penè desperabat hæc expugnare, idcirco ab his quicquam periculi, nedum debellari timebat? Impedimentum minoribus ab hostibus rerum consequendarum, non partarum amissio perniciesq; metuitur. Itaq; si Castellæ regi Granatam obsidẽte, rex Aragonum barbaro suppetias eat,

non

non uerendum esse illi significo, ut castella amittat, sed ut obsidionem omittat: quare stolidè, tanquam contrarium subdis. FAC. In posteriore uero parte ostendis non esse metuendas Aragonici regis uires Hispano, quoniam Castellæ, siue Bethicæ, & Lusitaniæ regnum, ut antiqui dicerent, omnium regnorum Hispaniæ maximum atq; opulentißimum sit: & cæteris omnibus regnis formidabile, quòd regis Aragonici uires minores fama & opinione hominum sint: quòd Sardiniam inimicam habeat, quòd Siciliam inquietam, & rerum nouarum cupidam: quòd denique omne robur in ea Hispaniæ parte, quam tenet, positum sit, quæ cum ulteriore Hispania nequaquam sit conferenda. LAV. Et in hoc quoq; mentiris, cum ego non dicam, non metuendas, sed minores, sed nõ comparandas, sed à socio bellorum rege Granatæ disiũctas minus poße, eoq́; minus, non autẽ omnino non timeri: quemadmodũ leo aquilaq́; (ut in eodẽ simili uerser) uix unũ quodlibet animal, hic quadrupedũ, illa uolucrũ, tanquam sibi letiferum extimescat: timeat tamen ut quodq́; proxime ad uires accedat, multoq́; magis illorũ gregẽ. Et plurimum (ut etiã iurisperiti testantur) interest inter atrocẽ & qualẽcunq; metum. Quare ut finẽ faciam, quibus & primi libri, palàm est & perperã te interpretari uerba mea, nõ modo quasi nihil prorsus uires Aragoniæ metuendas esse Castellæ sentiã, uerumetiã si paulopost metuendæ erunt, nõ tamẽ protinus hanc esse sententiam priori contrariam. Aliud est enim oppugnare, aliud repugnare posse: item aliud certare, aliud uincere: sicut aliud metu fugere, aliud cum metu pugnare. FAC.

Metus non unus.

HIc cum cerneret regẽ subinde orationi suæ (ut putabat) indormientem, oculis conniuentibus capiteq́; demißo sterteret, intersistebat: rex cõtra, cur interqesceret animaduertẽs, iubebat eum pergere: non enim se dormire, & si clausis oculis sterteret. Aut si corpus præ morbo dormiret, non tamen

dormire animum. Hoc quidem imprimis contra præcepta narrationis de ueriſimilitudine abs te dictum eſt. Non enim ſolum ueram, ſed etiam ueriſimilem narrationem eſſe oportet, ſi ſibi fidem uendicare uelit. Cui enim credibile uideatur regem legatos audientem, non dico ſtertere, ſed dormire? An tibi parum uideatur eſſe, illum dormientem facere? An id indecorum ignoras regiæ maieſtati eſſe? Non regem: ſed ebrium quendam, uideris uelle demonſtrare. Quem ſi animi torpor ex corporis languore proficiſcens interdum rapiebat, tamen ſtertentem inducere utioſum fuit. Scribendum eſt enim ſic bone magiſter artis, ut perſonarum dignitates ſeruentur: alioqui probabilis non erit narratio, ſibiq; fidem derogabit. LAV. Quid reprehendam te, quòd artem oratoriam non teneas, qui me ſcribentem hiſtorias, ad præcepta iudicialia reuocas narrationis: & nō potius ad præcepta de apte dicendo? quiq; uis utiq; ueram narrationem eſſe debere, quæ ut ſit ueriſimilis præcipitur, ſiue uera ſit, ſiue ficta, ſi quidem fictis nonnunquam eſt locus, etiam citra ueritatis iniuriam, dicente Cicerone: Et fictæ narrationes ſæpe ponendæ. Quid in hoc te reprehendam? Cum nihil ſcias ex rebus humanis. An (ut taceam cætera) non ſatis in ſe uiolentiæ Lethargus habet, ut hominem cogat ſtertere? Conſule medicos. Sciſcitare proceres Catalanos natu grandiores, qui huic rei affuerunt, & diſces cum cæterorum Lethargicorum, tum uero Martini regis dormiendi & ſtertendi aſſiduitatem: & nihilominus hæc mea uerba ſunt, ne cauſeris parum à me ſignificatum eſſe. Nec magis nomine ſuo lugendus, quàm patris cui unicus erat iam ſeneſcenti: neq; tam ætate, unum nanq; & quinquaginta annos natus erat, quàm habitu corporis obeſi nimiū ac præpinguis, & ueterno grauaſcentis. Accedebat his & ætatis & corporis incommodis quartana: malum imprimis gaudio lætitiaq; curandum. Sic affecto, nuncius de morte filij affer-

Narrationis decorum.

Lethargus.

tur

tur, & reliqua. Veternum autem idem quod Lethargum esse Veternus.
uolunt, quòd assiduum soporem inducat. Huius tu ures homo imperitissime ignoras, & ais: Rapiebat interdum si furor, qualis te rapit interdum, fuit, aut comitialis & non assiduus morbus. Quid reprehendam te? quòd eandem sententiam ueles & inculces, quod ars fieri uetat, cum ita rerum sis imperitus, ut putes ebrium quenquam qui stertit, & quòd non minoris insciticæ, à dormiente exigas ne stertat, præsertim ægroto: quasi præstare hoc dormiens possit ægrotusq;. Quid reprehendam te? quòd corruptis utaris uerbis, cum etiam mea uerba corrumpas, seu sententias potius, qui ais regẽ dormisse, quod ego non modo non dico, sed etiam planè nego: Quod non tantum non sentio, uerumetiam ne sentiri à legentibus queat operam do. Quod deniq; non solum non fuit, sed ne fieri quidem potuit. Cum legatum interlocutus sit, & se nequaquam dormire testatus, prout ipsius responsio plena prudentiæ, grauitatis, meditationis, extitit documento. Quare tuam magis indicas, tum calumniam, quòd ais à me derogatum esse regiæ maiestati, quia dormientem stertentemq; fecerim: tum stultitiam, quòd derogandũ potius cẽses ueritati, q̃ hominis famæ, ne uidelicet ipsius hominis contrahas offensionem. FAC. Sunt qui dicant, nullo pacto, nec medicorum arte, nec multifariis machinis potuisse eum, uel puellæ uirginitatem demere, uel cum muliere cõcumbere: licet mater, aliæq; nonnullæ fœminæ uelut ministræ puellæ adessent, licet uiri quoq; aliquot regi auxilio essent, qui uẽtre quasi appensum per fascias à lacunari pẽdentes quibus tumor proni uentris cohiberetur, demitterent eum sensim in gremium puellæ ac sustinerent. LAV. Sceleratissime Sarmata, nõ satis habes quæ fortassis ego celata uoluissem propter uerecundiam, ea prompsisse in publicum atq; uulgasse, nisi uerba mea, uel optima sui parte defraudes. Clausula enim illa. Sed hæc ue-

Digitized by Google

recundius forsitan in silentio reponuntur, quæ superioris oratio-
nis nuditatem, ueluti tenui quodam uelamento tegebat, exe-
misti, ut in ipsam membrorum obscœnitatem inuehi posses his
uerbis. FAC. Et hoc quoq; à te multo uitiosius prolatũ est.
Est enim primũ contra præcepta breuitatis, nam sæpe satis est,
quod factum est dicere non ut narres quemadmodum factũ sit:
Satis enim id fuerat, Sunt qui dicant regem nulla arte nullo ue
consilio ex regina liberos gignere potuisse, ut non fuerit ne-
cesse, quæ turpia sunt auditu, referre. Potest etiam argui id esse
contra probabilitatis præceptũ, de quo ante dictũ est, quòd di-
gnitates personarum seruatæ non sint. Quid enim turpius dici
potest, quàm quòd rex præsente socru, & etiam adiuuante, cũ
uxore coierit? Quid inhonestius, quàm quòd socrus generi ui-
rilia spectaret? Quid indecẽtius, quàm quòd regina pudicissima
corpus suum spectandum daret his, qui regem adiuuarẽt? Hoc
uel meretrix impudica abhorreret, quod tu reginæ honestissi-
mæ tribuis. LAV. Differo de breuitate respõdere. Extenuabo
paulisper quod obijcitur prius quàm defendam: unde scis id in
luce potius, quàm in tenebris umbraue actũ? num talia in ob-
scuro fieri nõ possunt? Cur ita improbus temerariusq; es, ut cõ
firmes quod ignoras? ut accuses, quod an dignum sit accusari
non statuisti atq; cogitasti, ut tuus deteriorem in partem incli-
net animus? Hæc breuiter de extenuatione criminis. Nũc illud
defendam, primum referri hanc rem à me causa postulabat,
quo probaretur desperatio Martini regis iam prolis tollen-
dæ. Deinde non ita reformidanda fuit nouæ rei festiuitas: neq;
enim nephandæ ueneris, sed matrimonialis sanctitatis necessa-
ria memoratur actio. Nam quòd interfuit socrus, aliaq; mini-
steria uideris parum meminisse, qualia nobis ægris præbean-
tur à domesticis obsequia. Postremo nunquam historici ab hu
iusmodi referendis abhorruerunt. Taceo Græcos: qualia sunt

quæ

Digitized by Google

quæ de Cæsaribus Suetonius narrat, quæ Cornelius Tacitus, quæ deinceps alij historici. Redeo ad superiores & ne longior sim, uno sum Liuij contentus exemplo, tua omnia obiecta refutanti. Hic autor libro XXXVIII. ubi deprehensa bacchanalia plus quadringentis exequitur uersibus, commemorat, quæ uerba mater cum adolescente filio habuit: quæ cum eodem scortum in cubiculo: hunc postea domo à matre uictricoq; iectum, ad amitam Ebutiam se contulisse: quid consul cum socru de hac Ebutia loquutus sit: quid eadem uocata retulerit, quomodo item Hispalæ adolescentis concubina uocatu consulis introducta sit, præfata, fabulata, quàm fœdas mulierum & quod tetrius est, quàm deformes marium promiscuasq; libidines. Quæ narratio quàm curiosa sit, uel ex his autoris apparet uerbis. Consul rogat socrum, ut aliquã partem ædium uacuam faceret, quo Hispala immigraret: cœnaculum super ædes datum est scalis ferentibus in publicũ obseratis, aditu in ædes uerso &c. Quocirca nõ est, quòd meã narrationẽ insimules, ut prælongam, quæ ad Liuianam breuissima est: ut parĩ probabilem, quæ probata est, & admodum sua sponte credibilis: ut illiberalem & obscœnam, quæ ad plurimas historiarum narrationes nil habet obscœnitatis. Adeo in literis sacris multa reperies, non dico obscœnius, nihil enim obscœne etsi obscœne actum est, illic refertur, sed aptius simpliciusq; exposita.

FAC. Primum habitans in prædio suo, cui nomẽ Fulcher aspectus, de quo supra dixi: deinde in habitaculis monasterij, in ualle Donzellæ, non procul à muris. Hoc quidem præcepto breuitatis in primis repugnat, quod est: & si non longius quàm scito opus est in narrando procedetur. Quid enim oportebat sciri ubi rex primum habitasset? solum id dicere, ubi habitaret, satis fuit, si & de loco ubi diuertebat, mẽtio necessario facienda erat. Cum id neq; obest, neq; adiuuat, præterire satius est.

Digitized by Google

LAV. *Sed quàm eleganter iſta dicas, alterius ſit iudicij. Nondum quid inter hiſtoricam oratoriamq; narrationem interſit, aperio, cum ſatis hoc loco ſit, tum ſuperiora Liuij uerba teſtari, tum aduerſarium inſcitiæ ſuæ admonere, qui non modo contra me recitat præcepta rhetoricæ, nihil ſanè ad hanc rem facientia: ſed etiam neſcit quatenus ſit breuitati inſeruiendum. Nam hæc eiuſdem Ciceronis, cuius cõtra me affert uerba, ſunt in narratione pro Milone. Milo quo die à ſenatu dimiſſus eſt, domum uenit, calceos ac ueſtimenta mutauit, paulo dũ ſe uxor (ut fit) comparat commoratus eſt. Et alia huius generis plurima, quæ tu, ſtultitiæ lacte nutritus, non conſideraſti: qui libellos illos de arte rhetorica legiſſe contentus, quid altius alibi præcipiatur, quem'ue uſum ars ipſa deſideret, diſcere non laboras.* FAC. *Nunc referam id quod an ueneni, an peſtis, an alius rei ſignum ſit, medici uiderint: quod ipſe qui uidit, quid fuerit ſe ſcire negat: idemq; regem ueneno periſſe non credit. Hic eſt Borra Scurrarum eximius quatuor & octoginta hodie natus annos, necdum à ſcurrando uacans: qui, ne quis de eo me miretur facere mentionem, in tanta fuit apud complures ſæpe reges, dignitate dicam, an opinione, an beneuolentia: ut eum in libris meis faſtidire non debeam, quem reges nullo quamuis ſerio in negocio faſtidirent: cum præſertim (quod apud uulgi opinionem ualet plurimum) dies ſit adeo, ut ad centum milia aureorum profiteri poſſit. Vir profecto natus ad improperandum literarum ſcientiæq; ac ſapientiæ ſtudioſis, qui doctrinam non ueri contemplatione, non ſummi boni fine, non ipſa uirtutum laude, ſed pecunia & umbratili populorum honore metiuntur. Ad hoc quotidianum Borræ conuicium pertinet, dicentis, plus ſe & pecuniæ & honoris comparaſſe, dum ſtultum agit, quàm qui literarum & ſapientiæ ſtudioſi uocantur. Quod cum audiunt plerique literati, ornatumq; hominis regulem*

Digitized by Google

galem uident, & erubescunt & dolent: & si uera fateri uolunt, etiam inuident: nimirum infra omnes scurras histriones mimosq; detrudendi, male meriti de liberalibus artibus, quibus inuidiosam uolunt esse uitam scurrilem. Commisisti hac in parte errores supinos & crassos, qui satis essent, quamuis nunquam alibi peccasses, ad te perpetuo uituperandum, & condemnandum. Hos profecto uix crederem à te commissos esse, quamuis omnia insciliæ & ruditatis exempla de te credi possent: nisi librum tua manu correctum, & in marginibus rubris literis annotatum hisce oculis uidissem. Quis enim credat hominem, qui se principem & doctorem omnium artium & scientiarum profiteatur, in tot errata incidisse? Profecto si quid in te ruboris esset (quem iampridem amisisti) non auderes ante hominum oculos uenire. Sed quid iuuat te hominem pertinacem admonere? Quod maius signum hominis arte rhetorica, & quæ artis moderatrix est natura carentis, quàm prius exaggerare crimen, quàm planum fecerit? nam postquam tantopere exaggerauit, non posse planum quod obijcit facere, quod flagitiosum sit, id quod in meo nunc accusatore contigit rhetores iudicent. Rem ipsam potius exquiramus: primum ubi dicis, is est Borra scurrarum eximius, contra artem facis, nisi forte Quintilianus, quem artificio anteponis Ciceroni, hoc te docuit. In re enim grauissima, quæ est ueneni quæstio, leuissimum testem adducis: & quem laudare à prudentia & uirtute testem debes, hunc à scurrilitate, non laudas, sed uituperas. Quòd dicis, necdum à scurrando uacans: id perspicue contra breuitatem esse certe dignoscitur. Quid enim scitu opus est, an adhuc se scurram gerat necne? ut omittam uerbum illud scurrando, quod rarissime usitatum est, & pro obsoleto habendum, ut puto. LAVR. Expetit pœnas à mortuo Antonius, à quo uiuente non potuit. Cum ille uir sagax atq; urba-

Digitized by Google

nus hunc ueluti bubonem & minutarum uolantum nocturnum hostem cauillaretur, nunc postquam reliquit lucem, cygnus à bubone & noctua male audit. Quid ais noctua? est ne grauissima ueneni causa, dignáq; cuius testes grauissimi existant? O sic infra homines, ut noctua infra uolucres. Grauissimæ personæ in suspicione ueneni desiderantur, credo de fr̃ēdis legibus, de sedanda ciuium discordia, de rebus ad bene beatéq; uiuendũ pertinentibus negocium est. Non ne per eosdem plerũq; ueneficia conuincuntur, qui conscij fuerũt? Ergo qua in causa, seruulus, aut ancilla pro teste admitteretur, in ea tu talem uirum nõ admittes? etiamsi ad ea quæ dixi, non addam hunc ab imperatore Sigismundo inter duces habitum: bello, quod aduersus Turcos gessit, præfectumq; alæ fuisse prorsus Iunio Bruto æquandum: qui aliquando fatuum egit, sicut tu, dissimilis qui nunquam agis fatuum, neq; agere potes, quoniam semper es fatuus: & tamen detrahere te illi non pudet, dicentem. FAC. Quod dicis, Ne quis miretur me mentionem facere, in tanta fuit apud complures semper reges dignitate ne dicam an opinione, an beneuolentia, ut eum in libris meis fastidire non debeam. Vide quantum erres. Videris dubitare an dignitate, an opinione, an in beneuolentia fuerit apud principes, cum nec in dignitate, nec in opinione esse posit persona scurræ, loquor enim non de illo tantum, sed de genere toto: cum dignitas & opinio in eos solum cadat, qui uel in aliquo sunt illustri honoris gradu: uel ingenij, uel doctrinæ præstantia quadam magnam laudem & gloriam assequuti sunt. Licet & in malam partem opinio accipi posit. Itaq; in tanta non dignitate, non opinione, sed uoluptate à te dicendum fuit. LAV. De qualitate personæ, & modo respondi, & mox respondebo: nunc ipsum correctorem corrigere uolo, quolibet demente dementiorem. Ego me addubitare dico, an ille fuerit semper apud reges in aliqua dignitate,

an in

Digitized by Google

an in opinione, an in beneuolentia: hic uult fuisse in opinione, & dignitate. Esto sanè, quid in beneuolentia? de hac silentium agit: nimirum confitens, nam silentium hoc loco pro confessione est. Et alioqui si ex tribus (ut dialecticorum more loquar) disiunctiuis, una mihi satis est, & hoc tum constat, tum ab aduersario conceditur, non'ne cum partitionem meam ille reprehendit, sibijpsi contradicit? Quòd uis mihi fuisse dicendum, illum apud reges semper fuisse in uoluptate. O' imperitorum imperitissime, in uoluptate fuisse sic accipitur, ut in lætitia, in gaudio, in delectatione: hoc est, quòd accipit lætitiam, gaudium, delectationem, & uoluptatem: quæ sententia longe abest ab eo quam sentis. Nam præbuisse alijs hanc uoluptatem, siue fuisse alijs uoluptati, dicere uolebas. Quid quòd ais opinionem accipi posse in malam partem? quod si ita est, quid ponis in crimine, quòd illum dixerim fuisse in opinione? Quid quòd affectator uerborum Ciceronis inquis? loquor enim de genere toto: quasi non de genere toto loquaris, dum inquis: Cum nec in dignitate nec in opinione esse posit persona scurræ. Credebas te dixisse persona Borræ. Quid quòd non uis ullius esse dignitatis aut opinionis, nisi aut illustris honoris gradu, aut præstanti ingenio doctrinaue præditos? quasi cæteri, ut nobiles, ut probi ciues, ut graues, honestæq; mulieres, nullius sint dignitatis, nulliusq; opinionis. Quid quòd aliqua & quædam pro eodem accipis, ut sæpe alias, illud cum sit particulare, hoc singulare, ut in elegantijs & dialecticis latius disseruimus.

In uoluptate esse.

Opinio.

Aliquis.

Quidam.

FAC. Quod dicis. Quem reges nullo quamlibet serio negocio fastidirent: honesta, ratio cur de scurræ persona mentionem in historia regis facere debueris. LAV. Cur non honestissima ratio stolidissime, quem reges in suo consilio adhibent, eum à me nõ fastidiendũ? At enim historiã regis cõpono, O' uespertilio, nunquid uenerabilior est regis historia, quàm palatium

Digitized by Google

palatium? quòd si illi uiro locus in conclauibus atq; cubiculis regum semper fuit, nullus angulus in historiæ meæ velut ædibus concedetur? Cum præsertim ut in domibus principum & coqui, & agazones, atq; id genus hominum non modo uisuntur, sed etiam necessarij sunt: ita in illorum historijs. Nec intelligis tanto maiorem te cõtumeliam facere regibus quàm mihi, quanto grauius est regem cum indignis personis habere usum consuetudinemq;, quàm me ista mandare historiæ. Sed absit ut ipsum pro indigno habeam: cui tantum uideo à tantis principibus tributum, qualiter ab alijs principibus erga huiusmodi personas non semel factum legimus: ut erga Roscium histrionem, quem raris effert Cicero laudibus. Et de quo ita Macrobius in
Roscius. saturnalibus scribit. Is enim Roscius, qui etiam L. Syllæ charissimus fuit, & aureo anulo ab eodem dictatore donatus est:
Aesopus. tanta autem fuit & gratia & gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus subacceperit. Aesopum uero ex pari arte decenties sestertium reliquisse filio constat. At uero diffisus huic rationi ueluti parum robustæ, cõfugis ad eam quæ propria est imprudentium, defensionem: negasq; hoc uerum esse inquiens. FAC. Præsertim cum id falsum esse perspicuum sit. Quis enim uidit unquam in senatu, aut ubi de maximis rebus consultetur, ad consulendum scurrã uocari. LAV. Oratio te tua stultissima coarguit, qui non audes Borram nuncupare, sed argumentum sumis ex ritu scurrili. Non repetam quantus apud Sigismundum, utrunq; Martinum, apud Ferdi-
Borræ præconia. nandum fuerit, nec quãtus alibi apud Alfonsum: Sed his paucis mensibus quibus fuit in Italia, quis ignorat consilijs cum maximarum rerũ frequenter interfuisse? & absentis quoq; scriptas ad regem, de summi momenti negocijs literas legi. Et item regia manu uicissim scriptas; non uti ad leuem, sed uti ad prudentissimum uirum: quod erat sine controuersia publicatũ: ad cõ-

mune

mune iudicium, inde uocari solebat: se dum insipientẽ agit, non posse alicui persuadere, ut insipiens sit: cõtraq; filium suũ imitatione sapientis, nemuni posse persuadere se insipientẽ nõ esse. FAC. Quod dicis, cum præsertim, quod apud uulgi opinionẽ ualet plurimũ, diues sit, adeo ut ad centum milia aureorũ profiteri possit. Vehemens & hæc quoq; ratio, ut scurram testem in re maximi põderis afferre, & historiæ inserere debueris, uidelicet quoniam diues sit, argumentum à diuitijs multum ualet apud te (ut uideo) ad faciendam fidẽ, & locupletandã historiã. Pauperis igitur testimoniũ nullum, aut leue erit. O' prudẽtiam hominis singularem? ò artificem admirabilem? puer ista profecto non diceret: qui uix prima artis præcepta didicisset. LAV. Recte doces, si isto modo doces discipulos tuos. Quat & parta de me uictoria fatuus, prostrauit, occidit, alligatumq; ad currũ, in morem Achillis, hostẽ inimicumq; citatis equis per puluerẽ trahit. Sed inspiciamus quomodo strauisti, quomodo uulneraſti: ne somno potius ac uino uictor sis, id est à somno ac uino uictus. Dixi diuitias apud uulgi opinionem ualere plurimum, & illi magnas fuisse diuitias. Horum tu neutrũ, nec negas nec negare potes. Verum igitur me loqui fateris. At enim uulgus nõ recte sentit, ne sentiat: nunquid illud ego recte sentire defendo? Illud reprehendito, illud accusato. Cur me pro illo, nephande calũniator, inuadis? nam quòd talem hominẽ uel admittere testem, uel inserere debuerim, satis insaniæ tuæ abũdeq; respõdi. Et nihilominus ut causam uulgi agam rectius etiã quàm tu censorius Cato sentiẽtis, Quis adeo, nõ dico ab arte oratoria, sed à librorũ lectione, atq; etiã ab usu cõmuni remotus? Quis adeo hospes, adeo peregrinus, ac Scytha, uel Maurus, qui nesciat multum in testibus facere conditionẽ, sicut in iudicibus? quos scimus eligi non potuisse, nisi certũ censum profiteri possent: sicut in equitibus Romanis, sicut in his quæ sunt generis huiusmodi

Diuitiarum æstimatio & autoritas.

modi. Siquidem Seruius Tullus nulla re patres, equestrem ordinem, ac plebem distinxit, nisi ex cẽsus facultatumq; discrimine: uoluitq; ita quenq; plurimum in ciuitate dignitatis optinere, ut plurimum facultatũ professus esset. Nec posteriora tẽpora ab hoc instituto dissenserũt dicente Plinio filio: Senator censu legi cœptus, iudex fieri censu, magistratũ ducemq; nil magis exornare quàm census. Multæ præterea historiæ testes sunt ac multis in locis iura ciuilia. Cæterum ne longius fortaßis euagetur oratio, luce clarius est, in dicendo testimonio plus momenti diuitias habere, quàm egestatem apud omnes homines: idq; ipsa duce ratione, cum sciamus inopẽ facilius corrumpi posse, quàm diuitem. Ideoq; sapienter Aemilius Paulus, in controuersia de magistratu optinendo, inter diuitem ac pauperem: illum quidem pro malo, hunc autem pro bono habitum, inquit, Neutri dandum magistratum: quoniam alteri nihil satis, alteri nihil esse: prope in æquo reponens paupertatem & auaritiã, etsi uitium illa non sit, tamen esse statuit facilem quandam corrumpendæ insciticæ materiã. Et tu in sinu paupertatis natus, affirmas nihil ualere à paupertate, & à diuitijs argumentum. Quanquã quis rhetorum argumentum à diuitijs memorat? Illi, an quis dives sit, an pauper, in loco argumẽtorũ qui dicitur à fortuna, uel à conditione, constituunt: non à diuitijs, uel à paupertate dicunt esse argumentum, uoluntq; illud rei dubiæ facere fidem: non autem locupletare historiã, ut tu ais: qui quid sit ars, quid imitatio, quid prudentia, ignoras. Sed ad alia procedamus. FAC. Quod dicis, quod cũ audiunt pleriq; literati, ornatumq; homines regalem uident, & erubescunt & dolent, & si uera fateri uolunt, etiam inuident. Hoc loco & imprudenter loqueris, & magnam literis iniuriã facis, si quẽpiam egregie literatum, non literis intinctum (ut aiunt) inuidere putas hominis scurræ conditioni. LAV. Vtinam crimen tuum uerum esset, & nõ plures

Census.

Aemilij de diuite & paupere sententia.

multo

multo, ac prope omnes sine diuitiarũ literas metirentur. Quid enim aliud fere expetunt studiosi medicinæ? Quid iuris ciuilis atq; canonici? quid deniq; philosophiæ? ne addam theologiæ? non tamẽ quid sentire debeant dixi, sed quid sentiant. Sed egregie literatos ab intinctis literatura seiunxi, ut tu solita tibi impudentia seiungis, reprehendisq; in eo me quod non dixi, ut in sequentibus facis. FAC. Fieri quidem potest, ut diuitijs hominis inuidia habeatur: sed & statui & conditioni, nequaquam credendum est. LAV. Quis tibi conditionem & statum nominauit? Diuitijs ego hominis significaui inuideri, non uitæ. Tametsi quid tu conditionem appellas? an conditione nõ significantur diuitiæ? ut supra ostendi. Nam status q̃ proprie utaris, tu uideris. FAC. Taceo quòd affirmas id quod probare nõ potes: cum multi generis illius uitæ non modo cupierint, sed etiam imitari tentarint. Verum uigor ille ingenij eos, facultatisq; defecit, quod iste sæpe testatus est, cum diceret: Plusquam mediocris est solertiæ, sic stultum agere: ut gratus sit iucundusq; prudentibus. Nisi forte literatus ille uacui capitis sit, cuiusmodi te esse ex oratione tua constat. Te enim facile credam ac sine teste ullo, quoniam tibi nullum præsidium in literis est, propter intemperantiam & uesaniam tuam, nõ autem illarum culpa, non solum eius diuitijs, sed etiam arti inuidere, & illius uitam anteferre tuæ. Quòd si quis doctus aurum Borræ exoptet, mirandum profecto non puto, his præsertim temporibus, quibus diuitiæ in precio sunt. LAV. Non respondebo ad cõuicia tua, quæ cum sine iudicio, sine modestia, intemperanterq; ac uesane proferantur, tuæ dementiæ testimonium dant, non meæ. Vacui me capitis appellas, Cur ita sentias, non probas. At cur id de te ipse sentiam, recognosce. Ais, non culpa literarum in illis mihi, nullum præsidium esse. An ulla potest esse literarum culpa? à quo unquam legimus illas fuisse culpatas, quasi aliquid deliquissent

Literati diuitijs inhiant.

Conditio. Status.

Capitis uacui.

Culpa nulla in literis.

Digitized by Google

deliquissent? Superuacua igitur, id est, uacui capitis fuit ista oratio, & eo magis, quòd dixeras hoc contingere propter intemperãtiam, ac ueſaniam meam. Adde quòd artem uocas quam uix quæſtum uocare licet. Nam ars ſine ullo appoſito, præſertim ſingulari in numero, pro bona accipitur. Adde quòd ais nõ mirari, ſi quis aurum Borræ ſic exoptet, hoc præſertim tempore. Si de illo ipſo auro Borræ ſentis, ut iniuſtus, & alieni cupidus, loqueris. Sin de pari, quid magis dictu ſuperuacuũ, quàm te nõ mirari, ſi quis doctus id exoptat, ad quod omnes tendũt? quod nunquam ne ſanctiſſimi quidem, quoties iuſte habere poſſunt, reſpuerũt, tanquam iuſte humaneq; in alios collaturi? quæ cupiditas non maior his temporibus quàm ſuperioribus fuit, quæ ſi hæc dictu ſuperuacua fuerunt, profecto uacuum caput indicant. FAC. Borra, ut erat ex aduerſo, uidebat umbram quandam breue loci ſpatiũ occupantem, paulatim à medio uentre aſcendentem, prout anima inferiora continenter relinquebat. Vbi ad guttur euaſit, & ipſa euanuit. LAV. Venit mihi ex hoc loco in mentem Miniati cuiuſdam, qui fuiſſe dicebatur inſignis aleator, & eo quæſtu in numerum papalium peruenisſe ſcribarum, quem Antonius Panhormita, cum ab eo hoſpitio acceptus eſſet, ueneno ſuſtulit, & bonam partem ex mortui cenſu compilauit, adiutus Hyla ſuo, per quem, ut alios multos, ita miſerum Miniatum illexerat, atq; ineſcauerat. Rem loquor minime obſcuram. Hunc adeo ſceleſtum, & ad omne facinus promptum cum ſuo Fatuo, nunquam putaui tanto furore teneri poſſe, ut ita palàm, itaq; frequenter corrumpere ſcripturã auderent, quo in eam impetum facerent: non conſiderantes codicem meum, etſi interuerterant, nec ad me rediturum ſperabant: tamen ad probanda quæ opponebant neceſſe eſſe, proferri in medium. Sed uidelicet Cæcus eſt furor, nec habent ſcelera conſilium. In ipſo codice ita ſcriptum eſt, qui ſem

Ars.

Aurum cuiq; optabile.

Panhormitæ ſcelus.

Digitized by Google

qui ſemper inter nos ueritatis erit teſtis: Borra, ut erat ex ad- Borræ uiſio.
uerſo, uidebat umbram quandam breue loci ſpatium occupantem, paulatim à medio uenire aſcendentem, prout anima inferiora continenter relinquebat. Id uiderit ne, an uidere uiſus ſit, an conuexitas aliqua corporis adumbrauerit, fides penes oculos eius ſit. Vbi ad guttur euaſit, & ipſa euanuit, & rex animam efflauit. FAC. O proceres cẽſore opus eſt, an Haruſpice nobis? Si quis rem huiuſcemodi in conuentu aliquo, pro uera recitaret, quot cenſes eſſe qui in illum id dicerent:

—in mare nemo
Hunc abicit ſæua dignum ueraq; charybdi?
Nam citius catulos, & concurrentia ſaxa
Tradiderim, plenos & tempeſtatibus utres,
Et cum remigibus grunnire Helpenora porcis.

Aut credis iſta uera eſſe, aut non credis? Si credis, ſtultior es ſtultiſſimo, qui putas morientis animam conſpici poſſe. Si uero non credis, cur fabellam hiſtoriæ inſeris, uix dignam, quæ ab anicula decrepita puellis ad lucernam nentibus enarretur? LAV. Iuuenalis uerſus contra alterum profertis, qui non modo contra eum nihil agunt, ſed ne intelliguntur quidem à uobis: quippe qui Odyſſeam non legiſtis. Aut credo iſta dicitis, aut non credo. O Helpenore magis ebrij. Niſi crederem, quomodo hiſtorijs inſererem? Nemo enim hiſtorijs inſerit, quæ non credit. Ego uerò credo, nec ego tantum, uerum etiam rex alijq; plurimi, qui de Borra audierunt. Credo ego quæ credibilia ſunt: credo quæ regi enarrata ſunt, & perſuaſa, atque ſunt iſta: nempe ea quæ narraui. Non fuit igitur opus, ut illa uos mihi interpretaremini. At quomodo interpretamini? certè, ut uos decebat, maligne, perperam, falſò, regis morientis animam à Borra fuiſſe conſpectam. Hoc ego dixi? Hoc ego ſignificaui uenefici? Nonne fatemini ſuperius à

Digitized by Google

me scribi, nunc referam id quod, an ueneni, an pestis, an alius rei signum sit, medici uiderint: quod ipse qui uidit, quid fuerit se scire negat. Vbi hic mentio ulla conspectæ animæ? cum dicitur uisum, id quod signum est: & signum alicuius morbi, profecto non de anima dicitur, sed de corpore. Anima si uideri posset, non in uiuente uideretur, non in pectore, non in uentre, sed extra iam mortui corpus, qualis aliquando sub humana specie uisa est: cum dico, ubi ad guttur euasit, non de anima loquor, sed de signo. Item cum dico. Et illa euanuit, & rex animam efflauit: ut ambiguitas sensus, quam captabatis locum haberet, orationem meam decurtastis, quæ decurtatio & illud probat eam quoque particulam, an conuexitas aliqua corporis adumbrauerit, de medio uos exemisse eadem causa. Nunc itaque suæ synceritati restituta oratio docet, non de anima me sensisse, tanquam ab illo conspecta, sed uos manifestarios esse librorum corruptores: ut taceam quàm credibile sit me feciſſe ex medio uentre ad guttur ascendentem, qui in libris meis de philosophia disputo, sedem animæ atque substantiam in corde esse, illincq; ad cætera membra ad instar solis radios emitti. Ex Aragonia quidem delecti sunt, Dominicus Ramus, episcopus Ostensis, quem postea Ilerdensem, ad extremum archiepiscopum Terraconensem, ac eundem cardinalem scimus nuper diem suum obiisse, post omnes collegas illius iudicij in quo ipse desederat primus, de cuius scientia, uita, autoritate dicere parum attinet. Cum iudicia hominum, hoc est, honores habiti testimonium dicant, Cur tu huius uiri nomen, cognomen'que corruperas, & pro eo quod erat uerum, substitueras unam literam. P. sine nomine etiam dignitatis? Nempe, quia dolet tibi Serraricum Ramum illi propinquum uirum, & literis, & dignitate præstantem, qui tunc aderat, ob id mihi conciliari, quanquam non id erat propositi mei.

Anima interdū uisa.

Libri Vallæ de philosophia. Iustar.

Digitized by Google

ſiti mei. Ex quo ut ſcias Fatue, dum eum tui ſtudioſum eſſe uis, iniuriam illi facis, domeſticos hominis titulos, quantum in te eſt, delendo. Illud quoque malitiæ malignitatiq; tuæ argumentum eſt, quòd cum nouem iudices breuiſſime à me deſcribantur, præter unum de cæteris meum teſtimonium taces, de hoc quæ pluſculis uerbis deſcribo recitas, tanquàm ſimilis in reliquis fuerim. FAC. *Franciſcus Aranda ueſtitu, & barba horridiore, quòd uidelicet renunciaſſet rebus humanis, alioqui ita accommodatur ad domos principum, quibus diu præfuerat, moderandas, ut nuſquam non & in conſultandis, & in adminiſtrandis rebus, ac maturandis primas optinuerit partes, idq; ſola naturæ bonitate, atq; ingenij dotibus citra ullam ſcientiam, ac citra ullas propemodum literas: ut appareat ex homine natiuis bonis excellenti formari potius præcepta ſapientiæ, quàm ex præceptis ſapientiæ formari hominem excellentem. In quo illud præcipue admirabantur, quòd cum quaſi pater eſſet, aut quaſi tutor potentiſſimi cuiuſq;, tam modico exiguoq; contentus foret. Ideoq; libertatis miræ ac nemini obnoxius erat. Hoc loco abs te uehementer erratum eſt bone rhetor. Enumeratio enim debet eſſe breuis, & continuata.* LAV. *Vnde probas arator eximie, hanc eſſe enumerationem? Nonne enumeratio locum poſtremum in oratione optinet, quæ Græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, hoc eſt (ut ad uerbum transferam) recapitulatio? Verſor igitur nunc ego in oratione, ut in alicuius loci confirmatione, & non potius in prælio, cum ſi hunc locum inceperim, non abre fuerit, & nomina Iudicum, & qualitates referre, ut poſteritas ſciat, quos uiros tantæ rei præficiendos ex ſuo quoſque corpore conſilia tanta exiſtimarint. Ex Aragonia quidem & reliqua. Vter ergo melior rhetor: tu qui me corripis, an ego qui te in eadem re corrigo?* FAC. *Et ſi de moribus uel uirtute Iudicum commemorare propoſitum erat, paucis uerbis id à*

Franciſcus Aranda.

Digitized by Google

te faciendum fuit. Quid enim oportebat dicere. Quem scimus nuper diem suum obijsse, post omnes collegas eius iudicij, in quo ille prius desederat? Quid oportebat dicere de Francisci uestitu & barba? Quid de rerum humanarum derelictione? Quid de eius hominis tot uerbis aptitudine, ad res principum administrandas? LAV. Quid scisciteris a me, cur ista commemorem? cum superius reddiderim causam. Nam aliter, qua ratione fas erat posteritatem scire, qui uir ac quales fuerint, qui Ferdinandum declarauerunt regem? Demens ac furiose concedis à me mores iudicum, atque uirtutes commemorari debere: & longitudinem in me sermonis arguis. Quid referri breuius potuit, quàm cum superiora, tum uero ea quæ sequuntur? Berengerius Berdesinus, quo neminem, neq; illius, neq; huius temporis, iurisconsultum in Hispania senes meminerunt, maioris autoritatis fuisse, & perinde ad tantas opes peruenisse. Ex Valentia uerò Ioannes Ferrarius, Dominus Cartusiæ, non tam scientia (erat enim in iure ciuili perdoctus) quàm conscientia optima prudentiáq;, ac grauitate singulari insignis. Vincentius Ferrarius, eius frater, ordinis prædicatorum, cuius admirabilis in concionando laus ad exteras usq; nationes est peruagata, princeps haud dubie sui temporis oratorum, duntaxat illiterate loquentium, & (si uera memorantur) miraculis clarus, & ante, & post obitã mortem. Petrus Bernardus, iuris ita peritus, ut Valentiæ nemini postferretur: uita quoq; casta & integra. Ex Catalonia autem Frãciscus Zaranda Tarraconensis archiepiscopus, cum doctus sanè in ciuili, ac pontificio iure, tum uerò ita facundus, ut ei primæ partes in eloquentia tribuerentur. Bernardus Vallis siccæ, quem non tanti faciebant, quòd in iure ciuili nulli suorum foret secundus, & in dicendo sanè admodum ualeret, quanti, quòd plerasq; causas gratis defensitaret: neq; ex patrocinijs, potentiorũ fauores, neque ex humiliorum, gloriolam captabat. Guilielmus

Gausapes,

Digitized by Google

Gauſapes, uir ut in Hiſpania literis ſatis eruditus, ac cultus, atq; ex omni Barcellonenſi populo, tum prudentiſſimus, tum ſyncerißimus iudicatus. Nonne à me uelociter iſta commemorata ſunt, ſummóq; cõpendio? Nam illa de Aranda ideo narranda paulò longius exiſtimaui, quòd nõ eadem ipſi quæ cæteris aderant ornamenta: quo ſtultius calumnioſiusq; ſubijcis. FAC. *Quid illã ſententiam interiectam? quòd magis ex ingenio hominis ſapientia, quàm ingenium hominis ex ſapientia confirmetur, quæ tota contra te eſt, cũ nullis ſapientiæ præceptis, unquàm potueris inſtitui.* LAV. *Fateri me inſipientem non recuſo, niſi tu talem te ipſe confiteris. An non te inſipientem confiteris & fatuum? qui hanc ſententiam uis improbare, cum probas, qui eã mutatis uerbis aliam facis: qui crimina uelut ſagittas ſine aculeis, ſine acuminibus, ſine pennis emittis. Nam utſit contra mores meos iſta ſententia, dum non ſit contra ipſum opus, quid attinet eam nũc exprobare? qui poſtremo ubi caput, ubi pedes habeas neſcis. Cum enim apud me ſcribatur: Delecti itaq; ſunt nouem iudices, ex ſingulis prouincijs terni: imparem eum numerum ad finiendas, uel lites, uel conſultationes Hiſpani multo cõmodiorem exiſtimant, ais.* FAC. *Quid aliorum quos enumeras? ſunt enim decem (ſi memini) non ſolum uirtutum, ſed etiam honorum ac factorum: propè omnium ad faſtidiũ uſq; prolixa cõmemorantur.* LAV. *Tam citó ne tibi Iudicum numerus excidit? Procul aberat opinor hic locus, diu uerba mea nõ legeras, aut difficile eſſet te illorum meminiſſe. At enim te excuſas, qui inquis, ſi memini, tanto inexcuſatius, tanto inſipientius factum tuum eſt: qui cum poſſis uno intuitu fieri certior, mauis rem cõmittere fortunæ. Et alioqui quid memoria, quid diligentia eſt opus? qua ratione fieri poterat, ut non cernas, quod ante oculos eſt, quod legis, quod accuſas? O admirabilem inſipientiam? & inauditam ingenij tarditatem? Vitia orationis meæ in ſcribendis iudicibus, quæ latenter*

Digitized by Google

deprehendere te iactas, nomina ipsa Iudicum, quæ à me numerantur, quæ ordine recensentur, quæ in marginibus quoq; rubrica notantur, nescire quot sint, aut dubitare confiteris. Nec pudet te uanitatis ad fastidium, usq; prolixe, ut ex Cicerone breuitatis exemplum, contra me proferas, inquiens. FAC. Habes exemplum optimum à principe artis Cicerone nostro in Pompeiana, sic enim dicit: Quod si autoribus, hanc causam Quirites confirmandam putatis, est nobis auctor uir bellorum omnium maximarumq; rerum peritißimus P. Seruilius, cuius tantæ res gestæ terra mariq; extiterunt: ut quum de bello deliberatis, autor uobis nemo grauior esse debeat: Est C. Curio, summis uestris beneficijs, maximisq; rebus gestis, summo ingenio, & prudentia præditus: Est C. Lentulus, in quo omnis pro amplissimis honoribus, summum consilium, summamq; grauitatem esse cognoscitis: Est C. Crassius, grauitate, uirtute, & constantia singulari. LAV. Quàm penè totidem uerbis à Cicerone personæ suæ, & à me meæ commemorentur, res ipsa declarat. Cæterum quis accusatoris, uel calumniam, uel inscitiam non prouideat? Cicero ad Pop. Ro. loquens in nuncupandis ijs ciuibus, qui notißimi populo essent, nõ necesse habuit, uti longiore oratione: ut ego, qui scribo ijs, quibus iudices noti non fuerunt: Iudices inquam uix, inter se satis noti, utpote diuersarum nationum. Ille ad præsentem usum contentus fuit designasse, quales ij forent, quos populus ipse autores habere deberet: quod secus in me est, qui præfatus etiam sum me posteritati hæc tradere. Ideoq; aliter cum multis alijs in locis, tum uero in Bruto facit, ubi in describendis plerisq; oratoribus multo, quàm hic ego, diutius immoratur, quæ tu pro tua singulari stultitia non cogitasti, nec quòd extra rem Sallustius, quales Cæsar & Cato, qui sententias in senatu dixerunt. Item qualis Sylla fuerit, exponit huic facto inco simillimum, ut apud Thucydidem de Themistocle fit, &

Digitized by Google

fit, & Pericle, alijsq; nonnullis. FAC. *Ille post multa uerba, quæ ad purgationem facti attinebant, dicitur intulisse coniugij mentionem, & ad ea turbato uultu regina subiecisse. Hui senex scabide, imò uero ne plura dicam, hui stulte, hui barbare, qui tam barbare loqueris?* LAV. *Thersites, quem ut corpore, sic animo prauo, atque peruerso Homerus inducit, non adeo maligne ac stolide Agamemnoni profectionem suadenti conuiciatur, ut hic mihi. Quid in sermone meo stultum? quid barbarum? quid scabidum? An non Suetonius (ne pluribus immorer) de matrona Romana in Tyberium Cæsarem loquuta, sic inquit? Ac ne ream quidem interpellare desijt. Ecquid pœniteret? donec ea, relicto iudicio, domum se arripuit, ferroq; transegit, obscœnitate oris hirsuto atque olido, seni clare exprobrata. Vnde nota in Attellanico exodio proximis ludis assensu maximo excepta percrebuit: hircum uetulum *capreis naturam ligurire. Nisi comparandam non putamus, aut in facienda iniuria personam reginæ, cũ priuatæ. Aut in patienda, personam censoris, cum præfecti, aut ipsorum uerborum atrocitatem.* FAC. *Dignum profecto risu spectaculum, si cui ridere in tali casu uacaret, & alienum periculum turpitudinemq; spectare uoluptati foret: mulieres crinibus penè passis, nocturna tantum ueste indutas, aut altera quoq; circũuolutas, magis quàm amictas, & inter eas reginam, ut dignitate, sic celeritate præcipuã, quasi primo corona currentes diuaricatasq; ad femora, irrupêre in mare penè glatiatum. Magnũ cum cæteris in partibus, tum maxime hoc loco prudentiæ, & dicendi artis documentum edidisti, Reginã à pedum uelocitate laudans. Id enim solet in primis laudibus Didonis, à summo poëta poni, & ab historicis, quos credo imitatus sis. Assidue in stultitia pficis, teq; ipsum superas dementia.* LAV. *An in laudibus reginæ reposui, quòd uelociter curreret? Rem narro. An in laudibus uersor? Admiror*

* Capris.

celeritatem, an ridco? Et quando ad exemplum me reuocas alterius reginæ, tanquam à poëta laudatæ, quasi ego secus faciam, Agnosce utra inducatur laudabilior. Hæc fugit à latebris cubiculi, & quidē celeri cursu, ne ab amatore principe stupraretur: illa quam non cucurrisse uis, haud minus celeriter adacto equo spelunce accurrit, ut illic cū principe magis, quàm amatore committeret stuprum. Atqui Dido non pedibus, sed equo insidens currit. O Vergilianum hominem? qui nefas, autore Vergilio, statuis reginas currere. Oblitus ne es, quid ille de regina Camilla Homericis uersibus dicat?

Camilla. Aenei. xj.

Illa uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Aut mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, teneras nec tingeret æquore plantas.
Aut si horum uersuum tibi non uenit in mentem, illorum certè uenire debebat.
Vane ligur, frustraq; animis elate superbis,
Nequicquā patrias tentasti lubricus artes.
Nec fraus te incolumem fallaci proferet Auno.
Hæc fatur uirgo, & pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisq; aduersa præhensis
Congreditur, pœnasq; inimico à sanguine sumit.

Aeneid. j.

Quid dicam de Harpalice? & spartana uirgine? de quarum uelocitate idem meminit, cum Dianam uenatricem faciat, & in eodem habitu Venerem, quemadmodum Homerus Iunonem ac Pallada cum in prælijs, tum alibi currentes, qualia multa sunt, apud Ouidium (quoniā de poëtis agimus) exempla: sed ut omissis exemplis rationem spectemus: Si Dido non cucurrit, num cōtinuo dabitur uitio alijs, quæ cucurrerunt? Currunt quæ timent, quæ coguntur, quibus deniq; fugere rapide, uel cōducit, uel necesse est, quale nil in Didone extitit: quod si extitisset, nimirum

Currant quæ fœminæ.

talem

Digitized by Google

talem Vergilius descripsisset. Quòd siqua unquã ratio currendi est, ea profecto est, quoties pudicitia in discrimen adducitur: Cuius integritas non fuga modo tuenda est, sed etiam morte: & eo propẽsius, quo plus est in persona dignitatis, ut celerrime omnĩ fuerit reginæ fugiendum, quia maxime erat (quod suspicandum legentibus dedi) de suo pudore sollicita. At tu prudentiæ alumnus, & me carpis, quasi sim mẽtitus: & reginam, quia prædone insequẽte cucurrerit, non incesserit, ut de Didone Vergilius ait. Pudicitia uel morte tuenda.

Aeneid. 1.

Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna iuuenum stipante caterna.

FAC. Addis aliud quoq; genus reprehensionis, nec illud minore reprehensione dignum, quòd dicis dignum risu spectaculum. Erat enim res non digna risu, sed commiseratione, uidere reginam, quam fortuna in amplissimo statu collocauerat, in tam atrocem casum incidisse. Dicendum potius sic fuit, dignum erat commiseratione spectaculum, reginam, cuius tantæ opes & dignitas fuerant, eo angustiarum & calamitatis redactam esse, ut si pudicitiæ & honori consultum uellet, uel per medium mare absq; nauis auxilio illi fugiendum esset. LAV. Antequam pro me satisfaciam, atq; etiam stultissimum cerebrum tuum me docente intelligas, qui ais illã ex summo in imum delapsam, quod planè mentiris, cum nihil admodum amisisset, ac ne timeret quidem amittere, nisi libertatem, cui uellet, nubẽdi, sed eblandita sunt tibi uerba Ciceronis ad Herennium, qui libri sunt delitiæ tuæ. Quem fortuna paulò ante in amplissimo dignitatis gradu collocarat. Et in de senectute aliquos dixerit: te propter opes, & copias, & dignitatem. Adde quòd ais, si pudicitiæ & honori consultum uellet: quasi integrum sit honestæ fœminæ, nolle consulere suæ pudicitiæ: aut si in mare penetret sit impudica, suusq; honor extinguatur. Quis te hanc philosophiam docuit, eam, ut ciuibus affertur, esse impudicam? Nos sicut admiramur, quæ maluit mortem sibi

conſciſcere ne uim pateretur: ſic illam impudicitiæ abſoluimus, quæ omnia citra mortem, imò adeo citra periculum mortis fecit, ne uiolaretur. FAC. *Adde quòd ais illam fugiſſe per medium mare, quod ne Polyphemo quidem Neptunus filio licuit, dum aut Vlyſſem, aut Aeneam perſequi uellet. Adde quòd ais abſq; nauis auxilio, quis audiuit quempiã fugere per mare abſq; nauis auxilio?* LAV. *Nũc redeo ad emendationem, dicere debui, dignũ miſeratione ſpectaculũ. Erras miſer erras. Nam ea re inquis, miſeratione dignũ, quòd illam uis ex ampliſſima fortuna eo calamitatis decidiſſe: quæ ſi non decidit, non eſt dignũ miſeratione ſpectaculum. An riſu? quid ni? cum ſciamus huiuſcemodi pericula, cũ ijs perfuncti ſumus, afferre reminiſcentibus quandam iucunditatem.* Aenei. 1. *Vnde Vergilius, – & hæc olim meminiſſe iuuabit. Quod quotidianis etiam liquet experimẽtis. Mentior niſi teſtes habeo, à quibus accepi ſæpenumero reginam ipſam familiaribus mulieribus, hunc caſum cum uoluptate riſúq; narraſſe. Eamus nũc & illam fortunã lugeamus, ex qua illi ipſi qui perfuncti ſunt rident, eaq; ferenda capiunt uoluptatem. Atq; ut hoc confirmem aliquo non quotidiano exemplo. Audi Ciceronem, cum domum ſuam euerſam conſecratamq; conqueritur. O rem quam homines ſoluti, ac cura liberati ridere nõ deſinunt: triſtiores autem, ſine maximo dolore audire non poſſunt. Publiusne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit. Cicero in tam indigna re de riſu mentionem facit: Ego in re propè ioculari ab riſu abſtinebo? etſi non planè rideo, nec planè dignum riſu ſpectaculum dixi, ut ſolita impudentia mentiris. Sed addidi, ſi cui ridere in tali caſu uacaret, & reliqua: per quæ ſatis temperaui riſum meum, multoq; magis quàm tu accuſationem tuam. Verum quid ita tibi uenit in mentem, riſum mutare in commiſerationem? An ita facit Iuſtinus in triſtiſſima Xerxis fortuna, cum inquit? Vbi cum ſolutum pontem hibernis tempeſtatibus*

Digitized by Google

tibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. Erat res spectaculo digna, & existimatione sortis humanæ, rerum uarietate miranda, in exiguo latentem uidere naufragio, quem pauloante uix æquor omne capiebat, carentem etiam omnium seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graues erant. Omnino non magis dolentibus, neque miserantibus, si utrunq; casum recte existimemus, Iustinus suum locum attingit, quàm ego meum, cum tantum res illa digna esset admiratione, quantum hæc risu. Etiam uir uerecundus, & castus, & tuo Panhormitæ similis, qui mulierum femora spectari nefas putat, adijcis. FAC. Præterea & illud odiosum, quòd reginam usq; ad femora succinctam facis. Quanto enim honestius erat, hanc partem obticere, quam exprimere turpe est? LAV. Non dicam, quod noctu, quod nemine inspiciente, præter socias fugæ mulieres, factũ est: sed quòd quanto nudatiore corpore, tanto honestius cucurrit. Nam sicut siquid interposuisset moræ domi, ut sibi uestimenta circundaret, argumentum pudicitæ fuit: ita extra domum, quo expeditius hostem euaderet, diuaricatam fugisse: quam reginæ laudem præ tuo mentis stupore, cum non intelligas, me carpis, & mordes, & in adamante caninos dentes ui exerces. FAC. Atque ita indignabundus ad cubiculum reginæ perrexit intrauitq; ubi cernens cubile turbatum, quale solet ad subitum timorem relinqui, perdicem ait perdidi, sed nidum teneo. Protinusq; depositis uestibus, ut adhuc erat tepidum, subit, ac per totum se uolutans, ac subinde spiritum per nares trahens: significabat more uenatici canis ad lustrum feræ ipso se odore delectari. Tanta ei fuit, inter maximarum rerum conatus, cura amoris, tanta etiã intemperantia, ut quod imprimis dissimulatũ oportuit, & quod antea pernegauerat, id nũc detegeret atq; fateretur. Hæc quæ dictu turpia, ac fœda sunt, breuissimis uerbis præteriri decet. Aliter enim historicus, aliter Satyricus,

scribat.

Digitized by Google

ſcribat. Satis erat id dicere, tanta fuit Bernardi impudentia, & quædam ueluti amoris rabies, ut reginæ adhuc teneti lectulo ſeſe uolutare non erubuerit. LAV. Turpiloquium meum breuiloquio emendas, quaſi quod turpe & fœdum dictu eſt, non ſit tale cum breuiter attingitur. Verum quoniam duo in me uideris reprehendere, non recuſo cenſeri, & turpiter loquutus niſi apud ſanctiſſimos uiros, hæc recitari poſſunt, ut taceam quod Græci Latiniq; memoriæ mandauerint, freti lege hiſtoriæ: & uerboſius exequutus, niſi tu quid hiſtoria, quid ſatyra poſtulat ignoras. Quid enim Satyrorum ſimile eſt? Quid diſſimile hiſtoricorum? Tu uerò melius, qui me iubes omiſſa luce narrandi paucis perſtingere rem totam, & quodammodo cæcare, ut ipſe facis qui nihil de ueſtimentis depoſitis, nihil quòd ſe linteaminibus inſeruerit, nihil cur ſe uolutaret ſignificas: nihil leporis ac gratiæ admiſces, multa etiã ſtultiſſime cõmutas: rabiem, pro cura: impudentiam pro intemperãtia: lectulum, pro toto cubili: nõ erubuerat, pro diſſimulatum oportuit. Etiam repenti lectulo, ſine præpoſitione, an dicere potueris grammatici uiderint. FAC. Educitur è profundo lacu, obſcuraq; teſtudine Bernardus, modo Siciliæ regulus, ueſte, capillo, toto corpore madenti: & hoc ut uix credibile uideatur, ex pluuia. Libera nos domine de pœnis inferni, & de profundo lacu, & de ore leonis, ne abſorbeat nos tartarus: credo id dicere uolueris. O exquiſitam eloquentiam? O dignam repaſtinatore dialecticæ orationem? LAV. Feſtiue, facete, urbane dictum, ſed cur non dignam repaſtinatione orationem? ſi impolita eſt. O inconſultum hominis cerebroſumq; iudicium? qui ſacerdotes omnes, ac utentes precatione derides ac cauillaris, quid tu Maurus & Scytha? Cuius piaculi quas pœnas luere debeas, ad ipſos ſacerdotes relego. Sed nunquid ego totã precatione utor, an duobus tantum uerbis? certe duobus uerbis. Improbe ergo totam illam precationem per deriſum mihi decantas, quæ

Ea duo uerba deſunt, etiam hiſtoriæ.

tis, quæ cur deridenda sit uelim scire. Audio enim illam nō modo quatenus me contingit, uerumetiam in alijs partibus defendere, ut te doceam stultitiam tuam. An ex ore leonis barbarū est, quod mille in locis reperitur? Aut tartarus absorbeat, quod apud Vergilium legimus? nam è profundo lacu, nec minus elegans est, nec minus usitatū: nisi fortè idcirco derides, quòd ea censes illinc me esse mutuatum, homo uerè ridiculus, quasi ego sacris initiatus sim, & illa cum sacerdotibus cantare solitus, & eo magis ridiculus, quòd ipse hoc quod obijcis admittis: inquiens. FAC. Magistrum te grammaticæ profiteris, & hæc ignoras? LAV. Quod ex illo uidetur scriptum, Magister in Israël es, & hæc ignoras? Scriptum inquam non ex particula, ut ego feci, sed omnino: & tamen nō quasi in parte, sed quasi in toto oratione peccarim, totam emēdare conaris, cum ais: Experiri libet hoc loco an posßim eloquentiam æquare, qua te omnibus præstare putas. Ego sic dicerem: Bernardus, cui pauloante propter opes & copias, & popularem gratiam Sicilia parebat, toto corpore profusus, ac penè imbri enectus, miserando conspecto, è tenebris in lucem producitur. LAV. Stultitiam hominis singularem, dum aliunde quid suffuretur, quātum id apte fiat, non laborat. Superius, ut ostendi, nō quia res postulabat, sed quia elegans sibi uidebatur, ex Cicerone uerba mutuatus est. Idem nunc facit, nam eiusdem sunt autoris uerba, exq; eodem quarto ad Herennium libro, sed ne aliena uiderentur, per te mutata: Sulpitio, cui pauloante omnia cōcedebant, & reliqua, itaq; uerba Ciceronis sunt optima illa quidem, sed quia huic rei non competunt, fiunt te recitante deterrima. Ego dixi uelociter & expedite. Bernardus modo Siciliæ regulus. Tu, Bernardus, cui paulo ante propter opes, & copias, & popularem gratiam, Sicilia parebat. Quæ uerba omnia ambitiosa, affectata, redundantia, præter id quòd impropria sunt. Quid enim magis impropriū, quàm parere homines

mines propter gratiã popularẽ? Cum gratia sit fauor studium amorq́; populi, qui opem, auxiliũq́; ferre solet, nõ parere. Ego, educitur è profundo lacu, obscuraq́; testudine, Tu, è tenebris in lucẽ producitur, nihil inquiẽs de situ loci, nisi ꝙ erat obscurus. Ego, ꝙ lacus, ꝙ profundus, ꝙ cameratus. Tu, ꝙ in lucẽ quod falsum est, nõ enim ad solẽ apricumq́; productus est. Ego, ueste, capillo, toto corpore madenti. Tu, toto corpore perfusus, plus est madentẽ esse quàm perfusum: & per singulas partes exprimere, quàm semel totum dicere. At enim addis. Et penè imbri enectus. Trãseo ꝙ prius perfusum, quàm imbrẽ nominas, quomodo imbri enectus est, quẽ imber nõ tetigit? Nec pluuia, sed aqua pluuia, quæ per cadurceos in lacũ defluxerat, tantũq́; abest ut aqua enectus, ut nihildũ læsus fuerit, & si collotenus succrescente aqua, prope erat, ut summergeretur. Ego, & hoc quod uix credibile uideatur ex pluuia. Tu pro hac arguta sentẽtia posuisti, miserãdo cõspecto uel conspectu: nã per o, scriptũ est, quod addere stultũ fuit, cũ hæc uerba istũ locũ præcedant. FAC. Qui miseranti similis propere succurri imperauit. Proxima nocte de tertia uigila summisso fune Bernardus caligis ad genua cõplicatis, nulla amictus tunica demittitur, custode, ut ualidius cõturbaret miseri cõsiliũ, urgente ad descendendũ, tanquã anxius esset, ne in fuga deprehẽderetur. Nec minus hic artẽ, & eloquentiã desidero homo desertißime, hui disertißime dicere uolui. Primum ꝙ superuacua narras, quid enim necesse est à te memorari, utrũ caligas laxas ad genua haberet, an ligulis cõtentas? & utrũ ueste amictus esset, an linea tantũ tunica? ubi breuis esse debes, lõgus es, uerborũ nõ necessariorũ multitudine, quod est cõtra artis præcepta de breuitate. LA. Paulopost de breuitate, ut promisi, satisfaciã. Disertũ me esse etiã cũ contumelia negas. Cur ita? quia dixi nulla amictus tunica, qd' tu mutas amictus ueste, quasi hæc duo nomina multũ differãt: quæ qdẽ ij, qui Aristotelẽ trãsferũt λῶπον καὶ ἱμάτιον

nil dif

nil differre uolunt. Sed ut differant, cur tunicã sentis interiorem esse, quã subuculã uocamus, quasi uestis illa esse nõ possit? dicere Horatio, Nocturnã uestẽ maculant. Et ego dixi complicatas, tu mutasti laxas: quasi laxæ ad celerius fugiendum faciant: additisti q; ligulas, quo nomine quid significetur ignoras. Nam hæc lora, quibus nunc utimur, apud ueteres in usu non fuere, Quo tempore Martialis hoc distichon scripsit, Subucula. Ligulæ.

Quamuis me ligulam dicant, equitesq; patresq;,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Iam in illo ubi breuis esse debes, prælongus es: atq; hic ego te emendaui, & quo tersius loquaris edocui: tu quomodo me emendes, doceasq;, uideamus. FAC. Præterea qua elegantia ista exprimis? Multo elegantius si sic dixisses. Proxima nocte de tertia uigilia Bernardus custodis ope confisus, per funem dimitti cœpit, ipso custode simulatione quadam pietatis, ut properaret hortante. LAV. Tu custodis ope confisus dixisti, quod ego nec dixi, nec dictum uolo. Taceo quàm disertus sermo est ope confisus, sed promissis, sed uerbis, sed propinquitate, & quæ sunt id genus. Adiutus enim ope quis dicitur non confisus. Tu per funem dimitti, siue (ut te emendem) demitti cœpit: ego summisso fune demittitur, quòd uidelicet iam erat summissus funis, & totum actum descendendi, per funem complector, non tantum principum attingo. Et alioqui pauloante sic dicitur, è fenestra turris demissurum. Tu ipso custode, ut properaret, hortante. Ego custode ad descendendum urgente, quod sua luce satis apparet. Quanto sic apertius accommodatusq; custodem, qui conscius uideri uult fugæ captiui, induci urgentem ne ipse deprehendatur, quàm hortantem, ut alius euadat, quasi ille aut non audeat, aut negligat euadere. Tu simulatione quadam pietatis, in quo uel impudentissime, uel stolidissime mentiris, cum carceris custos, non simularet misericordiam: quam tu disertissimus Scytharum Ope non confisus sed adiutus dicitur.

Digitized by Google

tharum uocas pietatem, qui est amor in deum, in parentes, in patriam, in pignora, siue (ut Cicero ait) iustitia aduersus deum sed ob acceptam mercedem simularet se illum uelle è carcere emittere. Ego, ut ualidius conturbaret miseri consilium. Horum tu nihil significas, adhuc omni conatu, uel unius loci apud me, quem indiserte appellas, uim elegantiamq; assequi nequisti: adeo si meæ sententiæ, ac tuæ in illa Critolai libra, quæ ab Homero sumpsit originem appendantur, meæ desidant, tuæ ut inanes ac leues in aërem eleuentur. FAC. *Cuius turpitudini hic quoque cumulus accesit, ut cum ad transitum notorum atq; honestorũ uirorum faciem uellet auertere prohiberetur, ne illis posteriora ostenderet. Et hic quoq; à te peccatum est, superabundantia, & turpitudinis cõmemoratione. Satis enim erat id dicere. Cuius turpitudini hic quoq; cumulus accesit, quòd in eum modum fune alligatus erat: ne à prætereuntium aspectu ora posset auertere.* LAV. *Quænam hic uerborum redundantia, quam tu diserti-simus superabundantiam uocas? Sed de breuitate & longitudine mox. Ego ad transitum notorum hominum, atq; honestorum. Tu nude à prætereuntium aspectu tollis quæ tolli non oportuit. Sed quod tollis alijs supples, quòd cum in modum fune alligatus erat. Nec plura sunt, quæ tu tollis uerba, quàm quæ subijcis & uere redundant, cum paulo ante dixissem. Ita totum diem retibus inuolutus, ac planè irretitus, tanquã Mars in adulterio Veneris, ridiculum simul ac miserandum plurimis spectaculum fuit. Sed præter redundantiam sermonis, num idem quod ego dixi, ea cum gratia dicis? Ego dixi illum prohibitum faciem auertere, ne posteriora ostenderet. Tu hoc solum, quòd ora non posset auertere, non reddita causa cur non posset: quippe nisi ob hanc quam reddidi causam poterat. Vides ut omnia quæ tollis, male tollis: quæ addis, male addis: quæ mutas, male mutas: nam quòd me turpiter loquutum uis, quia posteriora nominaui, nimirum facis*

Critolai libra.

Redundantia,

Digitized by Google

ficis ex consuetudine, male sibi conscioru̅, qui ob id sunt seueriores, ne si liberius ac simplicius agant, fateri uideantur turpitudinem suam. Vnde Horatius, Vt qui conducti plorant in funere, dicunt. Et faciu̅t prope plura dolẽtibus ex animo. Etenim podicem quoq;, nedum hominum posteriora legimus.

LIBER TERTIVS.

RESPONSIO VALLAE IN FACII *inuectiuam tertiam, quæ est in librum tertium.*

VENIO *nunc ad tertiã inuectiuam.* FAC. *Nam ubi ad ianuam regiæ peruenit, ex equo delapsus, ante ipsam ianuam genu posuit. Iterum ad aulæ ostium, tertio ad fores cõclauis, in quo rex illu̅ excepturus sedebat: postremo ad pedes regis, cui rex surgens dexteram porrexit: eamq; amplexatum exosculatumq; ori suo admouit, osculumq; mutuum dedit. Huiusmodi uitium superiore libro cõmisisti: quod quidem est contra breuitatis præceptum. Nam quod dicis, ante ipsam ianuam genu posuit, iteru̅ ad aulæ ostiu̅, postremo ad pedes regis id tribus uerbis expediri potuit. Vbi ad regẽ uenit, ad eius genua procubuit: aut sic, ad eius genua se summisit. Nec illud quoq; magis necessarium scitu erat, quod dicis illum exosculatum & amplexatum dexteram regis ori suo admouisse, cum hoc de more inferiorum sit, eorum maxime qui alieno parent imperio regum dexteras osculari.* LAV. *Accipe magister eloquentiæ quod meliores præceptores sentiant de breuitate narrationis*

Breuitas narrationis aptæ.

Digitized by Google

rationis. Cicero de oratore: Narrare uero rem quidē breuiter iubent, si breuitas appellanda est, cum uerbū nullum redūdat, breuis est L. Crassi oratio, si tum est breuitas, tum tantum uerborum est, quantum necesse est. Aliquando id opus est, sed sæpe obest, maxime in narrando, non solū, quòd obscuritatem affert, sed etiā quòd eam uirtutē (quæ narrationis est maxima, ut iucunda, & ad persuadendū accommodata sit) tollere uidetur. Illa, nam is postq; excesſit ex ephœbis, quàm longa est narratio? Mores adolescētis ipsius, & seruilis percūctatio, mors chrysidis, uultus, & forma, & lamētatio sororis: reliqua per-
In Andria Terent. *uarie, iucundeq; narrātur. Quòd si hanc breuitatem quæsisset, effertur, imus, ad sepulchrū uenimus, in ignē impositā est. In his fere decem uerbis, totū cōficere potuisset, quanquam hoc ipsum effertur, imus cōcisum est: ita ut nō breuitati seruitū sit, sed magis uenustati. Quòd si nihil fuisset, nisi in ignē impositā est, tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festiuitatem habet narratio distincta personis, & interpuncta sermonibus. Et est probabilius quod gestū esse dicas, cum quēadmodum gestū sit exponas, & multo apertius ad intelligendū si sic constituitur. Aliquando autē non ista breuitate percurritur. Non ne uidetur Cicero prope dedita opera contra te ista tradidisse, & Quintilianus? Non minus autē cauenda erit, quæ nimiū corripientes omnia sequitur obscuritas: satiusq; est aliquid narratiōi superesse, quàm deesse. Nam superuacua cū tædio dicūtur, necessaria cum periculo subtrahuntur. Quare uitanda est, etiā illa Sallustiana (quanq; in ipso uirtutis optinet locū) breuitas, & abruptum sermonis genus, quod ociosum fortaſse lectorem minus fallat, audientem transuolat: nec dum repetatur expectat. Cum præsertim lector nō ferè sit, nisi eruditus: iudicem rura plerūq; in decurias mittant, de eo pronunciaturū, quod intellexerit. Vt fortaſse ubiq;, in narratione tamē præcipue media hæc tenenda sit uia*

Digitized by Google

ſit uia dicendi: quantum opus eſt, quantum ſatis eſt. Quantum opus eſt autẽ, non ita ſolum accipi uolo, quantũ ad iudicandum ſufficit, quia non inornata debet eſſe breuitas, alioqui ſit indocta: Nam & fallit uoluptas, & minus longa, quæ delectant, uidentur: ut amœnum & molle iter, etiã ſi ſpatij ſit amplioris, minus fatigat, quàm durũ arduumq; cõpendiũ. Neq; enim mihi unquam fuerit tanta cura breuitatis, ut nõ ea, quæ credibilem faciunt expoſitionem, inſeri uelim. Simplex enim, & undiq; præciſa, non tam narratio uocari poteſt, quàm cõfuſio, & talia adhuc plura. Cernis quo temperamento ſit utendum in breuitate narrationis, qui me omnia præcidere iubes in exponendo atq; confundere? qui unus tuus error eſt. Alter, quòd ad legẽ huius breuitatis, cenſes eſſe ſcribendam hiſtoriam, quæ duo quantum differant alio loco, idem autor oſtendit inquiẽs. Hiſtoria quoq; alere orationem quodam molli iucundoq; ſucco poteſt. Verum & ipſa ſic eſt legẽda, ut ſciamus pleraſq; eius uirtutes oratori eſſe uitandas. Eſt enim proxima poëtis, & quodammodo carmen ſolutum. Et ſcribuntur omnia ad narrandum, non ad probandum, totumq; opus, non ad intuitum rei, pugnamq; præſentem, ſed ad memoriam poſteritatis, & ingenij famam componitur. Ideoq; & uerbis remotioribus, & liberioribus figuris narrandi tædium euitat. Itaq; ut dixi, neq; illa Salluſtiana breuitas, qua nihil apud aures uacuas atq; eruditas poteſt eſſe perfectius, apud occupatum uarijs cogitationibus iudicem, & ſæpius ineruditum captanda nobis eſt. Neq; illa Liuij lactea ubertas ſatis decebit eum, qui non ſpeciem expoſitionis, ſed fidem quærit. Hæc tu qui toties breuitatis inculcas præcepta, non legeras? Quid Plinium Quintiliani diſcipulum, ita ſcribentem ad Capitonem? Habet quidem oratio, & hiſtoria multa communia, ſed plura diuerſa in his ipſis quæ communia uidentur. Narrat illa, narrat hæc, ſed aliter: Huic

Lib. x. Hiſtoriæ decorum.

Salluſtiana breuitas.

Liuiana ubertas.

Plin. Hiſtoriæ & orationis diuerſitas.

Digitized by Google

pleraq; humilia sordida, & ex medio petita: illi omnia recõdita, splendida, excelsa cõueniunt: Hanc sepius nerui, ossa musculi: illam thori quidam, & quasi tubæ decẽt: Hæc uel maxime in amaritudine instantia: illa tractu & suauitate, atq; etiam dulcedine placet. Postremo alia materia, alius sonus, alia cõstructio. Nam plurimũ refert, ut Thucydides ait, inter λόγον καὶ συγγραφὴν: quorũ alterũ oratio, alterũ historia est. Aude posthac (si uidetur) librorum ad Herennium præcepta mihi repetere breuitatis. FAC. Rex sermonem intulit de sumptu domestico. LAV. Totam ad literam subijcit ex historijs meis orationem, quod ne hic ego faciã, inducor, ne longior sim, cũ conetur illam labefactare nugis, & nænijs tantũ, ut à me paucissimis ei sit respondendũ. FAC. Nihil incõueniẽtius dici potest, q̃ huiusmodi conquestio huic loco, & tempori, rhetorũ egregie. Nihil enim minus uerisimile, quàm quòd rex prius penè, q̃ regni habenas susceperit & cognouerit, qui iuste qui'ue iniuste aliquid de regio patrimonio teneant, diminuta regni membra, & procerum opes nimias queratur. Tunc enim primũ ingressus erat regnũ, antea sibi ignotũ, & inaccessum. LAV. Prius penè, inquis, q̃ cognouerit: Cognouerat igitur qui iuste, qui'ue iniuste aliquid de regio patrimonio tenerent. Hoc cũ ita sit, Cur nõ est uerisimile imminuta eum queri regni uectigalia? Atq; iterũ negas, inquiens, tunc primũ ingressus erat regnum antea sibi ignotũ. Quanquam quomodo antea (& si hoc nihil ad rem) quomodo tunc sibi ignotum? qui diu uicinum Castellæ regnum pro rege administrasset, qui ad auunculum consobrinumq; reges in Aragoniam, aliquando uenisset, qui ad fines regni, & intra regnũ tanto iam tempore de causa sua decertasset, iudicijs, studijs & armis, ut à me refertur, qui iam altero anno regnat. Etenim (ò sine patrimonio natum, nescio an etiam sine matrimonio) quid prius ille debuit exqrere, quàm uires patrimonij sui, quod

primum

Digitized by Google

primum solet esse in rebus humanis, suarumq; facultatũ? Quis enim ex magistratu aliquo, aut procuratione sibi commissa, ac nondum commissa, non ante omnia, uel per se, uel per alium de prouentibus exquirit: nedum rex, cui belli pacisq; ratio constare debet? FAC. Sed ab hac sententia mox non recedis, sed cades, non negans illum uires suas scire potuisse. Qui si scire potuerat, tam breui spatio, qui nã iniuste possederunt illud, à te prius ostendi oportuit, ne rex auaritiæ, simul & iniustitiæ, iure accusari posse uideretur. LAV. Istud etiam ego satis abundeq; ostendi, & sua sponte credibile est, & pluribus ostendi non oportebat, quàm ipsius regis oratione. Verum quis te docuit circunspecte solersq; orator, cum proponas de coniectura, rationem reddere de qualitate? Cur enim prius ostendi à me, uis oportuisse scisse illum, uires patrimonij sui, & qui illud iniuste inuasissent? nempe ut credibile esset eum de spoliatoribus suis esse conquestum: hoc ad cõiecturam pertinet. At nisi hoc ostendam uideri ais, illum auare iniusteq; fecisse. Hæc ratio non coniecturæ est, sed qualitatis. Age uero, ut sequar absurditatem rationis tuæ, & tibi de qualitate respondeam: quid mea si ille auare, & (quod superuacuo addis) iniuste fecit? Nunquid panegyricum, an gesta qualiacunq; scribo Ferdinandi? Et tamen quid est, cur ille posit ex uerbis meis iure accusari? Nempe quia ais. FAC. Quis uero dicat eos, qui emerant, iniustos possessores esse? Egregia ratio, & Iurisconsultis probanda, ut quisquis emerit, quomodocunq; emerit suum sit. LAV. An ignoras, cui in rem competat actio, & cui rei uendicatio? Consule ius ciuile, & intelliges quantopere erres. Nec prodest tibi, quòd Ciceronis uerba mutueris, licet ea tuo more corrumpas. Rex meam pecuniam habeat, ego rem suam nullam habeam? An eadem causa est eorum, qui rescissa lege, & qui rescisso iureiurando? Nam de rege nemini licere, quæ regni sunt

Digitized by Google

emere ſancitum eſt, quin etiam paruula mercede, aut nulla, aut uſuris ſortem ſuperantibus, aut rapina, aut furto patrimonium regis ſuũ facere, & eorũ de qbus ſic Cicero ait? Tabulæ uero nouæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundũ, eũ tu habeas, ego nõ habeam pecuniã? FAC. Tranſis poſt hæc de grauiſſima cauſa ad leuiſſimam, de iure patrimonij regij recuperandi ad modeſtiam ſermonis. Præterea præſente comite Lunæ cui comminari uidebatur tali querimonia. Nequaquam ſapientis regis uidetur eſſe, quinetiam ſi ab illo uſurpatũ fuiſſet, diſſimulandũ à rege, illo præſente, erat. LAV. Nõ ſentis homo præpoſtere, te intellectum rerũ naturæ peruertere? Rex enim laudauit adoleſcentem conſobrini filium, & ad illius exemplũ uelle ſe ait recuperare ſua. Non ergo minitari uidetur, nec ſignificare ſe aliquid ab illo, tanquam male poſſeſſum recuperaturum. Nam longe aberat iſta ſuſpitio. FAC. Nec uideo quâ, niſi per inſaniæ ianuam iſtud tibi in mentem uenire potuiſſet. Quare totam iſtam cõqueſtionem, ut ineptam, & nemini probabilem reijciendam puto, ut taceã rationes leuiſſimas, quas aſſerentem grauiſſimum regem facis: cur qui emerint iniuſte poſſideant? LAV. Etſi fatuus es, nõ tamen malitia cares, qui ea quæ confutare non potes, uis credi nolle ueluti manifeſta confutare. FAC. Cum ad conſpectũ regis uenit, in anguſta ſedentis ſella, extra iactũ lapidis: ex equo deſcẽdit, genuq; poſuit, paulumq; progreſſus iterum adorauit, tertio nõ procul ab rege cum adoraſſet, nec rex aſſurgeret & reliqua. Hic eſt ille creber error tuus, qui nõ intelligis, quàm ſit iſta locutio breuitati contraria. LAV. Fateor me, fateor & hic, & alibi erraſſe, idq; autore, Cicerone, Quintiliano, Plinio. Verum prælonga locutio mea liquidius apparuiſſet, ſi hæc quæ ſequebantur ſubdidiſſes. Nullumq; dum ſignum clementiæ in uultu oſtenderet, erumpebant omnibus lachrymæ, gemitusq;, ac ſingultus, cogitantibus, quæ

ex ſpe

ex spe, & in quam recidisset, cui genua summittenti ad pedes sedentis in regia sella, paulo ante competitoris in tanto procerum amicorum cœtu, ne salutationem quidem, aut clementem uultum impetrare fas esset. Cum præsertim regis Petri filia, eademq; matertera, ad pedes sororis filij aduoluta, muliebribus precibus ueniam marito precaretur. Hoc est, hoc est peruersissime nebulonum, cur semel iterum, ac tertio fuit dicendũ? Quid ne intelligi posse orationem unde legitimum finem præcidisti? FAC. *Sed aiunt eum qui creatus est rex posse sibi suapte autoritate tribuere illam dignitatem. Hæc est recepta hominum opinio. Magnam præ te fers hoc loco prudẽtiam: primum, qui non uides te lõgius progredi, quàm oportet, & à suscepta narratione de equestri dignitate disputãdo diuertere.* LAV. *Quid est contra breuitatis præceptũ? Neq; è materia digressus sum, & si digressio appellanda, certe breuissima est: & si longior foret atq; frequentior, id in historia fieri permittit ars, non quidem ista, cuius toties mihi præcepta decantas (quanquam ne ista quidem uetat) sed altior atq; perfectior, de qua superius dixi. Volo hic reprehendere, quod proximo libro nolui, tanquàm tunc parum apertum, quòd præ te ferre prudentiam, male accipis. Cuius significatio est ipso ore ac tacito uultu fateri, aut certe non negare animi affectũ habitumq;: Interdumq; ipso genere uerborum, ut Cicero in oratore: At fortasse cæteri rectiores, ego semper me didicisse præ me tuli. Et in Philippicis, Tamen ei me debere præ me semper tuli.* FAC. *Secundo autem loco eam dignitatem uituperas, quæ semper magno in honore fuit, nec eam modo dignitatem, sed etiam ueteres, à quibus instituta est, contẽnis. Taceo explanationẽ, quæ qualis sit, nemo non uidet.* LAV. *Demus, ut quia dixi hanc dignitatem, si hoc nomen meretur, eam à me uituperari. Vnde probas magno fuisse semper in honore, & à ueteribus institutam? quibus*

Præ te ferre prudentiam.

Equitum quæ dignitas.

Digitized by Google

ueteribus? An miles ille glorioſus apud Plautum. itemq; alius apud Terentium huiuſmodi fuit? ſed hæc apud Græcos exteros q;. Quid apud Latinos? Num Camillis, Fabijs, Scipionibus? num deniq; Cæſaribus, hæc dignitas cognita fuit? Quid Iuſtinianus? cuius temporibus Romanũ uacillabat imperiũ? Num in iure ueteri enucleando? Num in ijs, quæ addenda exiſtimauit ullam de iſtius modi militum dignatione facit mentionẽ? Num cæteri qui ſcriptũ aliquid reliquerunt? Et nõ pudet uos, qui uetera noſſe uideri uultis, affirmare hanc tũc (ſi dijs placet) dignitatem extitiſſe. Quod autẽ explanationem culpatis, nullo certo uitio obiecto facitis, p more ingenioq; ueſtro. Præſertim quòd nunquam diſceditis à libris Ciceronis ad Herennĩ ſcriptis: uix ut ipſe autor fatetur Cicerone dignis. FAC. *Diſpoſita itaq; re familiari, conditoq; teſtamento, occluſis oſtijs, ac feneſtris domus, extincto igni ſedentibus in pauimẽto uxore & filiabus, proſequentibus aliquãtulum collegis, ac cæteris, uelut damnatum deſtinatumq; inſpectantibus, ac miſerantibus ad regiam pergit. Credo nunq; præceptum ullum de ijs quæ ad breuitatẽ narrationis, pertinent uideris: tam frequenter in eo peccas. De quibus ſi nihil unquàm traditũ eſt, tamen ſi quid ualeres ingenio, iudicares iſta ſuperflua eſſe, quæ narras. Quid enim opor-*
Ironia. *tebat ſciri? utrum extincto igni, an excitato? utrum ſedentibus uxore, & filiabus in pauimento, an ſtantibus in balneo? Is de quo loqueris ad regem ſe cõtulerit?* LAV. *Dij deæq; quacũq; ex materia facti bene faxint tibi, belle præceptor, tam grauiter prudenterq; me admones, ut à magiſtris meis, qui nihil ſcire docuerunt, aut potius dedocuerunt recedam, Cicerone, Quintiliano, Plinio? Verum, ut fatear, hoc mihi uitium eſt, ut nunquam me prolixitatis accuſes, quin prolixius mea uerba repetere libeat. Itaq; ſequitur. Iam magis ac magis tumultus inualeſcebat, iam uulgus paſſim fremere audiebatur, & ſe inuicem*

acuebant

Digitized by Google

acuebant. Nec exhortatores ex primoribus usquam deerant. Quare mi præceptor animaduerte quid agas: cũ me breuiorẽ esse uis, longiorem reddis. Illud quoq; uelim me edoceas, Cur in rebus quæ, nec duæ, nec contrariæ sunt dicas, utrũ, quasi nõ possent, alio in loco esse illæ fœminæ, quàm aut in pauimento sedẽtes, aut in balneo stantes? FAC. Præterea quis credat tantum terrorem, & metum huic homini iniectum, quoniã à rege uocaretur. Propter tumultum à plebe excitatum præsertim, à quo ille abfuisset. LAV. O te uino ligustico temulentũ? Propter tumultum ne excitatum hic uocatus ab rege est? An propter hunc uocatũ tumultus excitatus est? qui esset princeps senatus, ut ex uerbis apparet, quæ nõ repetij. Edormi igitur (ut Cicero in Antonium inquit) crapulã, exhala. Quid ergo metuebat? Nempè ne se, qui pro sua dignitate causam publicã, & defenderat aduersus regem, & defensurus erat, ille ad terrendum contumacem populum, mulctaret, atq; interimeret: quod adeo regibus usitatum est, ut frequentius à montibus, quàm à muris incipiant. Ideoq; stulte subijcis. FAC. Num ad leonem? num ad tigridem ibat? LAV. O rerum imperitũ? Quid irato truculentius rege? quem populi, quem nationes, quẽ armati exercitus pertimẽt. Sed uideo, ut es religiosus, famæ regis cauere uis, inquiens. FAC. Non uides regem truculentiæ, ac feritatis à te latenter accusari, qui erat humanissimus? cum non plus timoris, & desperationis ostendere potuisset, si regem occidere, uel prodere conatus esset. LAV. Stolidè (qui tibi putas bene cedere mendacium.) Vnde probas illum fuisse humanissimum? Hoc tu ut me refelleres finxisti ad tempus. Ego qui diligentiũ me mores Ferdinãdi regis exploraui, ita in fine libri tertij scripsi. In contumaces nocentesq; uehemens, sed erga eos qui alle garent necessitatem, paupertatem, morbum, ætatem, aliasq; misericordiæ causas clementissimus. Sed fac minus seuerũ: quid ni

timeat qui sciat regem ira percitum, & se unum uocari, quasi principem senatus, ducem populi contumacis? cuius unius lege cũ populo decidat. O te extra humanos sensus positũ. Omnis ciuitas, quòd uelut regem inuasura, ad arma discurrit, nullo an aliquo timore fecit? Cur tantopere trepidabat? Quid minabatur illo die? si in principem populi male consultum esset, neminem eorum, qui cũ rege essent incolumes fore? Adeo nõ minor in armata ciuitate, quàm inermi ciue significatio timoris, pro huius uita erat? Ignoras ne hæc ita gesta esse? Atqui non debes ignorare, cum à me narrentur. Non credis uera? Atqui scisciscitari potes, eos qui interfuerũt propè innumerabiles. Falsa esse probare uis: testibus conuince, nõ nugis. Sed quid hæc? Videris enim concedere, ita rem se habere cum ais, regiæ hoc truculentiæ, ac feritatis argumentum esse. Libentius te de piscatoribus loquentem, sutoribusq; audirẽ, quàm de regibus ac ciuitatibus, quasi uero non plurima sint exempla, uel popularis, uel castrẽsis seditionis aduersus regẽ ducem ue iniustæ, & ob hoc ipsum concitatæ, quòd ais, quòd in aliquem sontem uellet animaduertere. Non repetam longius exempla, & quæ fortasis ignores, sed quod ad manũ est, quodq; legisti in primo libro historiarũ mearum. Ipse idem Ferdinandus in Satanilliano bello decurionem, qui multis hominibus interfectis fidem publicam læsisset, subijcere pœnæ nõ potuit, simili quadam seditione impeditus. FAC. Satis itaq; id fuerat dicere. Ceuillerius cum à rege uocaretur, rebus primum compositis ueritus, ne per iram rex in se male consuleret, in regiam profectus est. LAV. Recte tu quidem & probe, sed Ciceroni cæterisq; prudentibus hrcuitas ista non placet, ac minime probatur. FAC. Vbi peruenit Ceuillerius ad ianuam conclauis, ubi ab rege expectabatur, pulsat ianuam, nam ministros in prima aula (ut moris est) reliquerat. Ianitor semiaperto ostio, quis esset interrogat: an Ioãnes Ceuille

uillerius? hic aliquid fauoris ex nomine magistratus acquirere uolens Consiliarius sum, inquit, ciuitatis. An Ceuillerius? ciuitatis inquam consiliarius. Respondeo, an Ceuillerius? Respondeo, quòd consiliarius. Respondeo quod rogo: nam alium quàm Ceuillerium intromittere iußus non sum. An me intromittas, an excludas in tua est manu? Ego consiliarius unus, sed pro omnibus sum. Idcoq; parui refert, interrogare de nomine. Hæc cum ille ad regẽ detulisset, Aperi rex, inquit Ceuillerio. Ex pertinacia enim se Ceuillerium esse confitetur, & contumaciam, qua mecum usurus est in uerbis, quæ dixit hactenus, præfert. Ecce alterum errorem insigniorem tuum cõtra breuitatem. Nam si reprehendit Cicero qui dixit, aut dicat. Accesi ad ædes, puerũ uocaui, respondit, quæsiui dominum, domi negauit esse, quanto magis reprehendendus es tu, qui eadem repetis, & replicas sæpius: cũ id dici elegantius his pauculis uerbis potuerit? Vbi Ceuillerius ad ianuam cubiculi peruenit, Ianitor quis esset interrogat: ille se consiliarium ciuitatis esse respondit. Cum autem ille nomen inquireret sæpius interrogatus, nunquam se nisi dignitatis nomine appellare uoluit: tanta fuit hominis, siue cõstantia, siue pertinacia. LAV. Cur tu qui Ciceronis in rhetoricis affers exemplũ, non alterius in libris de oratore meministi? ut iucũda, ut uenusta, ut ad persuadendũ sit accõmodata narratio, distincta personis, & interrupta sermonibus. An idem tibi uitiũ uidetur, in meis, & in his, quæ reprehendit Cicero uerbis? an maius, an tantũ, peruerse atq; impudens? qui me sæpius eadem repetere planè mẽtiris. Quæ ego longius, etiã quàm tu feceras, ubiq; dolo utens in recitando persequutus sum: ut appareret à me uenustati, pbabilitatiq; inseruitũ. Quòd si tãtopere tibi amica est breuitas, q te stupor tenet ut nõ intelligas, nõ attinuisse narrare acceßum ad ianuã, interrogationẽ, respõsionẽq; sæpius repetitam, præsertim nõ reddita ratione? Cur nomẽ & ianitor

inter

interrogaret, & consiliarius celaret: cum satis fuisset, feciſſe hominem ad regem qui expectabat introgreſsum? Afferrem in finita ex Cicerone huius generis exempla, niſi uererer longius eſſe, & id Terentianum, quod ille attulit satis esset abundæq;. Hæc pro me, illa contra te. Primum quòd nulla, nec constantia, nec pertinacia, ſi quis ſæpius interrogatus quis ſit, non neget unquam reſpõſum, ſed nomine magiſtratus ſe appellet. Deinde quòd ais: Ecce alterum uitium, quaſi non niſi ſemel hoc pro uitio ſuperius obieceris. Tertio, quòd inquis illum ſe appellaſſe nomine dignitatis, quaſi ſe is aliter quàm conſiliarium nomina uerit: quod non dignitatis, ſed hominis dignatione præditi nomen eſt, ut conſul, prætor, tribunus, cenſor, ſenator: ut conſulatus, prætura, tribunatus, cenſura, non hominis eſt, ſed dignitatis nomen: & ſenatus, conuentus ſenatorius: ut conſilium, interdum conuentus conſiliariorũ, qui idem ſunt ſenatores, quo nomine ſe nequaquam hic appellauit. FAC. Verum hæc duo uitia magis ſunt uerborũ, ſed cõmodius hic quàm ſuperiori libro, quia apertius reprehenduntur. Num afferam è regno patris mei, non ex alijs huius ætatis exempla? Certe Lacedæmonij apud quos bini reges erant, & magis perpetui conſules q̃ reges, ita parum in urbe multum in bello poterant, uoluerunt illos huius cõtumeliæ exortes eſſe. Taceo gentilia: quis unquã Hebræorum regũ aliquem uectigal audiuit perpendiſſe, & nõ potius regi uectigalia eſſe penſitata? Non id nunc poſtulo ut mihi illa penſitẽtur, quanq̃ & poſſem, ſed ut regiæ dignitatis ratio conſtet. Exempla placent, ualidiſsimo inniteris argumento, Lacedæmonij, & Hebræi nullũ uectigal ſuis populis pendebant. Igitur omnes reges à uectigalibus immunes ac liberi eſſe debent. Recta cõcluſio, ſi dixiſſes ſuperiores reges Aragonicos non eſſe ſolitos uectigal pendere, conſequens erat quòd nec ei quoq; ſoluendũ uectigal eſſet. Nunquid qua lege unus, aut duo

non

non tenentur, cæteros omnes solutos esse dixeris? Si hac conditione regnum acceperat, ut maiorum leges seruaret: & maiores ea uectigalia pensitarent, intusiũ regem facis, qui leges nõ seruet, quibus erat obstrictus? Si uero nulla lege tenebatur, ostẽdi oportebat, non esse soluendũ. LAV. Taceo quòd idem uocas argumentũ & exemplum. Taceo quòd rursus unã rẽ duas facis, cum nullum hic adsit argumentum, sed exempla. Taceo, quòd ubi dixisti recta cõclusio, addidisti consequens erat. Quis te cogitari potest, fingit ue stultior, ac negligẽtior? Non ne in superiore Ferdinandi regis oratione, itemq; in proxima memoratur, paulo superiores Aragoniæ reges comitesq; Barcellonæ, non modo nõ pensitasse uectigalia: uerumetiã exegisse, cui páq; quorundam regum, huc indignitatis deuentum, rescisis legibus uiolatoq; iureiurando, quas leges iusq; iurandum restituere rex Ferdinandus in integrum nitebatur: & tu morionũ uecordissimus sic loqueris, quasi rex pro se nihil in tanta lite afferret. Nec minus stulte subijcis, FAC. An nescis alijs regibus, plus licere in populos, alijs minus. Esse quosdam populos immunes à tributis, esse alios qui grauia persoluãt? LAV. Scio alijs regibus plus licere in populos, alijs minus, quod nihil ad rem. Illud nescio, alijs populis plus, alijs minus licere in reges, quo de agimus. Scio item esse populos alios uectigalium immunes, & alios non immunes. Nam de tributis somnias. Illud nescio, reges esse qui uectigalia populis an tributa persoluant: Hoc tu me doce gregis patrone, ab regis patrone dicere uolui. Licet ne mihi tuis uerbis in te iocari hominẽ, nec iocis, nec serijs aptum, ut prudentius ille efferato ingenio Polyphemus cũ duce gregis ariete loquutus sit, quàm tu gregalis, atq; gregarius, cũ omnibus loqueris. FAC. Si æquum est, ut iusta regi soluantur: Cur iniquũ fuerit reges, quod debent populis persoluere? LAV. Hanc orationẽ, uel Polyphemus ipse damnaret.

Nam

Nam ut taceam, quòd duabus orationibus probatum est, nihil seruitutis debere populo regẽ, quid hoc aliud est? quàm si quis dicat: Si libertus patrono præstat operas, quas æquum est: cur iniquum sit patronũ præstare uicißim liberto operas? dominus seruo obsequium? pater filio reuerentiã? rex populo uectigalia tributáq; debeat? Ille uero nihil aliud populo debet, quàm munus suum, iustam legitimamq; gubernationẽ. Itaq; eius est, non parêre sed iubere: sicut populi nõ imperare, sed obtemperare. Quæ duo officia, ubi promiscua sunt, ambo pereunt. Plurima in hanc rẽ dici queant, sed paruo conatu opus est, ad imbecillũ prosternẽdum. FAC. Iuste itaq; regem loquentẽ facis. LAV. Imò uero iustißime & fortißime, tu potius, tu pro aduersarijs regis in ipsum peroras, cũ pro eo loqui uis regiæ causæ defensor, FAC. Ad quod quidẽ nulla te historiæ lex cogebat. Vitia in oratione nõ tribuuntur, sed tibi sicut ars & elegantia, non ijs qui loquuntur, sed historiographis, à quibus orationes cõfectæ sunt, dari solent. LAV. Agnosce q̃ improprie, inculte, laxe, loquaris. Sic enim dicere debueras: Vitia orationis ut uirtutes, nõ ijs qui loquentes reducũtur, sed scriptoribus tribuũtur. Sed quo modo intelliges quid loquaris? Esto rex quid loquutus sit iniuste, insipienter, ignaue, nunquid cõtinuo uitia orationis erunt, hoc est, protinus historico assignabuntur? Num omnes reges fuere sapientes, atq; moderati, & nõ sæpe loquẽdo peccauere? Et ais, ab historiographis cõfectæ sunt orationes, quasi idem sit cõfectæ quod fictæ. Omnes ne cẽses tui similes, in historia mẽdaces, atq; impudẽtes? Nulla ne oratio apud historicos uera est, dũtaxat in sensibus? Omnes ne illorũ ueræ orationes, quorũ acta scribũtur, in falsa sunt à scriptoribus cõmutatæ? O dignũ qui ab historicis cũ tuis mẽdacißimis historijs uiuus exuraris? Nã quod ad meas attinet, extat apud Catalanos in publicis monumẽtis, omnis hæc inter regẽ populumq; controuersia, ut scias

ut scias ex maxima parte esse, & uerba mea, & sensus ueritatis.
FAC. Quibus rebus cũ uos tantopere aduersamini, quid aliud nisi cupidos uos esse significatis nostræ turpitudinis, dedecoris, infamiæ sine ulla uestra, si saperetis, laude et dignitate? Nec minus hic quàm cæteris in locis, tuã requiro prudentiã, qui turpitudini regi esse dicas & infamiæ, si uectigal pendat. Vtrum infame & turpe regi? an populis? qui uelint regẽ uectigal pendere, quod nulla culpa, nullo regis uitio admittitur, id regi turpe, & inhonestũ argues? Turpitudo, & infamia est eius qui infert, nõ qui patitur aliquid indignũ. LAV. Dij te tuique similes omnes omnibus malis exẽplis perdãt, ita præposterus es, ac uecors: qui (quod uix asperrimi Stoicorũ audeãt) ais: dedecus turpitudinẽ, infamiã, nõ patientẽ, sed facientẽ lædere. Si me uulneres, si torqueas, si trucides: nõ mea erit pœna, sed tua. Itẽ si infames, ac dehonestes tua, nõ mea erit infamia, ac ignominia: sicut ecõtrario laudatio, & gloria. Nã quod Aristoteles ait honorẽ esse in honorãte, nõ ita sentiendũ est, quẽadmodũ uulgo dicitur, ut honor sit honorãtis, nõ aũt honorati. Nam est utique honorati, sed quòd est in manu & in arbitrio honorãtis, ut illũ tribuat. Etenim qd magis à sensu cõmuni abhorrẽs? qd magis respuãt aures? Quid à regis et populi uel oratiõe, uel opinione alienius? q infamiã eius esse, qui illã inferat, nõ q patiatur iniuste, & pro nihilo, proque nõ male ducere, quãtacũque se iactura, infamia, iniuria, affici, dũ sciat se illa dignũ: cũ soleat hoc ipso acerbitas doloris ĩcrescere, q iniuste patimur, ut apud Quintil. Innocẽtia opus est, ut miserũ faciat dolor. Sicut ediuerso decrescere, quòd iuste: ut in eodem loco apud eundem. Nescit profecto, nescit quantam patientiam parent mœrori, quantũ animo membrisque rigoris inducat, quod patiaris agnoscere. Hoc nihil ne cogitari quidem dici ue stultius potest, nisi quod sequitur. Præcipue ei qui patitur, nõ liceat eã indignitatẽ iure repellere.

Dicit tamen patientem aliquid indignum.

Si non

Si non licet iure repellere, quo pacto indignitas est? & tamen quis est, qui infamiam, dedecus, turpitudinẽ, quæ iure ac merito patiatur, non propulsare studeat? quæ à quocunq; illata, cũ grauia sunt: tum uero ab his à quibus minime decuit. Ideoq; rex queritur, talia quædam à populis suis, quasi ad hoc incumbentibus pati. Multa mihi suppeditaret oratio, si stolida hominis uerba exagitare pergam. FAC. *Fac igitur reges sapienter & iuste loqui, ac dicere quæ illis conuenientia & decora sint, si uis laudem ex scriptis tuis assequi.* LAV. *Si non omnes reges sapientes & iusti fuerunt, quomodo omnes sapiens & iusta decet oratio? Licet hæc oratio, tam sapiens & iusta est, quàm tu iniquus, & fatuus.* FAC. *Quæ facta sunt narrari oportet, quo ordine facta sunt. Quid attinet hic de ordine loqui, tametsi nõ eodem semper quo gesta sunt ordine narrantur? Quæ uere dicta ab historico, componi poßunt?* LAV. *Egregiũ præceptũ, ut semper in orationibus mentiamur, quod quia tu semper facis, uel uoce, uel scriptis, reris id aut consuetum, aut æquũ cæteris facere.* FAC. *Sed quis expectet à te regem moderatũ & iustum induci, qui ipse immoderatus, præceps, inconsultusq; sis? Expectemus ergo regem loquentẽ, quæ non dixit, mẽdacia loquentem abs te induci: qui ut constat mendacißimus es, cũ nec ullum delectum rerũ in oratione tu habeas. Ego uero delectũ habendum censeo, inter probos & improbos reges: qui apud te omnes sunt probi, quod fieri nequit, & tamen, quod monstri simile est, mendaces. Neq; enim potest quis dare, quo ipse careat. Quomodo ergo das orationem mendacißimã regibus, nõ mendacibus? & ut tu fateris iustis ac sapientibus? non magis, quàm ego digito poßim cœlũ tangere.* LAV. *Scelerate, ut tuo similis Panhormitæ, pro cœlo aliud scripsisti, prioris syllabæ uocalem, pro tertia ultimam, licet docti nõ una, sed duabus scribant, alij per æ, alij per œ ἀπὸ τοῦ κοίλου. Vide uita peßima*

Cælum. Cœlum. Culum.

quid

quid facit? Nec ego deprehendissem, nisi trito sermone, te cœlũ uelle dicere: at tu cũ cœlũ nominare uis, baratrũ nominasti, locum profecto digito tuo dignũ, atq; adeo lingua, nam tuis digitis cum scripsisti, & tuæ linguæ cũ protulisti, adhæsit.

FINIS.

LIBER QVARTVS RECRIMINATIONVM LAVRENTIJ VALLÆ IN BARPTOLOMÆUM FACIUM, & ANTONIUM PANHORMITAM, IN QUO RESPONDET AD OBIECTA IN MORES, AC RELIQUOS LIBROS SUOS.

HAS, *ut spero, historias nostras, & nonnihil præter historias ab infanda teterrimorũ accusatorum calumnia defendimus: reliquũ est, ut quæ aduersus cæteros libros meos, ac mores effuderunt, diluam: non seruato ipsorum (qui nullus est) ordine: nam nunc in mores, nec eos distincte ac dispositè, nunc in libros, atq; iterum in idem redeuntes inuehuntur. Tametsi quæ in uitam meam euomuerunt plus furoris habent, quàm roboris, uix digna, quibus respondeã: qualia uulgo à procacibus petulantibusq; in quemuis obblacterari solẽt, me imprudentem esse, qui nec alios, nec meipsum cognoscam: impudentem, qui mihi nimis arrogem: temerariũ, qui alios carpam, & quæ sunt id generis. Quorum quæ nixa esse aliquo testimonio uidebuntur, refellam. Et ante omnia satisfaciendũ illi loco, qui superiori materiæ finitimus est ac præcipue coniunctus, & totius huius tragœdiæ fomes: de quo me promisi dicturum, quòd Antonium Panhormitam uideor lacessisse, causamq; præbuisse, ut is in superioribus magna, hic maxima ex*

Panhormitæ simultas.

Digitized by Google

parte suũ in me uirus euomeret. Nam & testibus exquisitum habeo, & ipsa quæ Barptolemæo ignota erat materia (ut postea ostẽdam) indicat hunc pariter aduersus me cum Fatuo scripsisse. Scribunt igitur. FAC. Quoties ego te uidi, legente Antonio Panhormita eruditißimo uiro Liuium, apud hunc excellentißimum regem nostrum, cæteris qui aderant per summũ silentium audientibus, illum à te interpellari, & molestas disputationes à te inferri, nec tempori certe, nec loco consentaneas, ut sæpe miratus sim tam patientes esse regis aures, quin te sublimem rapi, ac loris cædi, tanquam loquacem ac molestũ interpellatorem iusserit. LAV. Antequam accusationi respondeo, quia se eruditißimum Barptolemæi uerbis Antonius appellat, ostendam ex hoc ipso loco, quàm sit uterq; eruditus, & qui laudatur, & qui laudat. Nam (ut dixi) ambo scripserũt. Primum te unde regatur, non habet: siue superuacuũ est. Deinde insuetum est apud oratores historicosq; tale sermonis genus, quoties ego uidi legente Antonio, à te illum interpellari: cum dicendum sit: Quoties ego uidi Antonium legentẽ à te interQuin. pellari? De quo in elegãtijs præcepi. Postremo, quin pro, quòd non, positum est. Respondeo nunc accusationi. Miramini quòd non iußus sum rapi, & loris cædi, quia legentẽ interfatus sum. Et quis hoc tempore legit? Certe ego, non tu Antoni. Centesima lux est, ex quo ab rege sibi aliquot libros prælegere iußus sum: Interq; legendum multa ab eo, multa ab alijs, uel magnis uiris, uel maioribus proposita, ut tibi sæpe contingebat, soluere soleo, multo quàm tu doctius, adeo quantum intelligere poßumus, nihil illi iucũdius cadere solet, quàm quoties lectio cũ erudita aliqua quæstione transigitur: siue ut aliquid discat, siue ut admirabile ingenium, quo nullum cognoui præstantius, admirabilemq; rerum copiam, quas expertus est, ostendat. Nihil enim gratius apud optimas mentes est, quàm res egregias cum gloria

Digitized by Google

gloria, uel discere, uel docere. Non est igitur iniustum, non insuetum, non regi, non mihi ipsi legenti molestum, aliquem auditorum interfari. His ego de causis uoluntati regis, seu uoluptati, nonnunquam quum lectioni adsum, inseruio. Neque uero uos improbissimi potestis, usqueadeo tegere lumen ueritatis, quin illud per obstantia erumpat. Vestra oratio satis docet, quid de me sapientissimus rex iudicarit, qui interpellantem, si uobis credimus odiose ac molestè, tamen patiēter audierit, tantum etiam non addidistis, etiam libenter. Cuius quod sit de me iudicium, uel ille dies indicio est, cum ad eum ignorantem scripsi, animal, quod ei dono datum esset, castorem esse. Multi enim multa dicebant, idq; testimonijs probaui, sicut aliquot antea annis de capite Crocodili feceram, quod Panhormita draconis, apud illum esse asseuerabat. Velim autem oratos, qui hæc legent, ne iactantiæ gratia ista me loqui existiment, sed necessitate. Non enim inuidiosa est, de se laus, quæ nihil aliud quàm pestiferæ infamiæ medicina est. Planè inquit cunctos, qui mecum sunt, Laurentius, ut facundia, sic scientia antecellit. Quæ uerba illustris uir Simon Corellia Valētiæ præses gratulabundus ad me detulit, cum in magno hominum cœtu essem: quare non est, quòd regium mihi nomen opponas, quod causæ meæ fauorem, non odium parit. At cur non fileo, ut cæteri faciunt? Ego uero facio, & quidem plus cæteris. Nam si nemo procerum quoties aliquid auditu dignū excogitauit silet, isq; ab rege auscultatur: nec procerum modo, uerū etiam qualiumcunq;, quos tu pro tua consuetudine solitos silere mentiris: quo tandem modo mihi silere integrum est, quem loqui cæteri cupiunt, rex inuitat, aduersarius cogit? Omittam quàm sæpe alij adhortati sint, quid sentiam, dicerem. Referam unam regis ex multis inuitationibus, itemq; unā ex aduersarij prouocationibus. Et quod ad primam partem attinet, repetam

Digitized by Google

aliquanto altius, magis, ut spero, iucundâ, quàm uerbosam narrationem. Ferè tertius annus agitur, cum die quodâ subiratus, quòd à Panhormita (ut est malignus, & mordax) quibusdâ in uersibus læsus essem, de quibus etiam postea dicam: me in regiâ contuli affuiq; illi, ut solebat Liuium legenti, & casu hæc interter cætera uerba: Ire in sententiam pedibus, sic exponenti, fauere pro uiribus & omni conatu. Ego nihil interfatus, loquentem regem cum ijs qui affuerunt, imò adeo deum testor, quum finem legendi fecisset, negaui eam esse uerborum illorũ significationem, & quænam esset subieci. Aderat Sensius quidam, uir non indoctus, mihi nondum cognitus, qui cum Antonio, cui notissimus erat, se nescire dicebat. Ego pro copia exemplorum quæ occurrebant, meam sententiam tutari nitebar, quæ cõtrouersia, nescio cuius interuentu, dirempta est. Paucis posthoc diebus, & rex in expeditionem exiuit, & Sensius Romam missus est: ubi sciscitatus eruditos uiros, quum redisset apud me ingenue se errasse confessus est, quòd diceret mecum sentire doctos omnes quos interrogasset. Igitur proxima æstate, cum Antonius illum apud Liuium locum legeret: Octauo fermè post damnationem anno, M. Claudius Marcellus, & A. Valerius Leuinus consules reduxerunt eum in urbem. Sed erat ueste obsoleta, capilloq; & barba * commissa, præ se ferens in ultu habituq; insignem memoriã ignominiæ acceptæ. P. Veturius, & L. Licinius censores eum tonderi, & squalorem deponere, & in senatum uenire, fungiq; alijs publicis muneribus coëgerũt, sed tum quoq; aut uerbo assentiebatur, aut pedibus in sententiã ibat, donec cognati eũ hominis causa Marci Liuij Macati, quum de fama eius ageretur, stantem coëgit in senatu sententiã dicere. Rex non expectata expositione Antonij, ad me conuersus: Nũc, inquit, planè intelligi poterit quid sibi uelit ire in sententiam pedibus. Nescio utrum sim in eo miratus magis memoriam

Ire in sententiam pedibus.

Sensius.

Liu. loc. lib. 17.

* Promissa.

riam tam ueteris quæstiunculæ, an discendi auiditatẽ. Tum Antonius audacter confirmare opinionem suam, nec ipse aliam dicere, & quem ego sensum aliàs protulissem, haud dubie falsum esse: tunc uniuersi, cum antea tum post illius uerba, in me oculos intenderunt. Rexq; in primis, & se ad audiendum, toto uultu in me, qui ad læuam eius eram, conuerso composuit. Hic ego quid agerem? tacerẽ, aut inimico assentirer, & falsum sentiẽti, & me falsum sentire dicenti, præsertim adeo peruerso ac peruicaci? ut cum tanto iam tempore ueritatem quæstionis, aut inuenire potuerit, aut inuenerit, cũ tam audacter accuset uera sentientem. Respondi itaq; præfatus, quodã uelut procœmio, quòd ideo rex (ad eum enim me conuerti) de ea re percontatus esset, quòd memoriæ suæ hæreret, aliquando inter nos de ipsa fuisse disputatum, quæ disputatio à me esset orta. Post hæc inquã nostra iam cõtrouersia ab optimis iudicibus finita est, Cincio Ranucio alijsq; nonnullis, ut Sensius, qui tunc interfuit, quiq; nũc Neapoli est, mihi renunciauit. Est autem optime rex, hoc loco esse in sententiam pedibus Salinatorem, in alterius sententiam non uerbis, sed pedibus isse. Etenim in senatu quoties dicebãtur sententiæ, quæ probari possent, fiebat discessio: hoc est, senatores discedere iubebantur in utram partem uolebant: utputa dicente consule, qui assentiuntur sententiæ Fabij, cõcedant in dextram partem: qui dissentiunt, in sinistram. Atq; ita quisq; quã sententiam probabat, in eius se partem pedibus conferebat. Quod probat Suetonius, qui in uita Tyberij, ait: Cum S.C. per discessionem fieret, transeuntem eum in alteram partẽ sequutus est nemo. Corneliusq; Tacitus: Et postquam discessionẽ cõsul permiserat, pedibus in sententiam eius iere, paucis exceptis. Accipite etiam ex ipso Liuio, non alienum à nostra quæstione exemplum ex lib. VII. Vbi sentẽtiam meam uobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem tã-

Ire in sententiã pedibus.

Digitized by Google

citi transibitis: quæ pars maior erit, eorum stabitur consilio. Paulóq; post: Agite dum in dextram partem pedibus transite, omnes transierunt. Quid plura exempla? Cũ Gellius hoc penè præcipiat, dicens: Quosdam senatores opinione quorundã uocatos pedarios, quos praue nonnulli pedaneos uocant, quòd pedibus non uerbis sententiam dicerent. Hac ego oratione Regẽ cæterosq; cum persuasissem, Panhormita, quo apertius imperitiam suam, pertinaciamq; indicaret, unum tantum testimonium pro se attulit: Ex Quintiliani declamationibus edoctus id à cõterraneo suo quodã illius autoris studioso dicentis: Pedibus manibus iuimus in sententiam necessitatis. Opinor, inquit, ambulabant manibus interdum, leuatis in altũ pedibus, aut pedibus simul & manibus ueluti quadrupedes. Hæc & huiusmodi cauillatus ubi finem fecit, & rex cum reliquis in me oculis animoq; conuersus esset: loquebar autẽ ego literate, Antonius autẽ illiterate: debuerat inquam, quod boni aduocati est, Antonius infirmare testimonia mea, id est, ad suum intellectum exponere, sed eum uidelicet excusat, quòd infirmare aduersarij testimonia, nõ solum boni aduocati est, sed etiam bonæ causæ, qualis Antoniana non est. Idcoq; à serijs ad ioca transfugit. At ego in eius testimonio ostendam non eum sensum, quem uult ipse esse, sed meum. Quintilianus idcirco prius nominauit pedes, cum ferè priores nominentur manus, ut apud Terentium: Quem ego credo manibus, pedibusq;, obnixe omnia facturum. Et in eadem Andria: Ego Pamphile hoc tibi pro seruitio debeo, conari manibus pedibusq;, quòd prius est pedibus, quàm manibus in sententiam ire. Imus autem in sententiam manibus leuatis in sublime: non in modum quadrupedum officio pedum fungentibus: Sed quomodo Xenophon ait, cum milites loco discedere non possent, iussi sunt, qui sententiã orantis probarent, manus tollere, quod instar erat itionis in sententiã pedibus: quoniam

Pedarius.

Pedes cur antequã manus nominarit.

Ire in seu manibus.

pro

Digitized by Google

pro pedibus quibus itur, manibus fungebãtur. Atq; ut idem ex autore latino probem, ait Flauius Vopiscus in Aureliani uita: Hæc interrogati pleriq; senatores sententias dixeruut, quas longum est innectere. Deinde alijs manus porrigentibus, alijs pedibus in sententiã euntibus, pleriſq; uero consentientibus cõditum est S. consultum. Et iterũ in eiusdem uita: Pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens. Hoc modo Quintilianus, inquit, de populo frequenti, qui ex omni cẽsu, & ætate constabat, cum fame laborarent, eos qui pedibus in sentẽtiam ire non poterant, manibus isse, quas porrigebant ad declarandam animi uoluntatem. Omnes mihi hæc loquuto planè assensi sunt, testatiq; idem fieri solere hoc tẽpore cũ alibi, tum uero in re militari. Et Antonius ut uictus, & dãnatus obticuit: cum respondere & appellare tam nequiret, quàm uellet. Atq; eo tacente addidi, quia de discessione dixi, dicam breuiter de diuisione sententiæ. Est in senatu sententiæ diuisio, quoties in sententia plura continentur, ut toti, nec probari, nec improbari queat. Ideoq; iubetur in partes diuidi, ut de singulis consultetur. Hoc si neget Antonius probabo, non exemplis modo, sed etiam præceptis. Sub hæc quum ille ad conuicia erumperet, Rex utrunque silere iussit: Hoc est ad quod ego, rege uolente ac causam postulante, ut loquerer inductus sum. Quod sequitur, ad id me aduersarius prouocauit. Interrogatus Panhormita à scholastico, quis sensus esset tertij illorũ, quatuor apud Iuuenalem uersuum:

Sententiæ diuisio.

Locus Iuuenal. Satyr. VII.

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno fessus aratro,
Nodosam posthæc frangebat uertice uitem.
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Respõdit Mariũ solitũ frangere uitẽ à uertice, hoc est, ab imò, cũ nodosior erat ferro, quod dicitur dolabra. Hac respõsione,

tanquam non contentus ſcholaſticus, fortè nobilem & genere & literis uirũ Franciſcum Salimbenum, idem illud interrogat. (ita enim ab utroq; poſt noſtrã controuerſiam accepi) tulitq; Viris. longe diuerſum reſponſum, eſſe uitem apud Vegetium inſigne quo milites uerberarentur, quam ſententiam protinus ad Antonium ſcholaſticus detulit, ſed male præceptũ peius docuit, ſiue hic peius præcepit, quàm doceretur. Itaq; reſpondet ſe diligenter ueram ſententiã exquiſiturũ. Iubet poſt aliquot dies ad ſe redeat. Interea ſi doctior abire uelit, hanc rem cõmunicare cũ aliquot uetat. Quid ita? an ne ignoraſſe quod ignorauerat uideretur, imò uero ut ſciſſe, imò ut alios docuiſſe, imò ut, quod iucũdiſſimum erat, me imperitiæ argueret: idq; apud regẽ, atq; illam frequentiam procerum? Quòd ſi nunquã à natura ſua recedat falſò gloriandi, quid facturum credamus, ubi etiam ſpes blandiatur, inimicum, & gloriæ ſuæ hoſtem hoc uelut laqueo ſtrangulandi? Igitur nõ procraſtinat, & cum primũ nactus eſt locum, ubi Faſcium conſulariũ fieret mentio, conuerſo in præ-
Faſces ex qua arbore. luſtrem uirum Egnigum Daualum, qui erat mihi ad ſiniſtram (nam rex ſedebat ad dextrã) quanam inquit ex arbore uirgæ faſcium erant? Ego etſi me præcipue illa percontatione peti uidebam, hæſitabũdus tacebam. Et Egnigus, quin ni ex granato? Nequaquam inquit Antonius, ſuſpenſoq; reſponſo, ut ignorantiæ confeſſionem à me exprimeret, oculisq; hilaribus gaudium iam ſuum prodebat. Cum uniuerſi quid ſentirem, ut dicerem, tanquam ab aduerſario interrogatus, expectarent: ingenue me neſcire profeſſus ſum, nec unquã quod meminerim legiſſe, exiſtimare tamen pro locorum natura nunc ex hac, nunc ex illa ar-
Sagmina. bore eſſe, cuius generis eſt, qua legati utebãtur ſagmina, unde ſancti ſunt dicti, ut quibuſdam placet: licet aliqui illam eã hærbam uelint eſſe. Neq; uero mihi ueniebat in mentem, ita Plinium reliquiſſe ſcriptum: Gaudet frigidis ſorbus, ſed etiam magis

Beta

Betula Gallica. Hæc arbor mirabili candore & tenuitate, ter- Betula.
ribilis magiſtratuum uirgis, eadẽ circulis flexilis. Et plautum
qui nonnũquam Vlmeas uirgas uocat, quibus ſerui cæderẽtur, Vlmus.
quodam loco lictores, id genus uirgarũ nominat: ſed in ſeruo
flagellando à domino, non autẽ magiſtratus iuſſu inquiens. Li-
ctores duo, duo uiminei faſces uirgarum. Et ſiqua ſunt alia ex-
empla. Tum Antonius, audita eſt, inquit, ſacra maieſtas, ex certa
uirgæ illæ arbore fiebant: Hoc perquàm pauci, & prope nulli
ſciunt, ac res imprimis digna ſcitu, uel propter hiſtoriarũ no-
titiam, uel quia uerſus Iuuenalis eloquẽtiſſimi poëtæ, aliter ne-
queũt intelligi: quales plurimi alij ſunt, quos cum à nemine in-
telligi uiderem, multo labore deſudaui, ut intelligerẽ, & alios
docerem: & cum multis ſibi uerbis feciſſet audaciam, prorſus
quaſi de Laurentio uicto triumpharet, ſubiecit uerſus atq; ex-
poſuit inquiens: Ex uite uirgæ erant, hoc eſt ex ſarmentis, quæ
ſunt uitium uirgæ: ex quibus faſces conſulares fiebãt, quibuſq;
delinquentes, qualis fuit Marius, uerberabantur, & alia plura.
Vbi perorauit, & ſi uidebatur omnibus bene dixiſſe, tamen ſiue
arbitrantes aliquid à me uerius dici poſſe, ſiue cupientes, ut a-
liquid reſponderem, ſaltem illi aſſenſurus, tanquam non haben-
tes pro certo, niſi id ego confirmaſſem, in me omnes (& ego
tum me ad reſpondendum parabam) conuerſi ſunt: miroq;
cum ſilentio præſtolabantur, quid in contrarium (ita enim ui-
debar) dicturus eſſem. Atq; ego, abſurdum ſit, inquam, opti-
me rex arbitrari uirgas faſcium conſularium ex ſarmentis fu-
iſſe, & faſces uitem uocari ſolitos, quaſi una uitis fuerit, aut
ſpoliata ſarmentis, aut illis dependentibus: multoq; aliter fi-
guratos in uetuſtis operibus cernimus, ueluti Romæ in arcu
quodam. Hic me interpellans Antonius, ut qui ſibi iam time-
ret, quemq; prouocaſſe hoſtem, ſicut de Hectore Homerus ſcri
bit, quum ad ſingulare certamen fortiſſimum quemq; Græco-

rum elicuisset, progresso in medium Aiace, iam pœniteret. Est inquit Romæ arcus quidam, ubi cõsul & lictores, cum fascibus sculpti uisuntur: & fabulam aliam, ut me dicente inhiberet or= diebatur. Ad quem ego quid tu plura de arcu, cuius ego tibi fui monstrator? Tu ne inquit mihi? Ego inquam tibi, & Leonar= dus Aretinus mihi, rediens in memoriã, paululum hæsit. Et rex reuertere, inquit, Laurenti ad fasces, & perage quod institue= ris. Et ego: erat, inquam, optime rex insigne cõsulatus non una uitis, aut unus sarmentorum fascis, sed fasces duodecim ex qua= cunq;, ut reor, arbore ausim dicere, uite excepta: Nam uitis ipsa centurionis insigne est. Illæ uirgæ consuli præferebantur, hæc à centurione gestabatur. Illis per lictores nuda terga damnato rum, ad palum deligatorũ cædebantur: hac centurio per se non certam, sed quamcunq; uestiti corporis partem solutorum mi= litum, qui deliquissent uerberabat. Et hoc est, quod Iuuenalis de uerberato Mario ait. Adeo quidem ut uitis, quæ difficile frãgitur, in illius etiam capite frangeretur. Multa dici possent, quare potius ad hæc electa sit uitis, quàm aut fustis, aut uirga, aut flagellum. Sed malo testimonia proferre autorum, quòd uitis fuerit centurionis insigne, & sic Iuuenalem intelligen= dum. Lucanus septimo de Scæua,

Vitis centu= rionum.

Ante feras Rhodani gentes, ibi sanguine multo,
Promotus latiam longo gerit ordine uitem.

Hunc Scæuam & centurionem fuisse, & cõmentarij Cæsaris, & Valerius, & autores multi testantur. Plinius lib. XIIII. Quid quòd inserta castris, sententiã rerũ imperiumq; cõtinet, centurionum in manu uitis: & opinio præmio tardos ordines ad lentas producit aquilas? Atq; etiam in delictis pœnæ ipsam honorat? Martius Iurisconsultus digestorũ lib. quinquagesimo de re militari. Is qui Centurioni uolenti se castigare restiterit, si uitẽ tenuit, militiam mutat: si ex industria fregit, uel manum

Centu

Centurioni intulit, capite punitur. Hæc cũ ab omnibus summa cum approbatione essent excepta, Antonius nihil hiscere in cõtrariũ ausus est: Iamdudũ pœnitentiã in ultu præferens, quòd ante me laceßisset: nec tamen unq̃ cũ se offert uel minima occasio, lacessere omittit. I nũc & dic cur cum interloquar siue (ut ais) interpellẽ, quẽ ipse, quem rex, quẽ cuncti qui adsunt nõ tacere cõpellunt, nisi uelim in cõspectu regis procerumq̃ nõ apparere, idq̃ inimici demerẽdi gratia: à quo, si hæ causæ nõ subessent, optimo iure possem expetere ultionẽ, q. inter legẽdum me sæpe carpsißet ut alios multos: hoc, inquiens: nescioit Leonardus, in hoc errauit Guarinus, hoc male tradidit Gasparinus, Hoc ego docui Carolũ, hoc ignorat Laurẽtius. Aliquando cum in gratiã rediissemus, & lecturus Liuiũ à me permulta doceretur, adessemq̃; legẽti fautor, semel apud infantẽ Petrũ, bis apud regẽ dixit, in sacra ago, pro in sacra facio lapsum esse Auriſpã: At quem uirum? Nempe & Siculum, & amicũ & præceptorem suum, de quo ille à conterraneo quodam, qui interfuerat edoctus literis, quæstus est. Cæterum absentes rarius, me uero præsentem, etiã cũ familiares essemus, maligniſsime momordit: prius quidẽ clanculum, postea autẽ apertius. An ulciſci me non debui, uel propter uersus, de quibus pauloante feci mentionem? Referam & hoc breuiter, ut qualis hic in me semper prouocator extiterit intelligi possit: quemadmodum Vergilius inquit: Accipe nũc Danaum insidias, & crimine ab uno Disce omnes. Ioãnes Carrapha strenuus Decurio Neapolitanus, cum in arce, quæ dicitur Capuana, imaginem regis armati, equoq̃; insidentis pingendam curasset, & circum eam quatuor uirtutes Iustitiam, Caritatemq̃, siue Largitatem, Prudentiam, ac Temperantiã, siue Fortitudinẽ (est enim ambigua pictura) à me cõtẽdit, ut uersus totidẽ facerem, singulos in singularũ libellis, quos manu tenebant, scribẽdos: addiditq̃, ut duos saltẽ eo biduo, qui superio

Auriſpa.

Aeneid ij.

Carrapha.

Digitized by Google

superioribus imaginibus iam prope absolutis adscriberentur. A pictore enim se deceptum, qui nō præmonuisset scribere superiores uersus anteq̄ ad inferiores pingendas descēderet imagines, ideoq̄; tēpus componendorū uersuū spe sua breuius esse: alioqui nō ita cōmode postea scribi. Ego etsi febrire incipiebā, tamen me facturū recepi, ac plus exsolui, q̄ promisi. Tres enim uersus Iustitiæ, Largitatis, Temperantiæ, eodē die ad hominem misi, quos cū pictor esset descripturus, & plurimi homines lectitarent (est enim locus ille totius urbis celeberrimus) Nescio quo pacto Antonius audiuit, lectosq̄;, mirum dictu, quantopere carpsit: deniq; hominē deterret ne uersus impolitißimos egregie picturæ, atq; illi loco, quē ad suum et regis decus elegißet, inscriberet. Iubet biduo expectare, & familia Carrapha, & castello Capuano, & regia pictura dignos se daturū, itaq; octauo ab his uerbis die totidem suos tradit, nihildum me carū rerum per ualetudinē rescisce̅te. Eos uersus Ioānes ad me mittit, et iam cōualescebam, nōdum tamē domo prodire ausus, remq; omnem gestam exponit. Ego meos postridie absoluo, ille suos septē diebus serius, utriq; ostēduntur utriq; nostrorū suos defendere, alterius impugnare, sui cuiq; fautores adesse. Scinditur incertū studia in cōtraria uulgus, ut in eodē loco Vergilius. At Ioannes, ut incertus quid ageret, utrosq; mittit ad regē, in expeditione agentem, uelut iudicē atq; arbitrū. Is quoq; ne quem damnare uideretur, rem in medio reliquit: tantū utrosq; cōmodos esse respondit. Seorsum autē meos (ita duo mihi secretarij retulerunt) plus succi habere confessus est: ex quo factū est, ut neutri scriberētur, quos hic ego cæteris iudicandos subieci. Et si quis tales imagines alicubi pingere uelit, ut habeat utros eligat. In suis ille loquentes facit, aut lectores, quod & absurdū, & obscurū est: aut uirtutes, tanq̄ nō de se, cū tamē de se loquātur. Ego uirtutes ipsas, nō modo aperte loquētes de se singu-

las

Digitized by Google

las, sed etiam ita, ut uersus in eum ordinem posſint redigi, quo pictor imagines pingere uelit: Istius nequeant à prudentia incipere: qui hi sunt:

IVSTICIA.

Te bone rex sequitur uictas Astræa per urbes. Versus Panhormitæ.

CARITAS.

Te pietas & amor reddunt per secula notum.

PRVDENTIA.

Agnoscit sociatq; suum prudentia gnatum.

FORTITVDO.

Te dignum cœlo uirtus inuicta fatetur.

Hæ laudes, ut cætera taceam, nisi fallor, nihil habẽt nisi uulgare, & quod singulis uirtutibus datur id omnibus dari potest. Quid mei? certe non tales, ut (quod dicebat Antonius) ad suos nihil sint: quos in illum naturalem, quem dixi ordinem, redigo prudentia præposita.

PRVDENTIA.

Prima ego uirtutum peragunt mea iussa sorores. Versus Vallæ.

IVSTITIA.

Per me stat regis thronus & concordia plebis.

CARITAS, seu LARGITAS.

Celsius est dare nostra, suum quàm reddere cuiq;.

TEMPERANTIA.

Corporis illecebras plus est, quàm uincere bella.

FORTITVDO.

In gẽmis Adamas, in moribus ipsa triumpho.

Sed ut in his rex non tulit aperte sentẽtiam, sic in alijs pro me pronunciauit, cum pro alia, tum uero quia indecens sit loquẽtem facere dormientem. Est enim signum quoddam marmoreum, quod quidam Parthenopes uirginis uolebant esse iacentis habitu, dormiẽtisq;: cui distichon epigramma iussi aliqui doc-

Parthenopes signum.

cti uiri

cti uiri facere sumus, aliorum tacebo. Antonij hoc fuit:

Panhormita de Parthenope, multos bello uexata per annos.
Parthenope Vallæ. Nunc opera Alphonsi parta iam pace quiesco.
Meum hoc,
Parthenope uirgo diuturno exercita Marte,
Martius Alphonsus dat, requiescе tibi.

Sumus etiã nũc de alio carmine ad marmoreã statuã scribẽdo. in cõtrouersia, de quo nondum attinet facere mentionẽ, deniq; ipsius uersus nusq; uidẽtur inscripti, cũ mei & pro Salamãchis Panhormi, & Gaietæ pro antistite Normãno, et Neapoli pro Caraciolo magno Senescallo apud augustissima tẽpla in marmore incisi usantur. Hoc ideo dico, q, neminẽ præ se poëtã ducit. Ex horũ uersuum mẽtione redeo in memoriã illorũ, q nuper ab imperito quodam inscripti sunt ad marmoreã statuam: capite inde afflicto (ut aiunt) Scipionis apud Traiectũ oppidũ iuxta Minturnas cis Lirim: ibi enim aiunt in uilla sua Scipionẽ excessisse è uita. Ab hac ego opinione cum homines reuocarem, quòd dicerem nec illũ habitũ, nec ibi uillam illius uiri fuisse, sed apud Linternũ trans Lirim Vulturũq;, Antonius semper apud imperitos me in hoc errare prædicabat: in crypta quoq; Neapolitana, quòd negarẽ eam à Vergilio factã, ut uulgus ait, sed à Tibullo. Ideo autẽ à Vergilio creditum, quia illic sepultus est: item quòd in eodem loco negarem Posilippũ esse, ubi Palepolis olim fuisset, & pro Palepoli dici Posilippum: quod putant qui apud Liuium legunt, Palepolis fuit haud procul inde ubi Neapolis sita est. Sed uillam dicerẽ esse, ut olim fuisset quæ in libris scribitur Pasilippus: & huius generis plura, in quibus ille mihi aduersatur. Ex quo si non propter expectationem hominum, non propter iussum regis, non propter ipsius aduersarij prouocationem, certe ut satisfacerem iræ meæ interloqui atq; interpellare debui, præsertim quòd nõ fuit fraudandus, nec autor

emenda

emendatione operis sui, nec rex uero librorum intellectu. Sæpe enim synceritate carebat codex. Nonnũquam male ipse accipie bat lector: quorũ utrũq; cum emendarẽ, profecto & de autore atq; studiosis bene merebar, & gratam rem admodũ regi cæ= terisq; faciebam. At cur nõ alibi quàm in publico faciebam, in= quies? cur non Antonium præmonebam? quasi uero ad eũ ipse docendi gratia ire debuerim: uenisset ad me, quæsisset, rogasset nemine audiente, nemine rescituro. At non ferebat id eius sto= machus. Quid meus hoc stomachus ferebat? discat ergo cũ ru= bore in aperto, quod domi discere noluit: aut desinat incessere, ne incessatur. Hoc itaq; est quod Panhormitæ dolet, quod nunc illius uerbis Fatuus accusat, dicẽs. Cantantem in compitis nemo est qui interpellet, nemo qui maledictum arguat: Tu doctissimũ hominem, de serijs ac maximis rebus legentem, interrumpes? hoc apud multos Antonius ipse conquestus est, nec posit nega= re se ista, aut scripsisse, aut dictasse. Nemo inquis cantantem in compitis interpellat, & si nulla comparatio est inter eum qui ex superiore libro clamitat, & eum qui inter confessores li= brum exponit: tamen non dicã me id aliquando uidisse, & cir= culatoribus fuisse reclamatũ: sed Ciceronem ita scribere: Poëta si uersu syllaba longior aut breuior fuerit exibilatur, explodi= tur. Tu poëta non in syllaba tantum, sed in uersu toto peccãs, non exploderis? non exibilaberis? nõ saltẽ te patieris admone ri? Athenis si orator in accentu peccasset, ab uniuerso protinus cœtu corrigeretur: unde admiranda illa Demosthenis astutia, qui in causa Ctesiphõtis interrogauit auditores, utrũ eis uide= retur Aeschines esse hospes Alexãdri, an mercenarius μίσθω= τος accẽtu, q esse debebat in ultima syllaba mutato in primã au ditores tanq non cõsulto peccantẽ, ut corrigerẽt recto accẽtu dixerunt μισθωτός: tum Demosthenes ad aduersarium con= uersus, inquit: audis quæ dicuntur? quasi illi non ipsum emen=

dassent

Digitized by Google

dasſent, ſed de Aeſchine, ut mercenario reſpondiſſent. Quod igitur in oratorē ex ſuperiore loco, & in medio fòro de rebus maximis, & ad incolumitatem reipub. pertinentibus diſſerētem cuilibet licuit, id in lectorem de uerbis autoris alicuius in cubiculo inter conſidentes agentem nemini docto licebit? Et addis: FAC. Neſcis inepte, neſcis, aſtantis officium eſſe per ſilentium audire? Aut diſcere certe uis aut docere: ſi diſcere, ſilēdum eſt: ſi docere, ridiculus qui eum docere uelis, qui regem doceat. LAV. Ego uero non ſemper aſto, ſed ſæpe aßideo regi. Verū quis iſto modo niſi tu, hoc eſt Fatuus, argumentetur? Si diſcere, inquis, uolo, ſilere debeo: imò econtrario frequenter interrogare. Vnde Horatius: Inter cuncta leges & percontabere doctos. Quanquam ſtultum eſt dubitare, an nolim diſcere, ab eo quem reprehendo. Si docere uolo, ridiculus ſum: ità ne regem, qui hoc ipſo quòd audiuit ac docetur, planè confitentem ſe non ſatis doctum eſſe, docere magnum eſt? ſi modo docere dicendus eſt qui male docet, ut poſtea oſtendam, etſi non ſolus hic eum docet: non eſt magna regiæ perſonæ dignitas cum literas ille diſcit, ſed cum fungitur regio munere. Vter quæſo ridiculus, tu an ego? Nec minus ridiculus es qui adijcis, FAC. Quiūe ut illum doceas nihil poſtulet. LAV. Non ut illum recte, ſed ut barbare. Nā ſe dicere debebas: ſic ridicule ineptéq; loquutus es, quaſi illum aut ego docere uelim, aut rex uelit, ut doceam, & non potius ſe. Cuius rei fides eſt (ne de ſuperioribus loquar) poſtea uoluit à me doceri, ſibiq; ut legerē iniūxit. Tu tamen, ut opinor, non de rege, ſed de Antonio docendo agis, utens cornuto, ut aiunt, enthymemate. Atq; ego iſta duo cornua confregi nunc, etiam conuellere uolui: conuelluntur enim quando probantur non eſſe contraria, & pariter negari poſſunt: quod ego facio, qui nec docere Antonium uolo, nec habeo
Achelous. diſcere. Non ne tibi uideor in te, tāquam in Acheloum plus eſſe quàm

quàm Hercules? Acheloo enim Hercules unum cornu euellit, tibi ego utrũq;. FAC. Huius temerariæ loquacitatis, & intempestiuæ interpellationis tuæ, quomodo per imprudentiam peccares, admonere te saltem debuit reliqui conuentus taciturnitas. Quẽnam uides in toto consessu & circũstantium cœtu, nisi interrogante rege, præter te unum lectorem interpellare? disce igitur ex alijs modestus esse, atq; ubi maior te loquatur, silere disce, & linguæ frenum adhibe. LAV. Sed certè hoc nunquã mihi concedes propter innatam arrogantiã tuã. Fatue, quomodo quis interpellat lectorem, si ab rege interrogetur? Fatue, quomodo interpellat, qui respondet, nisi multo magis regem interpellatorẽ uoces, qui interrogat? Fatue, quis non per se discet, si non admoneatur ab alio? Fatue, quomodo me hortaris ad coërcendam linguam, & tanquam non obtẽperaturum castigas, cum tuum sit officiũ aduersariũ confutare, atq; conuincere, non tanquam conuictũ admonere? Fatue, qui ais reliquos tacere, cum bis terue aut ad summũ quater Antonio legenti affueris? Fatue, qui inquis, nisi rege interrogante. Rex me interrogat: & quem primum, quamue potissimũ interrogabit? ita opinor inter senatores uelut consul sedet, ut rogare singulos sententiam debeat. Semel data libertas ab eo est, quod quisque illi, ut sic dicam reipub. conducere existimat, proloquendi. Itaq; nunc medici, nunc iurisperiti, nunc militares uiri pro sua quisq; facultate, quoties dicendi materia succurrit, rege uolente, dicunt quod sentiunt: & eis tum rex, tum lector ipse respondet: & in longum altercatio & colloquium tenditur. Scio me legente contigisse, ut decem interfati sint, & ego auditorem me, non lectorem præstiterim: & tamen Antonio legente, qui de Liuio eruditius me disserere posset, nullum eorum esse qui solent adesse: ne liuor quidem atque malignitas inficiari posset, ut ego potissimum loqui præbuerim, præsertim ab omnibus expectatus, quoties aut syncera scriptura

Digitized by Google

esset obscura, aut emẽdanda corrupta. Vbi tanta extitit Panhormitæ pertinacia, ut conuictus & condemnatus, tamen manus dare nollet, uel ob hoc, ne me ad imprimendum altius pectori suo mucronem compelleret. Instigat enim in se aduersarium pertinacia & contumacia. Placat autem & propè erubescere cogit facilitas ac probitas. Quid dico manus dare? imò tanquam victor uicissim insultat, nec solum uerbo, sed etiam scripto sub histrionis persona, inquiens: Quidnam illud est? F A C. O arrogantissimum hominẽ, ausus es profiteri apud regem dum legeretur, & apud quem regem, regem inquam summæ sapientiæ summiq; iudicij, te emendaturum omnes deprauationes quæ in operibus Liuij, librariorũ uitio ceciderunt. Quod nec Aretinus, nec Guarinus, nec ante eorum ætatem Franciscus Petrarcha, nec multi alij nostræ ætatis doctissimi uiri corrigere ausi sunt, id tu homo indocte corrigere audebis? Si corrigi liceret proprio arbitratu atq; iudicio, atque à te fieri intelligo: quot censes esse qui te aperte superarent, à quibus ingenio, & eloquentia uinceris, qui pudore ac modestia id facere desinunt? sed nescis adhuc (ut uideo) qua ratione textus corrigendi sint. At ego illud ostendam & gratis. Oportet enim in emendando aliquo deprauato, ut similitudo & numerus literarum conueniat. Sed quid ego hæc ad te, qui cum nihil recte scias, omnia te rectissime tenere non solum putas, sed etiam gloriaris? L A V. Fateor me ex animi sententia gloriatum omnia rectissime tenere, Musicam, Geometriã, Astronomiam, Medicinam, ius ciuile, græcas literas, & alia infinita: gloriatum item omnes mendas in Liuianis editionibus emendaturum: si in cæteris recte ac uerè loquutus es: sin minus, tuo more mentitus calumniatusq;. Ais me iudoctum tu qui præter illa uerborum uitia, quæ in hoc loco superius reprehendi, dixisti, corrigi proprio arbitratu atque iudicio. Quis ò doctissime non suo arbitratu atq; iudicio corrigit, præter te, qui me

Vallæ scientiæ.

corri

corrigere uis non tuo, sed Panhormitæ arbitratu? O Panhormita præceptor, quo pacto quis potest sine suo iudicio libros corrigere? Ais hos multosq; alios nostræ ætatis id non esse ausos: Num protinus nullis? si nec hi nec alij multi ausi sunt? Minime. Ergo nō negas aliquos esse ausos. At nullos alios inquies dicere uolebas, imò dicere debebas indocte qui me tuo nomine appellas. Ais nullos esse ausos aut certe multos: cumq; ijs Aretinū, Guarinū, Petrarcham, & quomodo tu corrigere me doces, & corrigendi legē tradis? hoc nihil aliud est, nisi nō omnium correctionem reprehēdere, sed malam. Vides ut ueritas te etiam inuitum ad uera loquendum retorquet, ut tibi ipse non cōstas, ut contraria proposito tuo loqueris: ut me non dehortaris à corrigendo, sed magnopere adhortaris ad corrigendum? doces qua ratione libros corrigam: audio, si modo ratio ista satis docet. Sed unde tu istud scis, qui nunquam expertus es, quod nemo facere est ausus, aut certè multi & doctißimi quiq;? Quid mihi uitio uertis, si nondum scio quod audere non debeo exemplo doctiorum: nec scire possum quod expertus non sum. Ais illos non fuisse corrigere ausos, unde id probas? Inspexisti illos Liuianos codices? negas? maligne ergo affirmas quod ignoras. At mēdacem te mox testimonijs conuincam, prius ratione uolo. Nam si experiri noluissent ius, utrum emēdare possent, ut non dicam eos si ita fuisset, dignos esse quos improbemus citius quàm sequamur, nimirū tu illos quales non fuerunt facis. Quis enim credat optimis uiris ac præstantißimis ingenijs ad rem honestißimam defuisse animum, ut summos autores quasi in patriā restituerent? si experti sunt, falso negas non fuisse ausos, cum eos isto pacto facultas defecerit, non uoluntas. Neq; uero ego dico illis facultatem defuisse, sed id te significare ostendo. Tu utrunq; defuisse ais, ego neutrum: & id minus, quod tu magis uis defuisse: & in hoc te magis, cum in utroq; mentiaris, esse mentitum, testimonio

Digitized by Google

Petrarcha. est (ut ad testimonia ueniam) manus Petrarchæ: qui diligentissime codicem suum qui nunc Neapoli est, quemq; uterq; uidistis, emendare conatus est, in nonnullis emendationibus felix: in nonnullis lapsus: in nonnullis remedium se non inuenire confessus.

Guarinus. Testimonio est manus Guarini in Plinium de naturali historia. Quod opus cum sciamus mendosissimum, tamen totum uclut immensum uastumq; ædificium resarcire conatus est: & scriptis ad Marchionẽ Hestensem literis id se præstitisse gloriatur, quod non minoris negocij est quàm Liuiũ emendasse, in quo ipso hunc elaborasse, cum alius tum filius suus Hieronymus illo patre dignus affirmat.

Aretinus. Testimonio est manus Leonardi Aretini, quæ in Liuio & in Cicerone alijsq; operibus ostenditur. Testimonio est manus Caroli Cintij, Pogij, Flauij, aliorumq; multorum qui Florentiæ, ut audio, rogatu Cardinalis Columnæ, unà cum Leonardo Liuium quatenus potuerunt, emendarunt. Manus enim omnium censenda est, quod omnium consensu scribitur. Aiunt

Poggius. etiam Poggium dictitare se XL. iam annos in emendando Liuio, quum per alias occupationes licet, occupari. Testimonio deniq; est, O mirabilem confidentiam, manus uestra ac Iacobi Curli. Vos enim communiter codicem regium, quem dono ei uir primarius Cosmus medicis Florentia misit, emendastis, dum taxat de secundo bello punico, quod quàm recte fecistis, mox uidero: & postea non pudet ad me deterrendum, atque adeo ad infamandum negare id feciſſe quempiam peritorũ: cum non modo illi, sed & uos non imperitissimi feceritis: ut improbare factum meum nequeatis, nisi & illorum, quos laudatis, & uestrum ipsorum improbetis. Aut si uos cum illis improbari non uultis, ne me quidem improbare posſitis. Quare uestra quoque confessione, uestroq; exemplo, uelitis nolitis, crimine temeritatis absoluor, uicissimq; uos calumniæ conuinco. At multi sunt qui me ingenio & eloquentia superent, ut ita sit, uos certè

non

non uestrum cæterorum ingenio & eloquio anteponatis, & si meo anteponitis. Quod an recte faciatis, nunc superest, ut inspicianus, & an unus ego, an uos tres etsi plures fuistis antecelluerit is: idq; in istis ipsis quos emendastis libris, etsi non affui legenti Antonio, nisi à secundo, ut opinor, ad exactum usq; sextũ: ultra quem progrediendum mihi non censeo, cum Antonius legendo non ultra progressus sit: ne meam ingratus sibi uendice laudem. Nec me fugit ex hoc facto non modo tecum Antonijq; t assertoribus rem mihi esse de palma doctrinæ, ingenij, eloquentiæ: uerum etiam cũ ijs quos & uos nominastis & ego: quosq; nolim equidem à me offendi, non tamen sic eis satisfacere debeo, ut dicam ab iniquis impositam hanc esse mihi necessitatem, indigna enim sit causæ dignitate talis satisfactio, quoniam in tam honestum opus certatim debemus incumbere. Certabo itaq; cum illis tanquam in palæstra de laude & gloria: uobiscum uero tanquam in acie de uita & libertate, quanquam de hac causa iam factum quoddam pro me contra Antonium præiudicium est. Siquidem Egnigus cuius habui superius mentionem, referam autẽ hoc paucis, dedit Antonio ex primo libro belli punici locum illum emendandum. Ventum deinde ad multò angustiorẽ rupem, atq; ita rectis ac si istud ægre expeditus miles tentabundus manibusq; retinens uirgulta ac stirpes, circa eminentes, demittere sese posset. Hunc aiebat Mediolani à Candido uiro perdocto ad pristinam syncerit atem reductum, & se magni muneris loco edoctũ, sed ea lege, ut neminem doceret. Antonius quanto acerrimo studio potuit, ut qui sciret sibi cum inimico luctandum, (est enim ipsi Candidus inimicus, ut pleriq; boni) plus quindecim dies in eruenda ueritate se macerauit: at quid illi respondent nescio. In regio codice cum Fatuo ac Curlo alijsq; nonnullis ita correxit. Atq; ita rectam acsi istud ægre expeditus miles & reliqua. Tradidit mihi post (quàm autem postea, incertum habeo) Egnigus

Digitized by Google

eundem locum emendandum, quem manu sua scripserat, præfatus à Candido, ne forte deterrerer, iam esse emendatum, & tradidit uesperi. Postridie mane ad eum detuli multis locis emendatum: quorum primus erat ille ipse, ut aiebat Candidi, atq; ita rectis saxis ut ægre: hactenus corruptio erat: uix inspecta primæ lineæ scriptura, exclamat frequenti proceribus honestisq; hominibus regio conclaui, O admirabilissimum ingenium? Quid piget me pro defensione innocētiæ meæ promere ueritatem? addiditq;, hunc nodum Antonius Panhormita nunquam potuit soluere. Ac festinus ad regem in alterum conclaue conscendit, hoc uelut miraculum nūciaturus, & ut à multis accepi qui affuerunt penè eadem exclamatione orsus rem exposuit, illumq; in candem admirationem adduxit, quòd uitium libri nullidum, ut Candidus affirmabat, & ipse cum alijs, tum uerò in Antonio proxime erat expertus emendatum, ego tam breui emendassem. In quo calumniam accusatorum meorum cerni licet, qui aliorum exemplo, tam quam id non ausurum me ab hoc munere, etiam cum conuicio, deterrent. En Candidus ausus est, & feliciter ausus, quodq; magis mireris, assequutus, quod assequi Petrarcha non potuit, ut manus ipsius docet. Hic uos teterrimi Sycophātæ cōuenio: adestne similitudo? constat numerus literarū in menda & emendatione? Quid igitur, tanquàm id à me non fiat, sed procul ancupor scripturæ ueritatem, me incessitis? Talia quoq; erunt quæ sequuntur. Aut ficubi id non fiet, non reprehensione dignū erit: sed maiore miraculo.

Sed iam omnīū emendationū classem
è portu emittamus: hanc quam
emisimus speculatoriā nauim, suo ordini reddituri.

Digitized by Google

LAVRENTII VALLAE EMENDATIONES SEX LIBRORUM TI. LIVIJ DE SECUNDO BELLO PUNICO: ET PRIMO IN LIB. I. UT SIT HUIUS LIBRI CAP. II.

ENER inde ob altam indolem ascitus, & quia gener erat factionis barchinæ, opibusq; apud milites plebēq; plus quam modicæ erant, haud sanè uoluntate principum imperio positus.] Ego sic reor emendandū: ut pro gener erat, ponatur genere erat: p opibusq;, opibus quæ: pro imperio positus, imperio potitus. Deinde breui effecit, ut pater in se mi nimū monumentum ad fauorē conciliandum esset.] Credo momentum esse scribendum. Nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatorū gentiū arma.] Vos emendastis effrenatarum, ego efferatarum emendo. Sed interiora tuendo, minorem in diem urbē Saguntini faciunt.] Credo legendū in dies, ut in elegātijs.

Turris diu quassata prociderat, perq; ruinā eius cohors Pœnorum impetu facto, cum signū imperator dedisset, nudatam stationibus custodijsq; solitis hostium esse urbem, non cunctandum in tali occasione ratus Annibal, totis uiribus aggressus urbem momento cepit.] Credo legendum imperatori. Partitis diuidendisq; reliquijs prædæ.] Credo diuenditis. Deinde, Cura humani ingenij, cū quidnā id esset quod respiccre uetitus esset, agitante animo temperare animo nequisse eum.] Vos emendastis temperare animum. Ego reor sic emendandum: agitaret animo temperare omnino. Qui tumultus repens postquā est Romam perlatus, & punicū insuper gallicum bellum auctū patres acceperunt.] Ita scriptum est in codice regis, quod emēdare debueratis, punicum supra gallicum: uel punicum insuper gallico.

Et ipsi traijci exercitum, leuariq; quamprimum regionem suam tantam omnium urgente turba cupiebant.] Legendum est

Digitized by Google

tanta hominũ. Ibi raptim cæsa materia, ratesq; fabricatæ, in quibus uiriq; & alia onera traijcerentur.] Vos sic emendatis, equi uiriq;: quasi consuetũ sit equos uiris anteponi. Ego uel non emendandũ reor, perinde ac si scriberetur, in quibus & uiri & alia onera, uel sic emendandum: in quibus equiq; & alia onera: uel, uiri equiq; & alia onera. Vt quẽq; timentem altitudinem destitueret, uado impetu ipso fluminis in alteram ripã rapiente.] Credo destituerat. Neq; ante Hispania excessisse quàm omnes gentes, quæ & terras, quas duo diuersa maria amplectuntur, Carthaginiensiũ esse.] Sic reor emendandũ, terræ & Carthaginiensiũ essent: item nõ relatiue, sed copulatiue scribi debere què, perinde acsi dicatur, omnes & gentes & terræ. Nũc posteaquã multo maiorem partem itineris emensam cernant. Pyreneum saltũ inter ferocissimas gentes superatũ, Rhodanũ iam tum amnẽ, tot milibus Gallorum prohibentibus, domita etiã fluminis ui, traiectum, in conspectu Alpes habeant.] Legendũ credo, Rhodanum tantum amnẽ. Ambigebant fratres, maior & qui prius imperitauerat * Braneus nomine, minor erat fratre & cœtu iuniorũ qui iure minus, qui plus poterat pellebatur.] Vos sic emendastis, dictionem iure delectis rubra siue uiolatia linea, addidistisq; alias dictiones sic: qui minor ab eo qui plus poterat pellebatur. O Lippi, ò alijs, quæ uobis multa est, lippitudinẽ exprobrantes: est ne istud seruare similitudinem, seruare numerum literarum in connectanda scripturæ ueritate, alias dictiones eximere, alias adijcere? Videte quanto id à me syncerius custoditur.

* Brancus.

* Braneus. Ambigebant fratres maior & qui prius imperitarat * Brancus nomine, minore à fratre & cœtu iuniorum qui (uel quia) iure minus ui plus poterat pellebatur. Homines intonsi & inculti, animalia inanimaliaq; omnia rigentia gelu:] sic uos. At debuistis mutare istud inanimalia, quod non reperitur, in id, quod consuetum est, manima. Deinde postquã interrumpi agmen uidit, peri cu

periculumq; esse exutum impedimentis exercitum, nequicquam incolumem traduxisset: decurrit ex superiore loco: & cum impetu ipso fudisset hostem, equis quoque tumultum auxit: sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera montanorum fuga erant, sedatur.] Vos mutastis unam tantum dictionem, equumq; indocte pro equis ponentes, cum fuerit ponendum suis. Praeterea sic mutandum periculumq; ne exutum impedimentis exercitum nequicquam incolumem traduxisset.

Castellum inde quod caput eius regionis erat uicosq; circūiectos capit, ut captiuo à pecoribus per triduū exercitum aluit. Et quia nec montanis primo perculsis, nec loca magnopere impediebantur aliquantulum eo triduo uiae confecit.] Hic uos nihil aliud quàm loca mutastis in locis. Ego uero sic: Et captiuorū pecoribus per triduum exercitū aluit. Et quia nec montanis praelio perculsis, nec loco magnopere impediebantur &c. Annibal nec temere credendū nec aspernādos, ne repudiati hostes aperte fierent, benigne cū respondisset.] Credo legendum nec temere credendo nec aspernando eos ne &c. In eos uersa peditum acies, haud dubium fecit quin nisi firmata extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda clades fuerat.] Emendare debuistis fuerit. Inde montani pauciores iam & latrocinij magis quàm belli more concursabant, modo in primum, modo in nouissimum agmē, ut cuiq; aut locus aut opportunitatem daret, aut progressi morati ue aliquam occasionem fecissent.] Vos emendatis: prout cuique aut locus aut opportunitas apud eos erat, cum nihil sit mutandum nisi delendo ex tribus aut, secundum: sic, ut cuiq; aut locus opportunitatem daret. Ventum deinde ad multo angustiorem rupem, atque ita rectis acsi istud aegre expeditus miles tentabundus manibusq; retinens uirgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset.] Vos, ut dixi, emendastis, atq; ita, rectam acsi istud. Ego sic, Atq; ita rectis sa-

Digitized by Google

xis ut ægre &c. Natura locus iam ante præceps recenti lapsu terræ impeditus, dum ille admodum altitudinem abruptus erat.] Vos emendatis, dum mutantes in tum. Ego sic: lapsu terræ in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Mo li nec peraltæ.] Prealtæ scribendum est. Itaq; in læui tantũ glacie tabidaq; niue uolutabantur, iumenta * secabantur, interdũ etiam infima ingrediẽtia niuem.] Mutastis infima in semita quasi solum iumentorum semita secaretur. Legendum est infimam ingredientia niuem. Decem milia equitum in Italiam adducta magis affluxisse uerisimum est.] Credo legendum uerisimile est. Quid enim adhortari refert, aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen ægre uicissent, aut has legiones quibus, hunc hostem fugiẽtem sequutus.] Vos pro ægre substituistis audacter, ego autem egregie: uere audacter, non egregie emendantes: ego egregie, non audacter. Cum ad unum omnes ferrum pugnamq; poscerent, & deiecta esset in id sors, se quisque eum optabat quem fortuna in id certamen legeret: & cuiusque sors exciderat alacer inter gratulantes gaudio exultans cum sui moris tripudijs arma capiebat.] Scribendum est, ut cuiusq;, uel & ut cuiusq; sors exierat. An me in prætorio patris clarissimi imperatoris probe notum certe educatũ, domitorem Hispaniæ, Galliæq; uictorẽ. Scribendũ opinor, propè natum, quod probat locus ille libri decimi. Sed cum Annibale propè nato in prætorio fortissimi ducis, alitoq; atque educato inter arma. Ne transieris Iberum, ne quid tibi rei sit cum Sanguntinis: ad Iberũ est Saguntum: nusquã te uestigio moueris.] Vos mutastis è uestigio mouéris. Ego, nusquã te uestigio móueris accentu in antepenultima, ut sit uerbi actiui subiunctiuum, non passiui indicatiuum. Nullum contentum ad uincendũ homini à dijs immortalibus acrius datum esse.] Credo scribẽdum, nullũ incitamentũ. Quibus procuratis Scipio cũ equitatu iacu-

* necabantur.

latori

latoribusq; expeditis profectus ad castra hostium, ex quo propinquo copias quātæ, & cuius generis essent, speculādas obuius fit Annibali.] Petrarcha emendauit, ex loco propinquo. Vos emendare omisistis: quod sic fuit emendandum, exq; propinquo. Legitur ex colle prop.

Manilius equidem de filio uirū esse, quod & plures tradidere autores, secundum fama optinuit.] Vos emendatis Mumius pro Manilius ponentes, ego seruum pro secundū. Nam seruus fertur Scipionē ab hostibus eripuisse, filius à pluribus autoribus traditur. Legitur Manlius nō Manilius.

In quarta uigilia noctis insequētis tacito agmine profectus ad Trebiam pluuiū iam loca altiora locusq; impediriores equites castra locat.] Vos tollitis iam: ego pro iam substituo in: pro locus, colles: pro equites, equiti. Delige cētenos uiros ex omni pedite equiteq; cum uiribus ad me uigilia prima uenias. Nūc corpora curare tempus est.] Ego uiribus reor mutari debere in quibus. Cæteris ducibus peditum equitumq; præceptum, ut præhendere omnes iuberent armatos deinde instratisq; equis signum expectare.] Cur in codice regio nō emendastis prandere pro præhendere? Postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio, auidus certaminis eduxit.] Vos consilio mutastis in consiliū quasi ad consilium, non ad locum cōsilio destinatum ierit.] Cum sic dicatur substantiue destinatum ut propinquum: quale fuit illud superius exq; propinquo speculandas copias. Tunc utiq; egressis rigere omnibus corpora, ut uix armorum tenendorum potētia esset, & similitudine: & procedente iam die fame etiam deficere.] Credo sic legendum: potentia essent & lassitudine, uel & simul procedente &c. Duodeuiginti milia Romani erant: socium nominis latini uiginti, auxilia præter Cenomanorū.] Vos emēdastis præter cū fuerit emendandū præterea. Pedestris pugna par animis magis quàm uiribus erat: quarecentis Pœnus pauloante curatis corporibus in mediū attulerat.] Vos emendastis quam recentis: cum fuerit emendandum,

dum, quia recentis Pœnus hoc est Annibal, uel quas recẽtis prò recentes Pœnus, id est, milites pœni. Extemplo haud dubiam facere fidem quoq; additus terror Romanis, ut fusa auxilia sua uiderunt.] Vos mutatis quoq; in est q̃, ego tantũ locum muto sic, additus quoq; terror. Cæterum ne hyberna quidem Romanis quieta erãt, uagantibus passim Numidis equitibus: equeq̃; his impeditiora erant Celtiberis Lusitanisq̃.] Vos emendatis æqueq̃; tantummodo adiecta diphthongo, cum sic fuerit emendandum, & quæq̃. Omnes igitur clausi undiq; commeatus erant, nisi quos Pado naues subuehere temporium prope Placentiam fuit, & opere magno munitum & ualido munitũ præsidio.] Vos nihil aliud quàm dempsistis illud t, ut Emporium tantum esset, nõ intelligentes literam illam ad præcedentem pertinere dictionem, uel quia figuræ maiusculæ erat, fuisse apicem cum litera coniunctum, scriptumq; reliquisse autorem subuehe rent. Præterea munitum quia iteratum est, mutatis in firmatum, ego muto in militum. Deinde ut tandem agitando sese mouere ac recipere animos, & raris locis fieri cœptus est ignis, ad alienam quisque opem tendere.] Vos (quasi mendosa scriptura sit) mutatis recipere, in recepere, opinantes esse præteriti temporis mouere, cum sit infinitum: aut referendum ad illud cœptus est: ut sit sese mouere ac recipere animos cœptum est, aut accipiendũ pro mouebant. Ite nunc, & me reprehendite tanquã nescientem tali infinitiuo uti, qui uos hoc ipsum doceo. Taceo mille in locis uestrum in orthographia errorem. Pugna raro ulla magis ea: & cum utriusq; partis pernicie clarior fuisset, si extendi ea dies in longum spatium quiuisset.] Vos tollitis ea: ego muto in sæua: opinor enim s quæ ultima est in magis fecisse, ut sequens s excideret, sicut factum est in illo superiore, rectis ac si istud, pro rectis saxis. Præterea mutatis quiuisset in siuisset: quia quidam codices habent si extendi eam. Si uero scribendum

Digitized by Google

bendum est ea dies, ut est apud codices alios, nihil ista mutatione opus est. Postquam perditas res amissáq; castra accepit, iter *ad mare conuertit, haud procul Terracone classi. m. nauales q; socios uagas palantesq; per agros (quod ferme fit, ut secundæ res negligẽtiã creent) equite passim dimisso, cũ magna cæde, maiore fuga ad naues compellit.*] Vos emendastis pro classi classis supraq; scripsistis minutis literis has duas dictiones, ubi erat: quasi sic obscure loquatur Liuius: ut duo uerba subaudiri oporteat, cum sic emendandum esset, classicos milites.

IN SECVNDO LIBRO EMENDATA.

SEcundus liber sic incipit. *Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis metuit: & neq; eo qui iam ante conatus trã scendere Appenninũ intolerandis frigoribus, & ingenti periculo moratus ac metu.*] Vos tanquã appetebat actiuum sit & non absolutum, pro eo quod est appropinquabat, siue incipiebat sic emendastis. *Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis quæ & metuit, nec hoc amplius.* Petrarcha sic. *Iam uero appetebat quæ Annibal ex hybernis metuit: ut neque eo qui ante conatus transcendere Appenninum, & cum ingenti periculo moratus ac metu.* Hæc si quis leget non habens in promptu Liuiũ uolo sciat Annibalem ante conatum fuisse ex Gallia Cisalpina, ubi se parũ credebat tuto moraturum, transcendere Appenninum: sed fœdis cœli tempestatibus repulsum, & interea sæpe eisdem Gallis insidiantibus in ultimum discrimen adductum. Hunc locum Poggius ad quem Antonius & Barptolemæus suas in me inuectiuas miserant, cum superioribus diebus has emendationes ostenderem, dixit aliquot iam annis Florentiæ sic emendasse unà cum Leonardo & Carolo Aretinis. *Iam uere appetebat cum Annibal ex hybernis mouit*: cætera negabat egere correctionis: sicut illum communem mihi cum Candido locum, & alia multa, quòd uellet sic accipi, neque eo metu qui pro quo iam ante Appeto.

conatus

conatus erat. Solere nanq; Liuium dure ac scabre loqui. Ego etsi magis Liuij quàm meam uicem doleam, tamen nihil dixi, nisi ut ad reliqua pergeret. Cuius quàm docta sit expositio & quàm uera de Liuio opinio docti iudicent. Ego sic lego. Iam uer appetebat, quum Annibal ex hybernis mouit: & nequicquã ante conatus transcendere &c. Dum consul placandis Romæ distrahendoq; delectu operam dat: Annibal ex hybernis profectus.] Vos sic emendatis, dum consul placandis dijs Romæ distrahendoq; delectu, nescientes, distrahẽdo duo uerba esse: dis quod ferè ueteres non gemino ij scribebant: & * trahendo, id est, differendo: Nam distrahere delectum nusquã legimus, palàm ergo est, quomodo emendare debuistis. Senatũ prætores per dies aliquot ab ortu ad occidentem solem in curia retinent.] Opinor autorẽ ab orto scriptum reliquisse, id est ab orto sole, idq; aliquos uestri similes mutasse. Tibur quo die ad conueniendum edixerat nouis militibus uenit, inde Præneste aduersis militibus in uiã latinam est regressus: unde itineribus summa cum cura exploratis ad hostem ducit.] Vos emendatis inde præneste uersis itineribus: ego trãsuersis tramitibus. Sed ubi aperta omnia apud hostes, nec castra ullo tumultu mota uidet, increpans quidem uictos: tandẽ quos martios animos Romanis debellatumq; & concessum. Quod quis propalandæ uirtute ac gloria esset in castra redijt. Cæterum tacita cura animum incensum.] Vos emendatis propalandæ, quod uocabulum non reperitur à palàm, neq; ut opinor à pala, sed à palus li, ut propalare uineam apud Lucium Columellam: & incensum inceßit. Ego sic. Increpans quidem uictos tandem martios animos Romanorum: quia debellatũ atq; cõcessum ei propalam de uirtute ac gloria esset in castra redijt. Cæterum tacita cura animum incensus &c. Vel quia quidam codices habent increpans uictos, quid tandem sic? Quod tandẽ pro martios animos, Romanis debellatum ne & concessum propalam de

*habendo.

Propalare.

Digitized by Google

lam de uirtute & gloria esset. Sed uir ac uerè Romanus, quo die eum dictatorem ex autoritate patrum iussuq; populi dictum, Veios allatum est: cum esset satis alium ianiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in equum.] Vos, sic. Veios allatum esset S. C. statim uenit ianiculum, ubi sedens, quasi uenit ianiculum posit dici, sicut uenit homo Romam: sed nihil ex sententia intelligitis, quam uobis aperiam, aluum mutato in altum, nam ianiculum non masculini generis est, sed neutri. Exprobrabant Fabio Maximo, qui cunctaretur, iactantes Camillum qui simul ac dictatorem se factum accepit (satis altum est ianiculum unde sedens prospectaret hostem Gallum) sic nunc è montibus Fabius hostem Pœnum (estq; parenthesis) non hoc ille fecit, sed in equum planumq; descendit. Quo repente discursu, haud secus quàm syluis montibusq; accensis omnia circum uirgulta arderc: carptim quærit atq; ratio, excitans flammam hominum passim discurrentium speciem præbebat.] Vos sic emendatis, ardere cœperunt, excitataq; flamma: in quo grammaticæ ratio non constat. Ego accipio ardere pro ardebat, ut intelligatis mihi non uobis hoc genus sermonis notius: emendoq; sequentia, capitumq; inequitatio excitans flammam. Erant enim boues, quorum capita alligatæ cornibus faces, dolore fatigabant. Vt plus consilio quàm fortunæ confidat, & se potius ducem quàm Sempronium Flaminiumq; imitetur: ne nihil actum esse censeret extracta propè æstate per ludificationẽ hostis; media quoq; plus interdũ quippe quàm mouẽdo atq; agendo proficere.] Vos sustuliſtis media. Ego sic emẽdo. Medici quoq; plus interdũ quiete quàm mouẽdo atq; agendo ꝓficere. Vel, medicos plus interdũ quiete quàm mouẽdo atq; agẽdo proficere. Quod etiam probat Hippocrates. Hunc quoq; locũ Poggius cum non admitteret, ut probe correctum: ego dedignatus expectare de reliquis iudicium hominis, qui nihil nisi quod ipse

inuenisset

inueniſſet bene inuentum iudicaret: eũ ualere iuſſt, non ita magnĩ referre exiſtimãs in literarũ ſenatu, ſi unus, & is pro ſua dignitate retinenda, album mihi calculum nõ dediſſet. Nam *cæteri omnes, qui liberi æmulatione & inuidia erant, hæc uniuerſa ſummopere comprobarunt.* Quorum unus fuit: *ille ipſe cuius memini.* Cardinalis Columna, *uir non minus ingenio moribuſq;, quàm genere nobilis: qui has plerasq; emendationes ſuo codici addi à me mea manu uoluit. Hæc ideo dixi, ut intelligar à nemine fuiſſe hac in re inuenienda adiutus,* Et *cum uniuerſi adniſos lato agmine, & nonnullis ſimul uenientibus haud ſanè intrabiles eſſent, in latus paſsim naues egerunt.*] Sic *emendandum puto, & cum diuerſi ac diuiſo late agmine à tam multis ſimul uenientibus haud ſanè penetrabiles eſſent, in littus paſsim naues egerunt. Cæterum omnes incenſum eſt, nec continentis modo periectas horas præteruecta, ſed in Ebuſum inſulam tranſmiſſum.*] Vos *mutatis periectas in periunctas: Ego in ,piectas, hoc eſt prominentes. Eo uinculo Hiſpaniam uir unus ſolerti magis quàm fideli conſilio ex ſocietate, duxerat Sagunti nobilis Hiſpanus fidus ante Pœnis? tum (qualia plerunq; faciunt barbarorum ingenia) cum fortuna mutauerat fidem.*] Vos *ita mutaſtis (cum dico mutaſtis, erraſſe uos aio, atq; induxiſſe) Mutaſtis autem, facientes ex binis dictionibus ſingulas, de ex ſocietate exſoluendam: de dux erat, duxerat. Ego ſic, conſilio exſoluit:*

Acedux. *Eſtq; finis ſuperioris ſententiæ. Tum ſequitur altera. Acedux erat Sagunti nobilis Hiſpanus. Siquidem Acedux nomen hominis eſt, ut in ſequentibus patet. Conuenerat inter duces Romanos Pœnũq;, ut quæ pars prius reciperet quàm daret argenti pondo bina & ſex libras in milites præſtaret* CCXLVII. *cum plures Romanus quàm Pœnus recepiſſet argentũq; pro eis debitũ ſæpe &c.*] Vos *mutatis prius in plus, ego in plures, & milites in militẽ, & ſex libras in ſelibras, id eſt in ſingulas libras cũ*

dimidiata

Digitized by Google

dimidiata, ut semodius unus modius est et dimidiatus, & sescunx uncia et media. Annibal prō Geryonis mœnibus, cuius urbis captæ atq; incensæ à se in usum horreorū pauca legi, qua erat tecta, instituisenserant, inde frumentatū duas exercitus partes mittebat.] Vos sic. Pauca reliquerat tecta qd' ego nō damno: quodq; ego per me animaduerteram: id si uos nō cōceditis, nec ipse concedam uobis istud uos inuenisse, sed aut è libro aut ex homine didicisse: & alioqui altius ipse & plura q̄ uos emēdaui sic: in usum horreorū siqua reliqua erāt tecta* restituisset. *Statiua habebat.

Patrem laniū fuisse ferūt, ipsum institutorem mercis: filioq; hoc ipso in seruili eius artis ministerio usum. Is iuuenis utrum ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta animū ad spem liberalioris fortunæ adiecit.] Ego reor nō institutorē, sed institorem legendū: & pro utrū multa siue grandi. Vos utrū, cum tamē necessariū sit suū adiectiuū habere pecunia, nō enim quātacunq; pecunia à patre relicta facit animos, sed multa. Non celerius q̄ timui deprehēdit fortuna temeritatē. Fabi æquatum imperio Annibalē, & uirtute et fortuna superiorē uidet.] Hoc uos in regio codice reliquistis inemēdatū, quod sic emēdandum erat, Fabio æquatus imperio &c. Itaq; prius q̄ ad cōiectum teli ueniret, aut manū cōsereret suos à fuga effusa, et ab animis feroci pugna hostis cōtinuit.] Emendare debuistis & à feroci pugna. Progressus ante alios magister equitū cū patrē Fabium appellasset, circūfusosq; milites eius patronos totū agmē consalutasset. Parentibus (inquit dictator) medijs quibus te modo nomine, quo fando possum æquaui, uitam tantum debeo: tibi cum meam salutē, tum omnium horū.] Vos emendastis, Parem inquit dictator te dijs modo nomine. Ego sic parētibus, inquit dictator meis quibus te modo &c. Neapolitani legati Romam uenerunt, ab his quadraginta pateræ aureæ magni ponderis in curiam illatæ: atq; ita uerba facta ut dicerent: scire res Alij pro utrum legunt ubi.

Digitized by Google

esse populi ærarium bello exhauriri. Opinor sic legendũ. Scire sese populi, uel scire se reipublicæ ærariũ &c. Gratum sibi patres Romanos, populumq; facturũ: si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosq; iudicauerint, à quibus donum animo ac uolũtate corũ qui libenter darẽt, quàm rẽ maius amplius q; acciperent.] Emendare debuistis, q̃ re maius &c. Ab eodem populo Romano, S.C. literæ ad cõsules missæ.] Debuistis emendare, Ab eodẽ prætore ex S.C. literæ &c. Terẽtius Varro ne quem sui generis hominẽ plebs infectatione principũ popularibusq; artibus conciliatum ab Q. Fabij opibus ex dictatorio imperio cõcussum, aliena inuidia splendentem uulgus extrahere ad cõsulatum nitebatur.] Emẽdare debuistis, C. Terentium Varronem quẽ sui generis hominẽ plebs infectatione principum &c. Nihil inclementer in Varronẽ dictũ nisi id modo, mirari se, quòd ne quis prius q̃ aut suũ, aut hostiũ exercitum, locorũ situm, naturã regionis nosset: iam nũc locatus in urbe scire, quæ sibi agenda armato forẽt.] Credo sic legẽdum. Mirari se quomodo uel quemadmodum quis, id est, aliquis dux prius q̃ &c. Dubitas ergo qui eũ sedendo superaturi simus, qui senescat in dies? Non cõmeatus, nõ supplemẽtum, nõ pecuniam habeat? Quãdiu pro Geryonis castelli Apuliæ ignobilis tanquam pro Carthaginis mœnibus, Sed ne aduersus te quidem ego gloriabor.] Petrarcha addidit pugnatũ est, ut esset tãquã pro Carthaginis mœnibus pugnatũ est. Vos addidistis pugnabimus. Ego, sed, muto in sedet: ut sit, quãdiu pro Geryonis Castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus sedet.

Alij Petrarchũ sequuntur.

Duobus ducibus unus resistas oportet, resistes autẽ aduersus famam rumoresq; hominum, si satis firmus steteris: si te neq; collegæ uana gloria, neq; tua falsa infamia mouerit à ueritate. Laborare nimis sæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreuerit, ueram habebit.] Vos uero nihil intellecta scriptura

ptura sic emendatis. Veritatem laborare nimis, sæpe aiunt extingui nunquam. Ego sic legendum censeo. Neq; tua falsa infamia mouerit à ueritate. Laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nunquam. Est autem etiam hac ætate tritum hoc uulgi sermone prouerbium, ut pinguioribus uerbis efferam. Aegrotat quidē ratio siue ius aliquando: sed nunquam moritur. Omnia audentem contemnet Annibal, nihil temere agentem metuet. Nec ego ut nihil agatur: sed ut agentem te ratio ducat licet, non fortuna.] Petrarcha uidens hoc in loco deesse uerbum, addidit moneo sic. Nec ego ut nihil agatur moneo. Sed hæc additio superuacua est, tantumq; mutandum ego in eo: quod significat in eum finem. Gallis Hispanisq; scuta eiusdē formæ fere erant: dispares ac dissimiles gladij. Gallis prælongi ac sine mucronibus. Hispano punctim magis quàm cæsim assueto petere hostem, breuitate habiles & cum mucronibus, ante cetris animato. Is gentium habitus tum magnitudine corporū, tum specie terribilis erat. Galli super umbilicum erāt nudi: Hispani linteis prætextis purpura tunicis, candore miro fulgentibus cōstiterant. Vos sic emendatis. Talis habitus gentium illarum. Ego sic. Ante alia habitus siue inter alia ipse habitus. Hæc exagentis prius turba fugientium ciuium, deinde hostes oppressere consulem, ignorantes quis esset, obruerunt q; telis.] Vos emendatis: hæc exigenti. Ego hæc exigentem, id est, postulantem à Lentulo consule. Hæc pugna Allienſi cladi nobilitate par: cætera utilis quæ post pugnam accidere leuiora.] Ego sic emendo. Cæterum ut illis quæ post pugnam accidere leuior, quia ab hoste cessatum est. Hoc est quia Annibal cessauit petere urbem, ut Galli peticrunt superatis ad Alliam Romanis. Præterea nanq; una dictio, debet diuidi in duas, ut sit relatiuum quæ: refertur enim ad illud fuga. Ita tota emendatio erit singulis dictionibus in binas separatis, utilis in, ut illis: Aliter nunc legitur.

Digitized by Google

nanq;,in nam quæ,& leuiora mutato in leuior. Maharbal præfectus equitum minime ceſſandũ ratus:imò ut quid hac pugna actum ſit ſcias,die quinto,inquit,uictor in capitolio epulaberis:ſequere cũ equite,ut prius te ueniſſe quàm uĕturũ ſciãt. Præcedãt(Annibal inquit)inimici:læta res & uia maior q; quæ ut eam ſtatim capere animo poſſem.Itaq; uolũtatem ſe laudare Maharbalis ait,ad cõſiliũ penſandũ tẽpore opus eſſe.] Ita in cæteris fere exemplaribus:in regio aũt,quod Florẽtiæ emẽdatũ eſt ſic,Præcedant,Annibal,læta res & nulla maior:quod uos ſic emendatis,præcedat Annibal inimicus,læta res & nulla maiora,ſcilicet uultis:ut hæc ſit oratio Maharbalis quæ eſt autoris,ideo q; ſic emendanda.Præceperat ſiue pertulerat,ſiue peruaſerat Annibalem,ſiue inceſſerat Annibali,nimia lætitia,ſiue nimia tãtæ rei,ſiue rei talis,ſiue uictoriæ lætitia,maior q; quàm ut eam ſtatim capere animo poſſet.Cõmuto aũt quæ extenſum in cõtractũ,ſeu diphthongatũ ſiue longũ in nõ diphthongatũ, & breue.Hanc meã emendationẽ probat eſſe ueram,concluſio quæ ſequitur.Itaq; uolũtatẽ ſe laudare Maharbalis ait. Spolijs ad multũ delectis Annibal ad minora ducit caſtra oppugnãda.] Opinor legendũ ſpolijs ad multũ diei,uel ad multã diem lectis. Si tã duriores eſſe uelitis,quod nullo noſtro merito facietis,cur nos hoſti relicturi ſitis. Opinor iam legendum eſſe, etiamſi tam ſcribitur.Siquidem Quintilianus ait uſu receptũ,ut ſic iam,ut tam ſcribatur. Quo in tẽpore ipſo adeo magno animo ciuitas fuit,ut cõſuli ex tãta clade,cuius ipſe cauſa maxima fuiſſet,redeunti & obuiã itũ frequẽter ab oĩbus ordinibus ſit,& gratiæ actæ quòd de republica nõ deſperaſſet. Qui ſi Carthaginiẽſium ductor fuiſſet nihil recuſandum ſupplicij fõret.Opinor legẽdum, Cui ſi Carthaginenſium ductor fuiſſet, nihil recuſandum ſupplicij foret.Vel, qui ſi Carthaginienſium ductor fuiſſet,nihil ei recuſandum ſupplicij foret,

Aliter & melius nunc legitur.

Alij tam duriotis legunt.

Emendatq;

Digitized by Google

EMENDATA IN TERTIO LIBRO.

HAec Annibal post Cannensem pugnam, capta ac direpta confestim ex Apulia in Sānium mouerat, accitus in Hirpinos à Statio, pollicente se Compsam traditurū.] Vos addidistis castra: sic castra capta ac direpta: quanquam poterat sic mutari sine ulla additione, castraq; direpta. Sed nō improbo additionem: siue sit ea ex uobis, siue ex aliquo exemplari, nā multa conquisistis. Cæterū quid sibi uult primū illud uerbū, hæc? Ego superuacuū existimo, & hac de causa adiectū, quòd ij qui Annibal sine aspiratione scribūt, ipsam figurā aspirationis in principio libri nonnihil distare à sequēti uocali, & forte maiuscule scriptam uidentes, nō partem huius nominis, sed aliud esse putauerunt. Igitur, hæc, quod uicinū in scriptura erat interpretati sunt. Celiusq; & alij ita ut sine causa prætermiserāt scriptores ponere, pro certo sum ueritus.] Vos sic emendatis. Celiusq; & alij, ut non sine causa prætermiserant, quod grammatica non cōsentit. Ego sic, Cæliusq; & alij scriptores haud sine causa prætermiserant. Nam quidam haud per t, scribunt hincq; fuit erroris causa. Hæc pacta, illa insuper quàm quæ pacta erant facinora Campani ediderunt.] Deinde subiungitur interfectio præfectorum, ciuiumq; Romanorum. Vos ita hoc emendatis, ut duo prima uerba tollatis tertiū mutetis in alia. Ego nihil ex ijs nec tollo, nec muto: sed facinora in fœdiora sic. Hæc pacta subaudit fuerūt, illa insuper q̄ quæ pacta sunt fœdiora Campani ediderunt. Eo Pacuuius Calanius de quo ante dictum est, princeps factionis eius quæ attraxerat rem ad Pœnos filiū iuuenē adduxit. Abstractū à suo cū Decio ait latere: cū quo ferocissime pro Romana societate aduersus punicum fœdus steterat.] Vos sic emēdatis: abstractum à sinu, à latere Decij. Ego quia Liuius illū semp duobus nominibus appellat sic emēdo, abstractū à sueto Decij Magij latere. Cœperūt epu-

H in hæc

Haut.

Digitized by Google

lari de die, & conuiuium non ex more punico, aut militari disciplina esse, sed ut in ciuitate atq; etiã domo, diu ad uarias hominum uoluptatũ illecebras instructũ. Vnus nec dominorũ inuitatione, nec ipsius interdũ Annibalis, Calanij filius Parolla uinum potuit, ipsiq; ualetudinẽ excusans paterni animi quoq; aut mirabilem in turbationẽ causa ante solis ferme occasum patrẽ Calanium filius ubi in secretũ ortus erat posticis ædiũ peruenerunt.] Vos sic emendatis, permolliri potuit ipsiusq; ualetudinem excusans pater. Ego sic. Pelli ad uinũ potuit cibumq; ualetudinẽ excusante patre: animi quoq; eius haud mirabilem turbationis causam, uel animi quoq; eius atrem bilam interpretabatur causam, uel, haud miram ait perturbationẽ Pauloante solis occasum &c. Consilium inquit affero pater quo nõ ueniam solum peccati, quod defecimus ad Annibalẽ impetrari ab Romanis, sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani quàm fuimus unquam.] Nõ impetrari scribendũ reor, sed impetraturi. Paucæ horæ sunt intra quas iurantes per quicquid deorũ est dextras, dextræ cõiungẽtes fidẽ obstrinximus, ut sacratis de mẽsis essemus, digressi à colloquio, exẽplo in eũ armamur * iurgijs ab hospitali mensa: ad quam tertius Campanorũ adhibitus ab Annibale, eam ipsam mensam cruẽtare uis hospitis sanguine?] Credo legẽdum nõ iurgijs: sed * periurijs. Et legatione missa ad repetendũ eum ne aut negando rem quã primum peterent offendi sibi noui socij, aut tribuendo habendus Capuæ esset seditionis ac turbarũ autor.] Legendũ opinor nõ offendi sed offendẽdi. Mihi quoq; quoniã respõdi Himilconi interrogare uis fasq; est uelim seu Himilco respõdeat,] Legendum credo, seu Mago seu Himilco respõdeat. Ergo si qs de pace consulet seu deferẽda hostibus seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam. Sed de ijs quæ Mago postulat repertis. Nec uictoribus mitti attinere puto: & frustrantibus nos falsa atq; inania

Aliter impressum est.

* Surgis.

Imo Surgis.

inania multo minus censeo mittenda.] *Sic legendum puto. Sed de ijs quæ Mago postulat nec reptis victoribus mitti attinere puto. Cupidus marini oppidi potiũdi.*]*Opinor legẽdũ mariti mi. Ceterũ postq̃ Neapolim à præfecto Rom. teneri accepit M. Iunius Syllanus erat ab ipsis Neapolitanis accitus, Neapoli quoq; sicut Nolam * amissa, petit Nuceriam. Opinor legẽdũ, Nola omissa. Instrui deinde utrinq; acie Romanorũ cœptæ pro mœnibus Nolæ: Pœnorũ ante castra sua prælia hinc parua inter urbem castraq̃;.*] *Obscurus sensus qui fiet apertissimus si loca duarũ dictionũ contiguarum mutauerimus sic: Instrui deinde utrinq; acies cœptæ: Romanorũ pro mœnibus Nolæ &c.*

Alij referris Nec.

*non admissus.

Media porta robora legionũ & Romanos equites, duabus circa portis nouos milites leuemq̃; armaturã ac suorũ equites statuit.]*Opinor legendũ sociorum non suorum. Non uinci enim ab Annibale uincere solitis difficilius fuit quàm postea uincere.*]*Opinor legendũ: nõ uinci enim ab Annibale, uinci solitis siue uinci suetis, uel uincere solito siue sueto. Annibal Acerris direptis atq; incensis, cũ à Casilino dictatorem Romanũ legionesq̃; minus accipi nunciatũ esset, nequis tam propinquis castris &c.*]*Vos mutatis minus in cunis, ego in nouas, et accipi in acciri: qd'ita debere legi, q̃ uerba ipsa autoris de duabus nouis legionibus legit, animaduerteret. Ibi cũ dies aliquot suscepti cãpanis timẽtesq̃; cauẽdis ac struẽdis inuicẽ insidijs traduxissent.*] *Vos sic emendatis. Ibi cũ dies aliquot suscepti campanis susceptis timentibusq̃; cauendis ac struendisq̃;. Ego tantũ muto susceptis in suspecti. Ita eneruauerũt corpora animosq̃; ut magis deinde præteritæ uictoriæ eos q̃ præsentes tutarẽtur uires: Manusq̃; id peccatũ duos apud peritos artiũ militariũ haberetur q̃ q, nõ ex cãnensi acie ad urbem Romanam duxisset.*] *Vos sic emẽdatis. Cum dico uos, de quatuor in primis loquor, duobus quidem contra quos, ut nefandissimos mei accusatores,*

Digitized by Google

hæc scribo: totidem autẽ absentibus, Iacobo Curlo, quem Bar-
Panhormitæ præconia post mortem. ptolemæo antepono, & Antonio Panhormita rhetore, quem
proxime perisse audio, non modo Latinarum sed Græcarum
literarum sanè perito: qui suas Genuam emendationes ad Cur-
lum miserat. Vos igitur regium codicem quo nullus in omni
Codex Liuij in manu regis. Italia est augustior uel emendatis, uel deprauatis. Id pecca-
tum ducis apud peritos artium militariũ habetur maius, quàm
quòd non ex Cannensi acie &c.] Ego sententiam superiorem
sic claudo: quàm præsentes tutarẽtur uires: & sequentẽ, muta-
to manus in maius, sic incoho: Maiusq́; id peccatũ ducis apud
peritos artium militariũ habetur & reliqua. Dixi incohari se-
quentẽ sentẽtiam, sed ita uolo dixisse, ut sciamus eam à superio-
re pendere, ideoq́; scribẽdum haberetur, nõ habetur sicuti uos
emẽdatis. Nec muribus alio ́ue aĩali abstinerẽt, & omne hær
barũ radicumq́; genus aggeribus infimis muri eruerent: & cũ
hostes exarassent quicquid hærbi terreni extra murũ erat, ra-
Rapa. porum semen iniecerũt.] Vos mutatis hærbi in hærbidi & ra-
porum in raparũ. Ego infimis in infimi de ablatiuo plurali in
genitiuum singularem, & hærbi terreni in hærbidi, uel hærbæ
tenerum, Raporum autẽ in raparũ cur mutaueritis? nõ uideo.
Cum Cato, Varro, Columella, Plinius, Martialis, Palladius, a-
lijq́; complures rapa neutro genere appellẽt. Fuluius Flac-
cus in locum P. Scantini demortui.] Vos emendatis: in locum
P. Scauri inde mortui: quasi dicatur inde mortuus & nõ sem-
Demortuus. per demortuus. Cũ de ea re M. Aemilius prætor dictatore
post Casilinũ amissum profecto tam ad exercitũ exposcentibus
Tam pro iam. cunctis retulisset.] Vos mutatis tam in tum: nescij tam pro iam
scribi, ut iterũ admonuimus. Acciriq́; C. Terentiũ consulẽ ad
dictatorẽ dicẽdũ iußerint, qui eo ex Apulia, relicto ibi præsidio
cum magnis itineribus Romã redisset.] Vos emẽdatis qui con-
sul ex Apulia. Ego qui mox ex Apuleia. Idq́; sacrũ uasis erat

quo

Digitized by Google

quo solennibus libarent.] Opinor legendū: sacrū uas ijs erat, uel sacrum uas erat. Quid in Apulia cū C. Terentio cōsule esset à peritis quæsitum est ne secundo cōsiliarius exercitus satis firmi ad tantū bellum efficerentur inibatur ratio.] Vos sic emendatis, quæsitū est duo ne consulares exercitus. Ego: Nec quomodo cōsulares exercitus, & reliqua. Eodē exim dictatoris legionibus reijci militem minimi quēq; roboris.] Opinor scribendum. Eodē ex tribus dictatoris legionibus. Tot enim habuit dictator legiones, & binas consules. Cū decreta senatus mandataq; exposuisset atq; edocuisset ipse inuicē quēadmodum tractandū bellum in Hispania foret, retro in sua castra redijt, nulla re quàm celeritate tutior: quòd undiq; abierat anteq; consentirent.] Vos hæc ultima uerba sic emendatis: antequam eum sentirent. Ego antequā consules sentirent. Si quidē duo cō sules tunc in Hispania erant, quos ille fefellit: Carthaginiensis & consules una syllaba scriptū erat, ut in plurimis uerbis fit. Porrò illud inemendatū reliquistis, atq; edocuisset, quod est ita emendandum, atq; edidicisset, uel atq; edoctus fuisset: uidelicet quomodo ille ad quem uenerat tractare bellum uellet. His anxij curis ad Iberū cōuertūt copias: & transito amne cū diu cōsultassent utrū castra castris cōferrent, si satis haberēt socijs Carthaginiensium oppugnandis, morari ab itinere proposito hostem: urbem à propinquo flumine Iberam appellatam opulentissimam ea tempestate regionis eius, oppugnare parant.] Vos sic emendatis. Vtrum castra castris cōferrent, an tum haberent quæ sententia non habet exitum. Ego sic. An satis haberent.

Aliter legitur. Legiones dictatoris & consulū.

Carth. consil.

Absumptis enim frugum alimentis carnisq; omnis generis quadrupedumq; suetemq; postremo corijs hærbisq; & radicibus & corticibus teneris strictisq; rubris.] Ego opinor legēdum * scutorumq; pro suctemq;: quæ uerba uos quia emendare nesciuistis, erasistis. Senatus decreuit ut T. Sempronius cōsul

* sutrinæq; legunt alij.

designatus cum Ibono iuisset, ad populum ferret, ut Fabium siue dium uirũ esse iuberent ædis ædicandæ causa, & M. Aemilio Lepido quibus consul augurq; fuerat filatres l m, quæ audisse funebres per triduũ & gladiatorũ paria duo & uiginti per triduum in foro ædiles curules C. Lectorius & T. Sempronius Graccus consules designati: qui in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerant: qui per triduũ instaurati sunt. Circũacto tertio anno punici belli T. Sempronius consul designatus, idibus Martijs magistratum iniit.] Vos hic nihil emendastis, nisi cum Ibono inisset sic: cũ primum magistratũ inisset: quod falsum esse ex posterioribus coarguitur: quia ante fuerunt editi ludi, quàm Sempronius inisset magistratũ: ut ipsa quæ posui uerba indicant. Postea mutastis filatres in simul imperatores, hoc est, tres imperatores: quæ nulla sententia est. Ego sic arbitror emendandum: Senatus decreuit, ut T. Sempronius consul designatus cũ bono omine ad populũ ferret. Ideo autem præfati sunt cũ bono omine, quia post motũ bellũ nunq; fecerant ludos: alijs super aliàs cladibus nunciatis. Perago cætera. Vt duũuiros esse iuberent ædis dedicãdæ causa. C. Aemilij Lepidi, qui bis consul augurq; fuerat, filij tres, Lucius, Marcus, Quintus, ludos funebres per triduũ, & gladiatorũ paria duo & uiginti per triduum in foro dederunt. Aediles curules C. Lectorinus & T. Sempronius Graccus cõsul designatus, q in ædilitate magister equitum fuerat, ludos Romanos fecerũt & reliqua. Consules exercitus inter se diuiserunt. Fabio exercitus cui M. Iunius dictator præfuerat, cuenit: Semp. uolonũ, qd' fuerat & sociorũ xxx.] Lego Sempronio uolones, qui fuerũt & sociorum xxv. milia. Sunt aũt Volones serui quibus pro rep. arma tradebãtur, sic appellati, q, ultro uellẽt militare pro dominis. Subductæ naues dũ refigũtur aliquantulũ tẽporis triuere.] Sic legitur per uos in regio codice emendatũ cũ emẽdare*

Cum bono omine.

*Et M.

Volones.

Digitized by Google

dare debuissetis, reficiuntur. Nam refigere est quod fixum est educere. Campanis omnibus statutū sacrificium ad Hamas.] Legendum est statū, de quo fuit inter nos apud regē cōtrouersia: quodq; ego multis rationibus atq; exēplis probaui. Iam campani eo frequētes ex cōpositio cōuenerant, nec procul inde in occulto Marius Alpius edixit uti cui summus magistratus erat cāpanis, cū XIIII. maiorū habebat castra.] Vos sic emendatis. Martius Alpius & ipse uti cui summus magistratus erat campanis, cū XIIII. iuniorū uel militum habebat castra. Ego sic. Mediastuticus uel mediſtuticus q summus magistratus erat Campanis, cum XIIII. militū habebat castra. Est aūt mediatuticus nomen magistratus, ut alijs in locis apud Liuium lib. II. bel. pu. VI. patet. Si quis tollendū relatiuū putat, ut sit mediſtuticus summus magistratus erat, tollat licet. Ipse ad Hamas uacua hostibus castra ne quicquā præter recētis uestigia cædis strataq; passim corpora sociorū iuenit.] Legēdū est, nec quicq̄ (cū dico legendum) dico uos emēdare debuisse. Aduersus ingneā ingentē turrim admotā urbi, aliā ex ipso muro excitauit Cōsul Romanus aliquāto altiorē: quia muros satis p se altos subiectis ualidis supplicatis pro solo usus erat.] Vos tñ in margine ex purpureo colore feciſtis pro supplicatis aliter sublicis. Opinor Antoni nō nihil reminiscebaris correctionis meæ apud regē, quòd si prorsus reminiscebaris, quomodo hunc locū emēdarim, nec me autorem in emendando regio codice habere uoluisti nihil est te pertinacius: sin oblitus es, nihil te obliuiosius atq; hebetius. Ego sic emendandum esse librū te admonui, rege approbante, & ut reor etiā nunc memoria tenēte. Quia muro satis per se alto subiectis ualidis sublicis pro solo usus erat. Est enim sublica genus trabis, unde dictus est pons sublicius, quòd non ex lapidibus esset, sed ex sublicis structus nō solū Romæ, & in Tyberi, sed in alijs etiā fluminibus. Ad mille CCCC. Carthag. cæsi & inde LX. uiui capti. Opinor legendū & unde

Refigere.

Statum sacrificium.

Meditatuticus.

Sublica.

Digitized by Google

sexaginta uiui capti, hoc est uno dempto ex LX. *qui sunt* LIX. *captiuis in uincula coniectis. Itaq; ignarus his quæ cũ Annibale legatis suis cõueniissent.*] *Vos emendatis, legati sui: quod nec fuit emendandũ & sic emendari grãmatica uetat. Nec te nec exercitum tuum nõ misi, à quo tot acies Romanas fusas stratasq; sciam: ei facile esse dicam: opprimere populatores nostros uagos sine signis palatos, quo quemq; trahit quãuis uana præde spes.*] *Opinor legendũ, nec te, nec exercitum tuum norim, nisi uel ni à quo tot acies, & reliqua. Si modo quos socios haberes dignos duxisti, ad id indignos iudicas, quo in fidem receptos tuearis.*] *Vos emendatis: nisi quos modo, ut socios haberetis: cũ sic fuerit emendandum. Si modo quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas quos in fidẽ receptos tuearis. Exercitũ esse non in agrum Hirpinum sociorum ue.*] *Opinor legendũ, exercitũ misisse. Sed quid inter Capuæ Nuceriæq; fortunã interesset, ipsos propè in medio sitos Nolanos scire: nolo minari quæ captæ urbi ecßura forẽt.*] *Vos emendatis nolle pro nolo, Ego ominari pro minari.*

Legendũ se esse, quia sequitur ducturum.

Romam uos expugnaturos siquis diceret fortes lingua iactabatis: enim minor est res: hic experiri uim uirtutẽq; uolo.] *Opinor legendum, en minor uel en nunc minor est res. Sed Nolanis etiã per clamorẽ fauoris iudicẽ accendentibus.*] *Ego, fauoris indicem. Vt apud Ciceronem pro Rabirio, Quin comprimitis istãm uocẽ indicẽ stultitiæ, testem paucitatis. Taurea uerbis ferocior quàm re minimesis, inquit, Canterium in fossam?*] *Vos emendatis minime scis, quũ eodem modo hic dicatur sis aduerbialiter, quo agesis, quod exponunt si uis: cuius generis sunt plurima exempla. Huic pugnæ equestrirẽ quã ætatis cõmunis certa existimatio est.*] *Ego sic: quã satis certã existimatio est. Literis recitatis nemo omniũ erat qui nec uera scribi, & postulari æqua fãteretur.*] *Opinor sic legendum,*

Sis.

nemo

Digitized by Google

nemo omniũ erat quin & uera scribi &c. Quorũ duo postulata fuere, unum ne tarentum in eo publico eßent.] Vos sic emendatis. Quorũ duorũ postulata fuere, ut talentum in eo publico esset: quæ sententia nec cũ re cõuenit, nec ullius est usus. Ego sic: quorũ duo postulata fuere: unũ ne alij triennio eo publicani essent: publicanorũ enim hæc postulata erant: qui Reip. præsentem pecuniã, & quidẽ gratuitam mutuabant: sed sub spe quia tunc nec in ærario quicquam, nec in uectigalibus foret.]

Quemadmodum cõducta omnia magno animo sunt, sic summa fide præbita: * nec quicquã si ex opulẽto ærario, ut quondã alerentur.] Opinor legendũ. Nec secus quàm si ex opulẽto. *quícquam deßderatum acß.

IN IIII. LIBRO EMENDATA.

FLumen quod medio oppido fluxerat extra frequẽtia tectis loca præterfluebat: & agros qui habitabantur sex milia aberat.] Opinor legendũ, præterfluebat muros procul ijs quæ habitabãtur. In Sicilia Romanis omnia mutauerat mors Hieronis, regnumq; ad Hieronymũ nepotẽ eius translatũ, puerũ uix dum libertatem nedum dominationẽ modice laturũ. Aetatis id ingenium tutores atq; amici ad præcipitandũ in omnia uitia acceperunt.] Ego accipio modice aduerbialiter pro eo quod est temperate, & modeste. Ideoq; superiorẽ sententiã sic claudo: nedum dominationẽ modice laturum: Sequentemq; sic incipio: mutoq; sic * Lætati, id ingeniũ tutores atq; amici. Quæ ita futura cernens Hiero, ultima senecta uoluisse dicitur liberas Syracusas relinquere: ne sub dominatu puerili, per ludibriũ bonis artibus partũ firmatumq; interiret regnum. Huic consilio summa ope obstitere filiæ, nomen regium penes puerũ futurũ ratæ, regimen rerũ omnium penes se uirosq; suos, Andromodorum & Zoilum primi relinquebãtur.] Ego sic emendãdum reor, Penes se uirosq; suos. Nam ij tutores primi relinquebantur: uel nam ij duo primi, uel ij enim duo primi &c. Deinde *læte.

cæte

cæteros tutores ſummouet Andronodorus, iuuenem iam eſſe dictans Hicronymum ac regni potentē, deponendamq; tutelam ipſi quæ cōmunis cum pluribus erat, in ſe unum omnium uires cōuertit.] Legendum opinor: deponendaq; tutela, id eſt, deponendo tutelā quæ ipſis cum pluribus cōmunis erat in ſe unum omnium uires cōuertit. Hunc tam ſuperbū apparatum habi
* more tumq; cōuenientes ſequebantur * cōtemptus omnium hominū, ſuperbiæ aures, cōtumelioſa dicta, aditus non modo alienis ſed
* etiam * difficiles * tutoribus * libidines nouæ, inhumana crudelitas.] Ego emē=
Sic addūt mores. do cōuenientes in cōuenientia, & addo etiā ut quidā addunt, difficiles, ut ſit: difficiles aditus. Clamore & tumultu audito in indigeminem tam haud dubie obſtantē tela conijciunt.] Vos emendatis tam in tamen: Ego pro iam puto legendum ut bis iam dixi. Inde Romam comitiorum cauſa ueniens, in eū quē primum diem comitialē habuit, comitio edixit atq; edixit inire præter urbē in campū deſcendit.] Vos ſic emendatis, cōmitialē habuit eo die cōmitia dixit: atq; edixit inire. Ego ſic. Comitia edixit: atq; ex itinere præter urbē in campum deſcēdit. Quod probatur ex illo non longe poſt loco. Et quia urbē nō inierat,
Comitia. Comitium. protinus in campum ex itinere profectus. Comitialē à comitijs dixi quæ ſunt actus creandorum magiſtratuum: nō à Comitio, quod ut ait Pædianus, eſt locus propè ſcenatū, quo ire equitibus & pop. Ro. licebat. Itaq; aliud ſingulare aliud plurale ſignifi=cat. Ob eandem cauſam (ut multis annis poſt fuiſſe nō nega uerim) cum M. Valerio nō diffideretur aduerſus ſimiliter pro=uocantem arma capienti Gallum ad certamen.] Hic ego reor mutandum, ut in haud: cōmutandaq; aliorum uerborum loca, ſic: ob eandē cauſam haud multis annis poſt fuiſſe non negauerim, cum M. Valerio nō diffideretur arma capienti aduerſus ſimiliter prouocantē ad certamen Gallum. Fontem ſub terra tanta in aquā fluxiſſe.] Opinor legendū, tanta ut aquarū &c.

Tactum

Digitized by Google

Tactum de cœlo atrium publicũ & in Capitolio. ædem in campo uulcani, uocem in Sabinis publicamq; uiam, murũ ac portam Gauisiam.] Vos mutatis uocem in arcem: ego in Nucem.

Inchoata nostra gloria nondũ perfecta est periculumq; ingens manet, nisi faciem cõcordiæ consulitis ne libera efferatur res.] Vos sic emendatis, nisi facie cõcordiæ consulitis. Ego sic: nisi ciuium uel publicæ, uel cõmuni cõcordiæ, uel nisi paci & concordiæ consulitis. Esse aliquid etiã mouẽti ad consiliũ.] Opinor legendum momenti. Ipsi cum paucis equitibus Herbesum proficiscuntur spe, territis omnibus, per proditionẽ urbis potiundæ.] Vos sic emẽdatis: spe fretis omnibus, quod longe abest à uero. Nam ideo proficiscebantur cum paucis equitibus Herbesum, quòd erat eis spes urbis potiundæ per proditionem, omnibus qui Herbesi erant iam territis. Nescistis distinguere hanc clausulã, ergo nec sensum eius percipere. Prima forte signa sexcentorũ Cretensiũ erãt * qui apud Hieronymũ * ✠ meruerãt.] Vobis quidẽ uenit in mentẽ emẽdare præuia frõte.

Inter hoc collo q̃ signa cõstiterãt, tenebaturq; agmẽ: necdũ quæ moræ causa foret puenerat ad duces. Postq̃ Hippocratẽ et Epicidem peruaserat rumor.] Hic quoq; uos additis aduenire quasi nõ subintelligatur uerbũ substantiuũ sic, Hippocratẽ & Epicidẽ esse. Velut interceptas literas quas ipse cõposuerat recitat. Prætores Syracusanos Marcello suo salutem: ut assolet scriptum erat. Recte eũ atq; ordine feciss̃e.] Opinor scribendũ: Syracusani, est enim principiũ epl̃æ Prætores Syracusani. Hoc tñ esse principiũ epistolæ tenes ne memoria Antoni te nõ peruidisse cũ legeres: peruidisse regẽ atq; cæteros q̃ aderãt cum te emẽdasse, secundũ pro post accipi? Multaq; enim exẽpla protulissem, nisi uidissem assensos. Ita opinor memoria tenes, q̃ nihil æque memoria tenes atq; iniurias, quas putas tibi factas etiã si nullæ sunt. Nam quas ipse facis, earũ non minus cito te capit

obliuio

obliuio, quàm beneficiorũ officioruḿue ab alijs acceptorum. Sed ne hunc quidem locum, qui sequitur intellexisti. Murũ ab imo ad summum crebris cubitalibus ferè caueis aperuit: per quæ caua pars sagittis: pars scorpionibus ex occulto petebat hostem.] Legendum est cauis: cuius nominatiuus est Caua, id est foramina, ut apud Plautum in Menæchmis: Etiam nunc cõcede audacter ab leonino cauo. Et apud Cornelium Celsum in VII. Deinde totum id cauum, sicut in fistulis dixi, usq; ad os excidendum. Quanquam apud Columellam (si tamen uera scriptura est) reperitur in genere masculino: Deinde cauum quem feceris, surculo obturato. Sed postquam ab Hippocrate occupatæ Syracusæ erant, profectus Carthaginem aditusq; ibi & à legatis Hippocratis.] Vos mutatis aditus in accitus, quasi nõ sit multo satius illum fuisse aditum à legatis quàm accitum.

Cauum.

Quod ubi Aennensium principes iam pacti cum Himilcone de proditione præsidij animaduerterũt: nulli occasioni fraudis Romanum patere placuerat agendum. Vrbem arcemq; suæ potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem, non serui in custodiam traditi essent Romanis. Itaq; claues portarũ reddi sibi æquum censent.] Opinor mutandum unum uerbũ placuerat in duo palàm rati. Sequiturq;. Ad ea Romanus se in præsidio impositum esse dicere ab imperatore suo, claues portarũ & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo nec Aennensium arbitrio haberet, sed eius qui cõmisisset: præsidiũ decedere apud Romanos capitale esse, & nec liberũ etiam suorũ eam parẽtes sanxissent. Marcellũ haud procul esse.] Hæc uos emendare noli, ne Petrarcha quidẽ: Ego sic opinor emendandũ, præsidium in præsidio, sic, Præsidio decedere apud Romanos capitale esse, & hoc (siue quod) liberũ pro liberorũ etiam suorum cruore parens sanxisset, uel liberorũ etiam sanguine parentem sanxisse. Videlicet de Torquato, qui ob hoc filiũ occiderit loquitur

Lego pro nec nece, & ad eam addam legem.

Digitized by Google

quitur. Vtinam reliquum tempus nec patienda infanda in faciendo traduci poteſt. Nec occulta fraude cautio eſt quā ſi adhuc ſumus. Cui quoniā procedit aperte & propalā claues portarum repoſcunt.] Opinor ſic legendū: Nec patiēdo infanda, nec faciēdo traduci poßit, ab occulta fraude cautio eſt, qua ui, ſiue, qua uſi adhuc ſumus. Vel ſed occulta fraude. Petiti ab Aennenſibus ſumus. Itaq; craſtino die aut ueſtro aut Aennenſium ſanguine Aenna inundabitur: nec occupatis peculium, nec occupātes periculi quicq̄ habetis.] Opinor legendū, nec præoccupati ſpem ullam, uel nec occupati præſidij ſiue ſubſidij, neq; occupantes periculi quicq̄ habebitis. Poſtero die alij alijs ad obſidendas itineribus claudendosq́; obſiti exitus pars maxima ſuper theatrum circa quæ aßueti & ante ſpectaculū cōcionem conſiſtunt.] Opinor ſic legendū: ad obſidenda itinera, claudendosq́; oppoſiti exitus, uel claudēdos oppidanis exitus, uel claudēdos obſeßis exitus, Pars maxima ſuper theatrū circaq́; aßuetum, aut ſpectaculum ſuper theatrum ad aßuetum ante ſpectaculum concionē circūſiſtunt. Nihilo remißiore militum ira, quòd iure turbam inermē cedebant, q̄ ſi periculū par & ardor certaminis eos irritaret.] Vos tollitis iure, quod aut nō tollendum, aut ſic mutandum: militū iræ quāuis turbā inermē. Legati eò ab Apollonia uenerunt, nunciantes in obſidione ſeſe, quòd deficere ab Romanis nollēt, eſſe: neq; ſuſtinere ultra uim Macedonum poſſe, niſi præſidiū mittatur Romanum, facturos ſed quæ uellent pollicitos. Cō. delectorum militū nauibus lōgis mittit ad oſtiū fluminis cū præfecto ſociū. Q. Næuio Criſpo uiro impigro, & perito militiæ: ijs expoſitis in terrā militibus nauibusq́; Oricum, unde uenerat, ad cæteram claſſem remiſſis &c.] Ego ſic emēdo. Romanus facturū ſe quæ uellent pollicitus LX. electorū militum naues longas mittit uel X. milia electorum militū nauibus lōgis mittit: præterea is nominatiui ca

Alij melius ut impreſſum eſt. Legit nec præoccupati peculij nec &c.

Redūdat tamē niſi in aliud mutetur.

*ſus eſt: refertur enim ad præfectum non ad naues, ſcribẽdumq; una, i. Sed gens nata inſtaurandis reparãdisq; bellis, Magone fratre ad conquiſitionẽ militũ miſſo breui repleuit exercitũ animosq; ad tentandum de integro certamen fecit. Alij pleriq; milites, ſiquæ pro parte toties intra paucos dies uicta ijſdẽ animis quibus po. Ro. orta, eodemq; euentu pugnauere: plus octo milia hominũ cæſa: & nõ multo minus q̃ mille capta: & ſigna militaria LVIII. & ſpolia plurima gallica fuere: aurei torques, armillæq; magnus numerus: duo etiã inſignes reguli Gallorum (Mœnia cœpta & Ciuis Maro nomina erant) eo prælio ceciderunt.] Opinor ſic emendandũ, Galli pleriq; milites, ijq; pro parte toties intra paucos dies uicta ijſdem animis quibus priores, eodemq; cuẽtu pugnauerunt. Hoc quoq; Antoni potes dicere te nõ reminiſci à me in illo cœtu correctũ? Etenim ſiquis dies unquã tibi acerbus illuxit, haud dubie is fuit, quo bis uno in loco fuiſti cõdemnatus: ſemel in eo quod emendaui cum mihi pertinaciſſime obſiſteres. Iterumq; dum mœnia cœpta pro mœnia capta exponebas: & neſcio quẽ Maronem ciuem dici uolebas. Quumq; ego ſubridens dixiſſem, eſſe duo regulorũ nomina Mœnicœptus & Ciuiſmaro, ac ſe delectari mea expoſitiõe, cum quadã admiratione ſignificaſſet, etiã magis q̃ in ſuperiore fecerat. Tace Antoni Egnigus, inquit, nihil uerius q̃ & Galli pleriq; milites ſcribendũ, & hæc eſſe nomina Gallorũ regulorum. Nõ exequar quid ille etſi amicus tuus, tam ingenuæ libertatis uir, in laudẽ mei adiecerit, rege cõfirmante: tantũ dico nõ modo bis te peccaſſe, ſed accedente pertinacia etiã bis terq; reprehenſum. Nunc, quod grauiſſimum eſt, quarto reprehẽdi putas quòd in pertinacia perſeueras, ne à me doctus uidereris: ſed ò demens, nõ eſt ut magnopere doleas tarditatẽ ingenij tui: nam ne Petrarcha quidẽ ueritatẽ ſcripturæ deprehendit: ſed ut loco obſcuro & * inexplorato ſuã notã appoſuit. Quis tamẽ tantus*

* deplorato

te fi

te furor tenuit, ut in animum induxeris codicem regium emendatione fraudare, imò regem ipsum prodere, si modo proditio tua celari poterat? Reminiscetur ille, reminiscetur emẽdationis meæ, quando codicẽ suum leget. Fabius pater filio legatus ad Sueßulam in castra uenit: quũ obuiam filius progrederetur, lictoresq; uerecundia maiestatis eius anteirent, taciti nõ submouentes patrẽ, præter undecim fasces equo præuectus senex, ut consul animaduerteret, proximũ lictorẽ iußit, ut is descenderet ex equo inclamauit.] Vos sic emẽdatis, Vt cõsul animaduertit ire proximũ lictorẽ iußit. Ego sic: equo prouectũ senẽ, ut cõsul animaduertit, stare proximũ lictorẽ iußit. Tum demũ desiliẽs: experiri, inquit, uolui ò fili satin' scires consulem te esse. In ea castra Cassius Altinus Arpinas clàm nocte cum tribus seruis uenit, promittẽs si sibi præmio foret, se Arpos proditurũ esse. Eam rẽ quũ ad cõsiliũ retuilisset Fabius, Altinus pro trãsfuga uerberãdus necãdusq; uideri, ancipitis animi, cõmunis hostis: q; post Cannensem cladẽ tanq; cũ fortuna fidem stare oporteret, ad Annibalem discessisset, traxissetq; ad defectionẽ Arpos: tum quia res contra spem uotáq; eius uelut resurgeret, turpius uideatur nouã referre proditionem: ut proditis pro septemuirali iudicio esset, semperq; aliunde sentiret, infidus socius, uanus hostis. Ad Faleriorum Pyrrhiq; proditionem tertium transfugis documentum esse. Contra ea consulis pater Fabius, temporum oblitos homines, in medio ardore belli tanquam in pace libera, de quoq; arbitria agere aiebat, quum illud potius agendum atq; eis cogitandum sit, si quo modo fieri posset, nequi socij à Populo Romano desciscant: & non uocitent documentum aut dicant statui oportere, si quis resipiscat, & antiquam societatem respiciat.] Opinor sic emendandum: Nunc quia res Rom. contra spem uotáq; eius uelut resurgeret rursus, uel resurgere rursus uideatur, uel turpius audeat nouam referre

Digitized by Google

proditionẽ: ut proditis pro septemuirali iudicio esset, semperq; aliunde sentiat. Vel proditi spolium proinde in tali iudicio esse statuendum, ut se sentiat, uel pollicentẽ mobili iudicio, uel pollutum uirum leuemq;, & semper aliũ se sentiat: infidus socius, uanus hostis: ad Faleriorum, Pyrrhiq; proditionẽ tertiũ trãsfugis documentum esse. Cõtra ea consulis pater Fabius, temporũ oblitos homines, in medio ardore belli tanquã in pace libera de quoq; arbitria agere aiebat: quum illud potius agendũ atq; eis cogitandum sit (si quomodo fieri posit) nequi socij à Po. Ro. desciscant, uel qui desciuerunt etiã nouo metu dubitent, uel nouo metu redire dubitent. Documentum haud dicant statui oportere siquis resipiscat &c. Ne quis tamen miretur quòd multis modis eundem locum emendamus, cum uerus nisi unus esse nõ posit. Nam facimus more illius apud Plautũ senis, qui cõplures ex præda seruos coëmit, unius certi postea in ijs reperiẽdi gratia. Legati quoniã Siphax se Romanis iunxisset, ut potẽtior societate eorũ aduersus reges populosq; Aphricæ esset, donec melius fore Galæ quoq; Carthaginiensibus iungi quàm primũ, antequam Siphax in Hispaniã, aut Romani in Aphricã transeant, opprimi Siphacem nihil dum præter nomẽ ex fœdere Romano habentẽ posse.] Opinor legendũ: docent melius fore.

IN LIBRO QVINTO EMENDATA.

INcusati grauiter à senatu ædiles triumq; uiri rei capitales, qui non prohiberent cõmoueri eam multitudinem è foro, ac deijcere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit quin uiolarentur.] Vos, quum in regio codice foret, cum emoueri, sustuliſtis eam: ego sic emendo: cum mouere siue cum emouere eam multitudinem. Gnæus Fuluius Apuliam, Claudius Nero Sueſsulã, M. Iunius Syllanus creatus cõsul.] Opinor legendum Syllanus Etruriã. Testibus datis tribuni populum summouerunt: si te illiq; lata est ut sortirentur ubi latini suffragium

Digitized by Google

gium ferrent.] Vos sic emẽdatis scitoq; lex lata est, quasi lex sit lata per plebiscitũ. Ego sic, testibus datis tribunum populi summouerunt: sitellaq; lata est, ut sortirentur ubi latini suffragium ferrẽt. Quæ sentẽtia talis est, sitellã allatam in qua suffragia populus de approbanda lege poneret. Solitã aũt afferri sitellam quandã cũ lex ferenda esset, probat Cic. de nat. deorum lib. 1. Vt igitur Titum Graccũ uidere concionantẽ in Capitolio: uidere de M. Octauio deferentẽ sitellã. Fit autẽ sitella à situla. Nã apud Plautum in Casina dicitur cõiectio sortiũ in situlam fieri. Nisi uolumus alio uocabulo emẽdare, quo utitur idẽ Cic. ubi ait: cum L. Saturnius legẽ frumentariã de semißibus & trientibus laturus esset, Q. Cepio qui per id tẽporis Quæstor urbanus erat, docuit senatum ærariã pati nõ posse largitionem tantam. Senatus decreuit, nisi eã legẽ ad populũ ferat, aduersus remp. eũ uideri facere. Saturninus legẽ ferre cœpit, collegæ intercedere: ille nihilominus ciſtulã detulit. Cepio, ut illũ contra, intercedentibus collegis aduersus remp. uidit ferre, cũ uiris bonis impetũ facit, pontes disturbat, ciſtas deijcit. Quare dubium est, an Cistella scribi posit, qd' sit à Ciſta. Sed quõ ciſtula una dicitur, ita & ciſtulæ multæ, si cædẽ significantur res. Verum ne hic agamus pluribus, ciſtulã nunc legendum puto: si quis uolet ciſtellã legat, me nõ repugnaturo. Cũ in eo parum præsidij esset turbandæ rei causa, publicani per uacuũ ui summo loco irruperunt: iurgantes simul cũ populo tribunisq;.] Opinor sic emendandum. Publicani per uacuum ui summoto eo uel ui summoto inde cuncto irruperunt. Posthumius uadibus datis non affuit: tribuni plebis uocauerunt, plebesq; sciuit.] Opinor legendum tribuni plebẽ uocauerunt. Ea comitia nouus põtifex M. Cornelius Cethegus habuit: res ingenti certamine petierunt M. Fuluius Flaccus qui ante & bis cõsul & censor fuerat: & T. Manlius Torquatus & ipse duobus cõsulatibus, & censu

Sitella.

Ciſtula.

censura insignis: & Licinius Crassus, qui ædilitatem curulẽ petiturus erat.] Manifestus est error ex præcedẽti litera t, nam tres legendũ est, non res, quod miror à nemine animaduersum.

Nihil unquã dicã de imperatore eo cui præsertim sciam gratias à senatu actas, quòd nõ desperauerat de rep. qui post fugã actam nisi per omnes annos prorogatum imperium.] Vos sic emendatis. Cui post fugã actam sit: Ego sic, quòd nõ desperauerit de rep. consul post fugam actam uel profligata acie. Tamen tantum abfuit ab eo, ut illa ignominia tribus exercitibus quæreretur, ut ea urbs Roma per eum exercitũ qui ab Allia in Veios transfugerat recuperaretur.] Opinor legendum, ut ulla ignominia tribus exercitibus inureretur, ut etiam urbs Roma &c. Fuerunt autẽ tres exercitus qui remp. ante hoc bellũ afflixerunt, duo ad Furculas Caudinas: tertius ad Alliam. Vel sic, ut ulla ignominia ijs exercitibus quæreretur, ut etiam urbs Roma. Neue dono militari uirtutis ergo donaretur.] Tu Antoni qui te docere regẽ iactas, sic eum docebas, ut mutares ergo, in gratia: nesciẽs ergó ultima acuta esse legendum: quod significat causam, ut apud Vergilium: —Illius ergó Venimus.

Id sequuntur.

Tum duo milia Gallorum Pœnus in tres diuisa partes per urbem dimittit: Tarentinos & infra quàm maxime frequẽtia.] Emendo Tarentinos & Afros q̃ maxime frequentia occupare iubet. Si quis in hospitio ciuis Romani (uacuas autẽ tenebat domos) nomen inscripsisset, eum se pro hoste habiturum.] Opinor legendũ sciebat, uel petebat, uel uolebat domos. Ex huius Marci duobus carminibus, alterius postea est * acta didici curato autoritas euentu alteri quoq; cuius nondum tempus uenerat afferebat fidem.] Opinor legendum alterius, post rem actam edici cũ rato autoritas euẽtu. Flauius Lucanus fuit caput eius partis Lucanorum, cuius pars ad Annibalẽ defeciſſet, qui cum Romanis stabat & iam Hanno in magistratu erat ab

Legitur cernebat.

* aucta declarata.

ipsis

Digitized by Google

ipsis illis creatus prætor.] Opinor hic perturbatũ uerborum ordinem, ideoq; sic restituendum: Flauius Lucanus fuit eius partis Lucanorum, qui cum Romanis stabant, cuius pars uel cum pars ad Annibalem defeciſſet. Anno autem ſuperfluã habet aſpirationem, quod non proprium nomen eſt, ſed ablatiuus. Fideq; ab eo accepta, ſi Romanum ijs imperatorem tradidiſſet, liberos cum ſuis legibus uenturos in amicitiam Lucanos, dedit Pœnus in locum pacis Graccum adducturus. Magonem ibi pedites equitesq; armare & capere eas latebras ubi ingentẽ numerum occulere iubet, loco ſatis inſpecto, atq; undiq; explorato, dies compoſita rei gerendæ eſt.] *Vos ſic emendatis: in amicitiam Lucanos, hunc deducere Pœnum in loco quo ſic Graccũ adducimus. Ego ſic: in amicitiam Lucanos dedit ipſe ſe illo cum paucis Graccum adducturus, illò aduerbialiter pro eo quod eſt in illum locum.* Aliter. onge legitur.

Pugnatum tamen ut in nulla parte, duabus amplius horis, cõcitata & donec dux ſtetiſſet Romanã aciẽ.] Opinor legendum, etiam donec dux ſtetiſſet Romana acie.

Et Annibal quidem haudquaquam ſimili ſua, neque ſimili exercitu.] Legendum eſt opinor ſimili uia. In uaſtæ magnitudinis urbe partium ſenſu non ſatis pertinente in omnia.] Opinor * pertingẽte in omnia. Marcellus Euryalo recepto præſidioq; addito uda cura erat libera, nequa abs tergo uis hoſtium in arcem accepta incluſos imperitosq; mœnibus ſuos tubaret.] Opinor una cura erat liber: uel una cura tenebatur, uel turbabatur. * pertendente

Acceſſit & ad peſtilentiam commune malum quod facile utrorunq; animos auerteret à bellorum conſilijs.] Opinor legendum, acceſſit ad hæc peſtilentia. Itaque non ducibus facilius, quàm multitudini perſuaſum eſt: ſimilis ne metus quidẽ ab Romanis ducibus erat: quippe tam paucis ſibi * retinuerunt. Puto legendum quòd per tam paucos ibi retinerentur. Vel quippe tam paucis ibi retineri. * ne timerent

Digitized by Google

EMENDATIONES SEXTI LIBRI.

INde naues in flumine Vulturno cõprehensas duci gladio, quod iã ante præsidij causa fecerat castellũ iussit.]Puto sic emendandum, duci ad id quod iam ante &c. Auditq; uox Annibalis fertur, potiundũ sibi urbis Romæ modo mentẽ nõ dari, modo fortunã munere. Etiam per melius & aliæ paruæq; res. Magna illa q, cũ ipse ad mœnia urbis Romæ armatus sederet, milites sub uexillis in supplemẽtũ Hispaniæ profectos audiuit. Parua aũt, q, per eos dies cũ forte agrũ in quo ipse hæreret castra uenisse.]Regius codex habet etiam per me diuos & aliæ magnæ paruæq; res. Ego nõ infimtiuũ minuêre penultima correpta accipio, sed producta præteritũ indicatiui: nec finẽ superioris, sed initiũ sequẽtis sentẽtiæ: ideoq; sic emendandum reor. Minuêre etiam spem eius uel illius, & aliæ magnæ paruæq; res. Nanq; ex Lucanis in Brutium agrũ: ad fretũ uero regiũ se occursu cõtendit, ut propè repẽtino aduentu incautos oppressurit.]Opinor legendũ tanto cursu cõtendit. Diẽ posterum Hasdrubal colloquio petijt, ut Romani leges cõscriberentur de trahẽdis arcibus urbium.] Lego de tradẽdis arcibus urbiũ. Silentiũ subito ortũ est & tacita cogitatio quidnam egissent. Noui fauor plus ualuisse q, ratio ætatis maxime pœnitebat.]Opinor legẽdũ quidnã egissent noui, uel quid legissent noui: nã q, fauor plus ualuisset &c. Hac circũfusus multitudine simulis siculis obuiã egressis: siculisq; Romam præbuit clarissimarum urbiũ excidio à celeberrimis uiris bello uictos accusatores in urbẽ adducentes. Hũc ego locum duobus hinc annis ab Iacobo Curlo rogatus ægre duobus diebus emẽdare potui: emendatumq; homini tradidi cũ pridie cidẽ petenti alterũ, sed facilius emẽdassem: quòd cur regium codicẽ ex mea sentẽtia nõ emendarit, nullã aliam reperio causam, nisi ab Antonio ne me recte correxisse fateretur impedutum. Ex quo datur intelligi

acriorẽ

acriorem esse odij q̃ amoris affectũ. Citius me destructũ uellet Antonius, q̃ Alfonsum, Cæsarẽ. Sic aũt emẽdaui hũc locũ. Nũc circũfusus multitudini simul & Siculis obuiã egreßis potestatẽ Romã adeũdi fecit, et nõnullis uel æmulis querimoniã præbuit, clarißimarũ urbiũ excidio à celeberrimis uiris uictos bello accusatores in urbẽ adducẽs. Affirmãtes nõ modo suã q̃q; patriam, sed totã Siciliã relicturos.] Opinor legendũ suã quenq; patriã. Pondo relinquat argenti. Qui curuli sella sederẽt, eq̃ ornamẽta & libræ põdo, ut lignũ patellamq; deorũ causa habere posßent.] Nescio an legẽdũ sit salinũ patellamq;. Est aũt salinum salis uas: ut Acerra thuris. Inde diminutiuũ eius salillum: quod ego Antoniũ docui, q̃ p minuto accipiebat sale. Ipse ut ei nunciatũ est æstũ decedere q̃ per piscatores Tarraconenses nunc leuibus cymbis, nũc ubi ea siderent uadis peruagatos per stagnũ, cõpertũ habebat, facilẽ pedibus ad murũ transitũ dari, armatos duxit.] Opinor scribendũ. Nũc ubi eæ sederẽt, id est, ubi cymbæ fundũ maris nactæ essent, uadis peruagatos, hoc est per ea ipsa loca ubi sedebãt cymbæ per quæ uadere pedibus homines poterant. Hic est alter locus quẽ Iacobo Curlo correxi. Salinum. Acerra. Salillum.

HActenus Antonio legenti, etsi nõ aßidue, affui, quoties q; mihi uidebatur dissentiendũ, uelut in senatu quodam sententiam dixi, non quoties potui. Ideo q; pauciora dixi q̃ scribo, rem haud dubie utilẽ ijs qui sua Liuij exemplaria hac in parte emendare cupiãt. Cõtraxistis frontẽ, quia superbe loquuto irascentes, & de mea ipsius causa iudicanti. Emendabunt illi per me exẽplaria sua multo fidelius, quàm uos regis nostri proditores regiũ codicẽ. Nec erubescent studiosi & liberaliter eruditi Laurentiũ habere autorẽ. Audeo enim audeo de mea causa iudicare. Quid enim de eo, quod luce est clarius, pronũciare dubitem? An cuiquam dubiũ sit uos plurima quæ conati estis emẽdare nescisse? Multa à me edoctos, tamen per importunitatem

Digitized by Google

mentis emendare noluisse: & quantũ in uobis est, Liuiũ uulnerasse, lacerasse, trucidasse? Illud tamẽ dubito, an aliquid aut uos recte aut ego nõ recte emendauerim, id quoq; quo magis irasci mini ac dolcatis, accipite ex fidutia sui dictũ, nõ longe à Liuio abesse, qui uerba illius ucluti in tabula colores ac liniamẽta ob uetustatẽ alio ue quo casu abolita sic reponit, ut ueritatẽ repræsentet. Vtrobi igitur arrogãtia est spurcissimi delatores, penes me, qui ut necesse sit uere glorior, an penes uos, qui & falsò et cum alterius uos offensione iactatis? Aperui causam cur Antonius qui accusatoriã uitam uiuit ad me accusandũ Fatuũ subornauit. Nam unde hic nisi ab Antonio didicit, quid Papiæ? quid Florentiæ? quid Caietæ egerim: ubi ego & Antonius fuimus?

Liuio se comparat Valla.

Libri de uoluptate cuius sunt.

FAC. Et enim librũ de summo bono te scripsisse gloriaris: qui quidẽ à patruo tuo docto homine, ut accepi, cõditus fuit: quem tanq; fucus labores apũ deuorans in aluearia tua, mutatis quibusdã uerbis, furtim cõiecisti: quanq; in furto deprehẽsus es, cũ forte Antonij Lusci qui in eo opere à patruo tuo inducebatur, nomen forte delere oblitus es. LAV. Habeo gratiã quocunq; tu istud animo facis, quòd in eis libris (sunt enim tres & quidẽ duplo maiores quàm totidẽ tui de felicitate) nihil reprehendis, reprehẽsurus, si meũ opus esse cõfitereris. Sed hoc nõ tam gratum est, q illud molestiũ, quòd me impiũ facis, qui auunculũ (nã patruũ nunq habui) gloria sua fraudauerim. At quomodo istud probas? Nẽpe quia nomẽ Lusci delere oblitus sum. O me non luscũ, sed cæcum, si istud nõ uidi? sed tu qui me non uidisse uis, nisi probes, ipse luscus fuisti & cæcus. Videamus igitur ex hoc codice quàm iuste deprehendar. An non potuit à me Antonius Luscus induci, qui multos annos nõ modo post auũculũ meum fato functũ, sed etiã post hoc opus à me editũ decesserit? Quanq; quid necesse est de non deleto nomine agere, proba ab auũculo compositũ, uel manu sua, uel aliquo teste, qui uiderit aut certe audie

audierit, & omnia probasti. Quid ais, si ille cuius nomẽ ne q̃dẽ nosti, hos libros condidit, edidit necne? si nõ edidit, unde scire potuisti ab eo cõditos? Si edidit, cur nõ exhibentur, aut ubi uisi sunt indicantur? si modo credibile est editos alterius libros quenq; uelle suos facere. Adde quòd non misissem eos ex urbe Papia Romam, ubi ille & plurimos propinquos reliquisset, & notissimus fuisset: qui nõ ut nũc fuerant inscripti de uero bono, sed de uoluptate: ac dimidio q̃ modo sunt breuiores. Mentior nisi titulus, qui ex duobus lineis constat, cũ litera initiali cunq; principij parte maiusculis literis, scriptus est manu Antonij Panhormitæ: in quibus ut codex ipse testis est, alios colloquutores induxeram, quos postea perfidia Panhormitæ mutaui. Sic enim incipit illa narratio. Nam cum uenissent aliquando in curiam, quam apostolicam uocãt, quatuor in secretariatu collegæ, Antonius Luscus, Cactius Poggius, Melcior Scribarius, auunculus meus: quos honoris causa nomino: recepit se eò Leonardus Aretinus, tum pro legato à Florentinis ad summum pontificem missus, statimq; post Antonius Panhormitanus, qui se mauult appellari Panhormitam. Itaq; non intelligo, nec cur uidear oblitus delere nomen Antonij Lusci, quod & in illa prima editione toties, & in posteriore nũquam legitur: nec quomodo potuerim obliuisci. Nam si de scriptura mea non deleui, ergo nõ alterius id fuit qd' remãsit, sed meũ: Si de aliena, ergo nihil meum de opere illo remansit, alioqui ipsum opus pro testimonio, & quidem longe locupletiore afferres: nunc nõ opus illud erit, sed litura, quod quis nisi insanus dixerit? Et quatenus nolentem me & inuitum facis impium, ueritatem aperiã. Auunculus meus in moribus quidem patre suo dignus, in literis autẽ is fuit qui magis officio suo satisfecit, quàm ut condendis operibus uires sibi suppeterent: qui me sibi, ut ego ipsum mihi, semper anteponebat: & quo uiuẽte, cõparationẽ Ciceronis &

Digitized by Google

*Quintiliani Florentiam ad Carolum misi, rem profecto quam ille nunquam fuisses ausurus. Itaq; persuade istud Poggio, si potes, qui solus ex eius collegis supereſt: persuade alijs, qui hominem nouerunt: persuade ijs qui Laurentianum stilum characteremq; discernunt. Conuicta calumnia nostra, nūc ostēdam, etsi satis ostendi, amborum imperitiam ea ipsa in re, in qua magnum uos creditis specimen præbere peritiæ. Nam quæ apes quisue fucus tam stolide loquatur, si sermone (quemadmodum in fabulis traditur) uteretur, fucos labores apium in aluearia sua conijcere? Aluearia ne sua fuci habent? Saltem uespæ me * scabroni ue similem feciſsetis: qui ceras imitantur & mella: quis tantam uerborum insciti ā satis digna prosequatur insectatione? fucum & hunc unum habere fauos, habere alucum, habere aluearium, quod ex pluribus alueis cōstat, habere aluearia? Singuli apium reges singulis tanū alueis præsunt: hic fucus, qui fauos facere nescit, nō unam aluum, nec unum alucarium feciſse sibi contentus, si modo aut cera deuorari potest, sine qua non sunt alueis? aut mel, quod deuoratur ab ape uel fuco, alueis reddi solet. Verū me non fucum esse sed apem: uel ex hoc intelligere debetis, quòd aculeū scu spiculū habeo, quo uos uere fucos, & nullo aut obtuso aculeo præditos, figo ac trucido. Pergamus ad reliqua.* FAC. *Quod idē de Homeri tralatione effeciſti: cū enim opus illud Latinū factū sciſses Florētiæ esse, ubi iā supra centesimum annū est, & in Nicolai bibliotheca uisum, paucis quibusdam permutatis (permutatis ne dicam an peruersis?) tuū efficere uoluiſti. Sed tibi parum est creditum, præsertim cum sint, qui intelligant quàm minimum literarum Græcarum teneas. Crede mihi, crede inquam Laurēti, sunt iudices qui tuam insolentiam non ferent.* LAV. *Idem hoc, quod superius stultitiæ genus, quàm credibile est sperare tale furtum iri celatum? Ego uero nuper audiui Mediolani esse tralationem Homeri ad uer*

Fucum se non esse cinuincit Valla.

* crabroni.

Aluearium.

Homeri tralationem Valla probat suam.

Digitized by Google

ad uerbum, eamq; barbaram: Florentiæ quoq; esse uideor audiisse: sed apud Nicolaum fuisse, modo primum ex te audio. Si quis tamen probare potest me aut hãc, aut illam, aut aliã ullam uidisse, nõ recuso quin pro te mendacißimus uidear. Sed O meri, non Homeri cultor, fac me scisse illam Florẽtiæ esse, fac in bibliotheca Nicolai uidisse, licet tu nõ dicas à me uisam sed sciße uisam: num protinus in Campania habui? acceptam ne cõmodato cum huc ueni? an per literas impetratam? quorũ neutrum factum esse credibile est. Vt sese reſellit omne mẽdacium? Saltem dixisses me illinc trãscripsisse: quod licet plus quàm temerarius es, dicere non es ausus. Illud tamen audes, pauca quædam à me immutata: Qui scis ebrie me immutasse, qui utrũq; nõ cõtulisti? Nec illam ad uerbũ tralationẽ inspexisti, & ais: Sed tibi parũ est creditũ. Quinam sunt, qui mihi nõ credũt? Cur non ij furta mea palam faciunt? Addisq;: Crede mihi, crede inquã mihi Laurenti, sunt iudices qui tuã insolẽtiam nõ ferent. Ergo clandestini isti sunt iudices, & in lucẽ prodire nõ audent, coramq; damnant insolẽtiam meã. Nam si propalam hoc faciũt & me præsentem reũ peragũt, quid ita quasi ego nesciam, ais: Crede mihi &c. Hoc ad illos dici solet qui nõ credunt. At nemo est qui nõ se credat accusari cum sciat. FAC. Cum in aliquo cœtu es, ubi nullus sit Græcarum literarũ doctus, continuo, continuo græcissas: ubi Græcus quisq; superuenerit, latinissas: ita fit ut inter Græcos Latinus sis, inter Latinos Græcus: inter utrosq; neuter. Peream nisi malim penitus ignorare literas Græcas, quàm illarũ tam paruã, q; te scientiã attigisse: quibus ne aspersus quidem es, ut si quis à te petat quomodo τύπτω uerbũ declinetur, ignores. LAV. Bene facis, ut ordinẽ retroagam, quòd istud uocabulum potißimũ protulisti, quod significat uerbero. Nam tu uerbero es, & ego te libris his uerbero. FA. Cuius si memini declinationis primũ præteritũ est ἔτυπτον hoc est uerberaui te in

te in primo libro, alterum τέτυφα, hoc est uceraui te in secundo, tertium ἐτετύφειν hoc est uerberaui te in tertio. Cætera non recordor. Futurum τύψω, id est uerberabo te in reliquo. LAV. Iam uero quo te deuoues? Nam cũ aut plus scias literarum Græcarũ, q̃ ego, aut minus, certe plus scire dicere, nõ potes. Non enim optares, si scires, & aloqui, ut uerum est, ita & ubiq; significas te Græcũ nõ esse: si minus, cur negas te tantum scire uelle, quũ ob istud tuũ qd' minus est, mihi gloriaris? Gloriari enim in Græca lingua, est ignorationẽ Græci uerbi alteri obijcere. Quod cũ ita sit, quod restat aliud, nisi ut tua ex lege pereas, uir pluribus mẽdacijs, q̃ pilis coopertus: q me ais Græcũ inter Latinos esse, inter Græcos Latinũ, inter utrosq; neutrũ? Cur nõ potius inter utrosq; utrũq;? nimirũ tũc mutus sum, nihil Græce fãri, nihil Latine hiscere audeo. Vides ut falsa, ut cõtraria, ut incredibilia loquaris? Eodem quoq; modo in cæteris. Etenim si inter Latinos Græcisso, nõ ausus loqui de lingua latina, qd ita proximũ dicebas? FAC. Si qs aũt in cõuẽtu aliquo sermo habetur, cõtinuo sermonẽ ad laudẽ tuã refers, opa tua extollens, aliena deprimẽs: tua sollũ legẽda iactãs, elegantiarũ, inquis librũ composui, in quo (utar enim ipsis uerbis tuis) sunt duo milia rerũ, quæ nõ erãt nota nostris, nisi ego fuissem. LA. Hæc ego quomodo dico in cõuentu aliquo? Nũ in aliquo cœtu Latinorũ dico, an Græcorũ? Certe latinorũ, quorũ tu unus es, qui si tibi credimus ista audisti, ut postea inquis, sæpe audisti: et cœtui Græcorũ, in hac prouincia interesse non potui. Tametsi, siquis interueniat Græcus, tu me uis obmutescere solito. Vel tu ipse iudica, an tibi in istis uerbis cõstes, si modo cõstare sibi mẽdax potest, q̃ ais inter Latinos, inter quos semp sum, etiã siqs Græcus interueniat, et iactare me, ut de lingua latina bene meritum, nec audere, nisi de Græcis literis loqui. Age uero quo pacto græcisso? quo pacto paruã literarũ Græcarũ scientiã attigi, si

Digitized by Google

gi, si nec aspersus illis sum, nec primũ uerbum declinare scio? Certe qui hoc declinare nescit, illisq; literis aspersus non est, huius non parua scientia eius linguæ, sed nulla dicenda est: quomodo tu insane ais, eadẽ & negas, & per inuidiã maliuolẽtiamq; cõtraria te loqui nõ sentis? cõtraria quidẽ, & tamen ex utraq; parte mẽdacia. Nã neq; ignoro Græcas literas, neq; illarũ tam parũ peritus sum, qd probãt, cũ aliæ translationes meæ, tum duo libri de collatiõe noui testamẽti. Rursus neq; inter Græcos (ut tuo uocabulo utar) latinissimo, quũ hic nulli Græci sunt, nisi unus et alter, neq; inter Latinos me ostento, ut testes sunt libri mei, in quibus sanè modestus, sicut in omni uita: cũ nusquam me alijs, ne inferioribus quidem præponã, nihil cuiquam aduersus: interdũ in colloquijs aduersus inuidos, atq; obtrectatores, quales uos estis, plusculũ mihi uendico. Nam si dixi duo milia rerũ cognitione dignarũ, siue (ut tu calũniaris) cæteris ignotarum, non tamẽ scripsi, quod fecit etiã sine reprehẽsione Plinius, Viginti milia rerũ cura dignarũ, in ipso opere scribẽs se collegisse, quæ mihi cura in rebus tenuioribus nõ fuit: pauperis est domini dinumerare pecus, qualis tua fuit enumerantis aliena peccata. Nam & dixisti regi, & in libris notasti numerũ erratorum meorũ, qd ego in te, nec feci, nec uelim facere. Est enim persona mea indignũ, nec possum: quia tua sunt innumerabilia peccata. Nec tamẽ inficias eo, ut uere, sic fortiter dixisse me, nõnulla esse ibi cæteris ignota. Quid enim contra uos facerem malignos, & qui me ab alijs laudari nõ sinitis, quemq; non uultis ulla in parte æquari magnis nostræ ætatis homĩbus, quasi ego minus sim illis de genere giganteo? Nam inquis. FAC. Vt nemi nem putes præter te doctũ esse? Guarinũ atq; Aretinũ duo lumina & ornamenta Italiæ, num te inferiores duces? Audiui te sæpe dicentem, quum eorum autoritatem afferrem. Quem tu mihi Guarinum? quẽ Leonardũ cõmemoras? Nã utrũuis eorũ

Lib. duo de collatione noui testamenti.

mihi

mihi præferri indignor, ac moleſte fero. Et ego quoq; literas Græcas, ac Latinas ſcio, & cũ utroq; ſæpe de grauiſſimis rebus diſputaui, atq; cõtendi: qua in re illi nihi nõnũquã ceſſere. LAV. Vt ita ſit peßime delatorũ, qui omnia in maius extollis, cur non cernis te ubiq; mendacẽ deprehendi, dum repugnãtia loqueris? Nã ut taceã nõ eſſe ueriſimile me dicere, quẽ tu mihi Guarinũ &c. quaſi illos ignorẽ, & fãteri me cũ eiſdẽ ſæpenumero diſputaſſe. An ſi me faciã nõ minus doctũ Guarino, Leonardo'ue, cõtinuo dicam me unũ doctũ? cæteros indoctos? quæ iſta conſequentia eſt tam ſcita, Scytha nequiſſime? Primũ nõ ſoleo me illis præponere, opera uero nõ uerba probationẽ faciũt: ſed interdũ eos mihi, imò ratiõi præponi nõ fero, aduerſus quos tantũ mihi tribuo, quantũ poſtulat aſſerẽdæ patrocinũ ueritatis. Nolo in diſputando, quũ ego ueteres pro me affero, tu uel ſtimulante liuore, uel in tui uelamentum erroris opponas. Hoc non ſentit Guarinus. Hoccine nõ animaduertiſſet Leonardus, quanquam ſemper à me his uiris honor eſt habitus, tum loquẽdo, tum ſcribẽdo, ſicut ipſi uicißim me ſemper nõ mediocri laude affecerunt, atq; (ut fãtear) ampliſſimis uerbis ornauerũt. Ex quo ueriſimilius eſt, me hoc beneficiũ tueri uoluiſſe quàm perdere. Nam te mentiri, dixiſſe me ſæpe diſputaſſe cum illis, & reliqua, uel hinc coargui poteſt, quòd cum Guarino nunquam, niſi ſemel contuli, eo biduo quo Ferrariæ fui, cum illac contrahendæ cum homine doctißimo amicitiæ gratia tranſißem. Sed nimirum de his mentionem habere uoluiſti, ut tibi ad Antoniũ Panhormitam nominandum faceres gradum, ut ipſe potius ſub tua perſona ſuam tragœdiam decantaret, inquiens. FAC. Antonium Panhormitam ſingularẽ poëtam, & quo magis uituperandus es, optime de te meritum, à rege, atq; adeò ab hominibus præſtantißimum iudicatum, & in magno honore habitum, irrides ac deſpicis. LAV. Ego uero non tam irrideo atq;

Panhormitæ fugillatio.

deſpicio

deſpicio, quàm deteſtor atq; abominor, qui quotidie neqtia profe cit. Nam q̃ ais de me optime eſſe meritũ, nullo alio poteris ar= gumẽto probare, quàm q̃ quũ amici eſſemus, ſolebat prædicare, ſe quidẽ cæteros omnes docuiſſe, à me autẽ eſſe doctum: quodq; quũ publice cõductus rhetoricam legerẽ, amicitiæ potius, quàm diſcẽdi gratia (ſic enim interpretor) annũ, & eo amplius quoad fuimus amici, meus fuit auditor, licet me plus XV. annis ſit natu grandior. Verũ hæc omnia ſua in me beneficia noua proditione fœdauit, perſtrictus fulgore famæ, qua ob opus de uero bono p̃ hominum ora celebrabar: quam iniuriã alijs poſtea cumulauit, & cumulat. Etiã de te quærimoniã affers, inquiens. FAC. Me uerò, ut etiã de me aliquid dicã, qui nullã tibi iniuriã fecerã, quod ſciã, cõuicijs inſectaris, minutiſſimũ appellans inter minutiſſimos. Fateor me quidã corpore minutũ eſſe, te uerò ingenio animoq; & cerebro diminuto. Vt de me etiã (inquis) aliqd dicã. LAV. O uere cerebro diminuto, totam hãc quatuor inuectiuarũ, quaſi totidẽ uentorũ procellã, propter hãc uerborũ contumeliã exci= taſti: quã contumeliã, tu conuicia uocas: ego probaui leuiſſimam propulſationẽ eſſe atrociſſimæ iniuriæ. Vt etiã aliquid de me di= cam uelis nolis, nullã tibi factã eſſe, niſi hãc, licet tua p̃fidia ex= preſſam cõfiteris, iniuriã. Nã cur cæteras non exequeris? Cur o= mittis, ne ſaltẽ uidearis, iniuſte mihi tantopere iraſci? Vt etiã ali= quid de me dicã, hoc aliqd nihil eſt, ut ille apud Terentiũ inquit: nec aliud, quàm indiciũ te pro alijs, nõ pro te defendendo in actiẽ deſcẽdiſſe. Vt etiã aliquid de me dicã. Nimirũ hoc grauiſſimum eſſe debet, de quo ſolo tacere nequiſti. Atqui id ita leue eſt, ut te homine leuiſſimo, prope ſit leuius. Quare cũ tres ſint in iure ci= uili capitis diminutiões, quartam, ſi per iuriſcõſultos licet, adda= mus, quæ ſit plus quàm maxima, appellemusq; cerebroſam capi= tis diminutionẽ, propter Barptolomæũ Fatuũ, qui ut Calphurnia improbiſſima fœmina cauſam dedit. FA. Repaſtinationẽ diale= Diminutio capitis. Dialectica Vallæ.

Digitized by Google

ticæ & philosophiæ edidit, quæ Laurẽtiana appellatur, quæ anteponẽda est omniũ dialecticorũ & philosophorũ scriptis. LA. Si istuc ego scripsi, quin locũ ꝑsers? dixisse autẽ quo me teste cõuinces? Idẽ de cæteris locis, ubi nullo testimonio niteris, dictũ sit. FA. Sed dic quæso? Vnde istas disciplinas didicisti? Num ab his quos damnas? an à te ipso? Si ab his quos uituperas, at tibi turpe est eos cõtaminare, à quibus didiceris. Si nõ, sed à teipso, & sine præceptore (ut ipse prædicas) sciẽtia tua ista nulla est. LA. Merito tu, merito me, ut parum dialecticum insectaris, qui ipse tam dialectice colligis. O patronũ dialecticorũ philosophorũq; singularẽ: Quis sutor piscatorue, unquã ita ruditer interrogauit, an quis disciplinã, quã tradit ab eo quẽ uituperat ac dãnat acceperit, aut à quo præceptore didicerit is, quẽ prædicare ait se non habuisse præceptorẽ? Quis item piscator sutorue diceret, meas disciplinas esse laudandas, quippe quas didicerim ex ijs quos contẽnere turpe sit: & mox disciplinas ipsas nullas esse? Iam uerò quæ cõsequẽtia, qcquid sciẽtiæ ab alijs nõ accepi, id protinus falsum ac nihil esse? Ergo qui ex se ipsis tot scientiarum præcepta pepererũt, ij omnes, aut nihil, aut falsa preceperũt? nisi illos uis fuisse hoĩes, me simiã esse. Quæ itẽ cõsequentia, quia neq; ex ijs quos dãno neq; ex me ipso didici nõ esse aliud, unde potuerim discere, hoc est nihil esse tertiũ. Certè maximã partẽ rerũ quæ illic à me traduntur, ex ijs scriptoribus didici, qui multo sane plures sunt, quos ꝓbo & laudo. Seqtur. FA. Librũ de summo bono cõscripsi: quo nihil est scriptum hac nostra tẽpestate illustrius, alia insup multa effeci, quæ summo sint usui semp, non solũ mediocribus, sed etiã doctis hoĩbus. O elegãtißimũ elegãtiarũ scriptorẽ? q cũ ipse, nec dicere, nec scribere eleganter scias, tamẽ de elegãtia tradere præcepta audeas. Repastinationẽ logicæ & philosophiæ cõdidisti, nomẽ mehercules opi cõueniens: tu enim, quũ arator magis quàm orator sis, logicã itidẽ, ut uitẽ repastinari putasti. In

sti. In qua quidē tot peccata abs te cōmissa audio, ut plura propè errata insint quàm uerba, quāquā siqua sunt quæ laude digna uideantur, aliena sunt oīa. Librū de summo bono te scripsisse gloriaris. Vel hic locus documēto est, quàm discerpta sit, quàm dissipata, quàm delira oratio. Repetēs eadē & inculcās interiecto spatio, & quæ texuit, retexēs: ut eā quēadmodū est apud Persium,

Nō sani esse hoīs, nō sanus iuret Orestes. LA. *At aratorē me uocatis: hic locus est Antonij Panhormitæ, qui scripsit in Antoniū Raudensem, Non erit orator Rhodus, arator erit, mutuatus ex meo quodam carmine, sicut ego Ciceronis dictū, quod carmē nemine uero noīe perstringit, argutiæ tantū causa compositum:*

Non est cur doleas, quòd quæ uis Aeole habere
Cuncta nequis: cuncta nam quis habere potest?
Non potes esse bonus pictor, potes Acole pistor.
Non eris orator magnus, arator eris.
Ciuili uel pontificum, non Aeole iuri

Sufficis: at iuri sufficies patinæ. Et insequētes deinde uersus. Ergo logicam quasi uineam repastinari dixi, uos quid pastinare sit ignoratis. Certe hoc loco, haud probe mentionem uitis fecistis. Cum bobus enim & aruis rationem habet arator, non cum uinetis ac arbustis: Cererem q; magis, quàm Librum uestrum colit. Taceo (quod superius docui) aratoris non oratoris esse, identidem pro itidem ponere. Sed ut ad tua Bartolomeæ obiecta respondeam, illas de me prædicationes inuidia tua te cogit dicere, ex meo nō ex aliorum ore solere prodire. Verum ex quo audis in illis de dialectica libris, tot errata inesse, quis est qui me uel in uno glorietur à se conuictum? FA. *En gloriaris inquis, & ne accusatus quidem isto uitio temperare potes.* LAV. *Ita sane, sic alibi soleo uestro iudicio ex iactantia laborare. Tua peruersitas tuiq; similium imponit mihi, me, ut Eschines & cæteri inuidi Demosthenem se laudandi, necessitatem. Neq; uero*

ita effuse me laudo, ut tu criminaris: attamen si rumparis, attingam unum laudis meæ testimoniũ, quale Tito Liuio contigit: ad quẽ ob admirationẽ ingenij uisendũ, nobiles q̃dã ex ultimis Galliarũ & Hispaniarũ finibus (si Hieronymo credimus) se cõtulerunt. Liuij præconia. Nã Plinius filius in ea epistola, unde nõnulla in suã uidetur trãstulisse Hieronymus, Gaditanũ quẽdã fuisse dicit, Siquidẽ ex urbe Ferraria perdoctus quidã Neapolim (res est minime obscura) non regionis ex omni orbe terrarum amœnissimæ, nõ urbis celeberrimæ, nõ regis illustrissimi, sed uidendi & alloquendi Laurentij gratia uenit: quum propter alia opera, tum uerò propter hos ipsos dialecticæ & philosophiæ libros. FAC. Et quanquã ita sit, tanta est in te pudoris inopia, ut Græcorũ ueterum more, de quacũq; materia & sciẽtia te in publico disputare uelle aliàs proposueris. LAV. An hoc idem est & illud? in quo se iactat Panhormita, nullũ genus esse libidinis, quod ignoret. Cæterũ ea quæ tu ex tua cõsuetudine, tuáq; natura mentiris fuisse tam multa, nõ iactantiæ, sed retundendæ inimicorum meorũ impudentiæ proposuisse me, testis est libellus meus ad summum pontificẽ scriptus, qui à plurimis transcribitur. Etiam facetus esse uoluisti Iuuenalis uersibus. -crede, quid illum

Esse putes? quemuis hominem secum attulit ad nos,
Grammaticus, rhetor, geometra, pictor, alyptes,
Augur Schenobates, medicus, magus, omnia nouit.

His uersibus cõtra pluriũ artiũ peritos, in suæ impitiæ uelamẽtum Antonius uti solet. Hoc solũ de se ausus dicere, poëta sum, qui qualis poëta sit, hinc datur intelligi, q uersum poëtæ male recitat in uerbo geometra spondæo in trochæũ mutato: sequitur. FA. Quid illa tua in disputando ptinacissima cõtentio? quæ tãta est, ut nullis unquã rationibus te uinci sinas, nusquã alicui cedas, oẽs mortales te uno uirtute & sapiẽtia inferiores ducẽs. LAV. Crederent tibi fortasis aliq me in disputãdo ptinacẽ esse, nisi te hac ipsa

hac ipsa in re, aduersus me, pbasses fatuũ esse. Pertinax in disputando ego sum? si aduersus te me talem uis esse, nõ est pertinacia aduersus fatuos, sed fatuorũ: qui cũ rationis sint inopes, nõ possunt à susceptis persuasionibus, ulla ratione uocari: sin aduersus alios, ipsi nihil tale subijciunt. Certe rex eisdem illis diebus (testor Ioãnem Vlcinam, primum secretariorum, qui mihi pro læto quodã nuncio retulit) apud multos hanc mihi laudẽ dedit, me nõ minus leniter, placide, moderate, quàm docte ornateq; disputare: quod ut pasim glorier, non magis à maioribus habeo, quàm à natura, ut ex ipsa mea, & oris, & sermonis uerecundia (quod secus in uobis est) apparet. Quid enim uultu & sermõe Panhormitæ impudentius? quid tuo durius? Sic ex ipsa quoq; uoce, Nã quãtum tua est absona & amara, Panhormitæ ingrata & sordida, tantum mea (ut alij mihi narrant) dulcis, mansueta, uocalis: tu ut semper es contentiosus & pertinax, talem te ostendisti. Tu cerebrosus, inops rationis, & mentis. An tu compos mentis es? qui de pertinacia loquutus, tanquam diuersam rẽ subiungis? FA. *Quinetiam si intelligis alienam sententiam meliorem esse quàm tuam, tamen ea est pertinacia tua, ut malis in opinione tua impudentissime persistere, quàm errorem tuũ, atq; inscitiam cõfiteri.* LAV. *Facis ut amicus quidam tuus solet, qui in iurgio statim ea crimina, quorum sibi conscius est, alteri obijcit, ne postea sibi ab illo obiecta credibilia uideantur. At quàm belle subdis uerba Ciceronis? Quod quidem à sapientia dissidet plurimum. Quia quis possit in hoc propter similitudinem decipi, quòd Cicero de uitio dixit imitante uirtutem Fatue: qui eo usq; uesaniæ progrederis, ut ne alienissimis quidem obijciendis temperes, inquiens,* FA. *In æde sacra libellum Græce scriptum legis spectante populo, ut uulgò græce doctus esse uidearis.* LAV. *Ita opinor, ritu sacerdotis in omni conspectu lego. Vide quàm spectante populo, cum ne tu quidẽ inspexeris. Nam latine quoq; scriptus est, quod*

Digitized by Google

non facit idē in eodē in templo cōmunis amicus Michael Palma præceptor Panhormitanus, quod nō ex eadem insula uir nobilis Lodouicus Sicanus in eodē libro. Est autē psalterium quod nemo latinus sine mediocri saltē græcarū literarum peritia intelligat, quæ causa mihi est, ut dum oro sciā quid loquor. Atq; utinā hebraicam linguam planè noscerem, ut secundum hebraicam & ueritatem, & uocem psalmos edicerem, & quidem in ædibus sacris: Nā ubi cōmodius? num Panhormita melius? quì nunquā ad eucharistiam mouere precationibus labia à diligentibus notatus est: raroq; caput adaperire, quanquā si fas est, in hoc accipienda excusatio, ne caluitium puellis, quarum se amatorem facit, ostendat: quarumq; si quid apud se orat, hoc solum deos deasq;, & præcipue Venerem orat, ut lepidissimam quāq; & (ut eius uerbo utar) maxime mollicellam conuertat in pusionem: quod apud poëtas Teletusa de filia nuptiarū die dicitur impetrasse. Quid ni credam hoc cum orare, qui ait hoc posse cōtingere? Multas enim puellas in mares esse mutatas, qualis nuper Caietæ illa incuria eius, quam & ipse noui, quæ post XII. annū, quàm nupserat, redijt in marem. Talem uxorē, siqua fides iurāti est, longe habere mallet, quàm quālibet aliam. Atq; post multa redis ad impudentiam inquiens, FAC. Quāta uero impudentia sis, quāuis ex superioribus satis declaratū sit, atq; omnibus notū, tamen hoc unū abunde testatur, quòd quāuis sæpius apud regem, & alios plerosq; clarissimos uiros tuorū puerilium, circa latinitatem errorū cōuictus fueris, tamen non erubescis quotidie, eodem reuerti, & de his quæ leguntur disputare, cum magno astantiū risu, quorum alius te ut imprudentē, alius ut impudentē, alius ut temerarium, & insanū increpat, fœminæ impudicæ persimilis, quæ amissa semel pudicitia, ore (uti dici solet) pro clypeo utitur. Nec mirum: Nam quis peccandi finem posuit? siquando incœpit Erectū semel attrita de fronte pudorē, ut ait Satyrus noster. LAV. Hæc tibi dictauit

Psalterium.

Panhormitæ impietas.

Libido.

Puellæ in masculos mutatæ.

Digitized by Google

dictauit Panhormita, nã tu uix quater illi auditorio affuisti. Nec tu Calliopius in publico recẽsens, quæ domi poëta compoſuit: Sed quis cõuictus ſit imperitiæ, & quantum mihi rex cũ cæteris tribuat, hoc tẽpus indicio eſt, quũ nullus ſit dies, quo non rex ſpectante procerum cœtu, dictante me ſcribat in libro illo de uocabulis, quod cõprehenſorium dicunt, aliquã uerbi ſignificationẽ: interdum deleat aliquẽ ab alio male deſcriptam, uel emendet, uel illuſtret, quod illi adeo iucundum eſt, ut nolit ab alio, quàm à ſe ſcribi quũ doceo. Et cum hæc ita ſint, tamen omnem pectoris tui nauſeam in me nauſearis, & uomis, facisq; me impudicæ fœminæ ſimillimũ, qui utinã minus quàm ſum uerecũdus eſſem: etiam uſq; ad geſtum corporis me inſectaris inquiens. FAC. Sed deſinam hoc loco plura de uitijs tuis dicere, quæ quidẽ ipſe corporis motus clare indicat, arrecta ceruix, lingua loquax, geſticulatrix manus, greſſus concitatior. LAV. Nunquid erectam habere ceruicem motus eſt corporis? aut linguam, loqui? Quando unquã ſapere diſces Fatue? ideoq; ut à fatuo obiecta refellere ſuperſedeo. Et ſi credo, ita & manus, & greſſus, & totius corporis mei motum habere, ut præ me feram uirilem dignitatem, ut tu quandam ex omni parte præſers libertinitatem: Satis eſt, quòd obijcere nõ potes, illos Panhormitæ geſtus (ſi geſtus uocari debent) motum quẽdam linguæ, qui impuritatem mentis indicat, etiam ſcorto pudendum, aut lenoni: aut inſanationem, ut deformiſſimam ita creberrimam, qua neſcio quod faſtidium, apud eos qubuſcum loquitur parit, ut ſemper intra nares, quòd eas interſepiat, aliquid ſordis habere uideatur. Ex alijs quoq; conflare mihi conaris inuidiã inquiens. FAC. Priſcianum grãmaticæ autorem neſciſſe grãmaticam arguis. Itaq; in cæteris facis, ubi nactus es aliquã reprehenſionis anſam, totũ ibi uas cecidiſſe exiſtimas. LA. Id quoq; falſò quæreris. Nam quia fateor illũ aliquando erraſſe, interpretaris à me dictũ, eum grãmaticã ignoraſſe. At quomodo

Comprehenſorium.

probas? FA. Cuius pluſquàm ducentos errores gloriaris. LA. Si iſtud uis me ſcripſiſſe, palàm mẽtiris: ſin dixiſſe, mẽtiris quidem, ſed minus. Verũ eſto ut dicis, etſi ego nõ numeraui eius errores. Num (ſiquãdo hoc uel apud amicos familiariter, uel apud inimicos irate dixi) pro ita magno crimine habendum eſt? cũ in illorũ ſcriptis cũ reprehenderim? An uerear uictoriæ meæ facere mentionẽ, ſi toties ita robuſtũ, itaq; exercitatum athletã genero-ſe inuadere auſus ſim, tam ſtrẽnue fortiterq; pſtrauerim? Itaq; nõ quòd glorier, ſed quòd fálſò (ſi fálſò glorior) criminarer. Et tamen ò uacuum caput, quãto aliud eſt, dicere multis in locis à me reprehenſum, quàm grãmaticam ignoraſſe? nõ eſt meum tam inconſiderate, tam furioſe loqui: ſed tuum, qui mihi ob pauca quæ putas in me peccata, iſtud obijcis, inquiens. FA. Cum tu ipſe (ut paulo ante oſtendi) grãmaticam ignores. LAV. Non pudet te fera beſtia qui barbarior fõres, niſi legiſſes elegãtias meas, ignarum me grãmaticæ appellare, & hoc aduerſus elegantias, quod ſequitur aduerſus opus nondũ editum primæ noſtræ controuerſiæ ſeminarum. FA. Et Ciceronẽ è cuius cerebro eloquẽtia nata dici poteſt, ut è Iouis cerebro Mineruam illã aiunt, in traditione præceptorũ artis multos errores cõmiſiſſe prædicas, qui etiã in eum impudenter auſus es inuehi, LAV. Voluiſti imitari uerba quæ de Platone & Ariſtotele uelut pãrente philoſophiæ dicuntur, ferunturq; quidẽ è ſingulariũ uirorũ capitibus, ſic natæ eſſe ſcientiæ, ut Minerua autor artium nata ex capite Iouis. Et ut fertur uulgò, Bacchus ad femur Iouis aliquãdiu alligatus coaluiſſe: ſic aiunt Bacchum tuum ad Panhormitæ femur aliquãdiu coaluiſſe: ſcis quid loquor. Verum ut tibi reſpõdeam, ubinam Ciceroni detraxi? An quòd in libello, quem tibi oſtendi, nondum edito ubi parcius de loco quodã rhetoricæ diſputauis? Sed tu ubiq; non modo in maius extollis omnia, ſed etiam mentiris. Ego in eo opere uolui probare Ciceronẽ, nondũ ſenem in proœmio quarti

libri

Digitized by Google

libri ad Herennium, quo ab omnibus Græcis rhetoribus dixisset, Isocrate, Aristotele, Theophrasto cæterisq; à se quoq; senè dissidere, qui in reliquis artis rhetoricæ libris, nec facit idem, nec præcipit. Præterea à Latinis uniuersis, & q̃ ante ipsum, & qui postea fuerunt, in quo modestiam meam, licet uideas uir immodestissime, quòd non mea persona, sed illorum ipsorum, quorum causa loquutus sum. Alterũ libellum, quẽ per eosdem dies ostendi differs, ut es incompositus Græcos interponis ad dialecticãq; reuolueris: inquis enim. FAC. *Aristotelem quoq; petulantissimis uerbis lædis, quẽ dialecticæ nescium fuisse dicis: quam quidẽ scientiã ante omnes quas tenuit, & de quibus tradidit, sciuisse dicitur.* LAV. *Cur non igitur ò onager aliquid ab eo dialecticæ degustasti? quomodo ille scientiã tenuit, quã nõ didicit? (ea enim tenere dicimur quæ sumus edocti: Aristoteles autẽ scientiam hãc edocuit, non didicit) & tu putas eum abs te laudari: licet non ignoro quis te ista uerba docuit: & me insimulas, tanquã Aristotelem dixerim huius artis ignarum, ut quẽ ei preponã. Vbi ego istuc aut scripsi, aut dixi? quod sicubi ab eo dissentio, quanquam à Latinis magis dissentio, cum nostra à Græcis plurimũ distent, id protinus perinde erit, ac si dixissem eum scientiæ huius ignarũ? An aliquid mihi post illum scribere non liceat? Cur tot libri, uel nunc ab eruditissimis scriptitarẽtur, uel à ueteribus eruditissime scripti sunt, præcipue Græcis, inter quos Chrysippus, quẽ Stoicorum porticum fulcire dicebant? Nam nunc non extat, tam enucleate conscripsit, ut pleriq; negent, si Iupiter cæteriq; dij in cœlo dialectice loquerentur, eos aliter quàm ex Chrysippea dialectica loquuturos: Redis ad Latinos, & ad eum quem modo dixi libellum.* FAC. *Nec Liuio quoque pepercisti, eum nescio quam historiam de Tarquinijs, non satis scisse deblaterans.* LA. *O' rabiosam caniculam, nusquam an uerum loquaris considerans, sed id demum quòd ardua aggrediar criminaris, & (quod tur-*

Chrysippi dialectica.

Digitized by Google

pius est) conaris bonas (ut significas causas) non rationibus, sed conuicijs defendere. An uidetur tibi fieri non posse, ut in historia Liuius lapsus sit? Tacebo de reliquis, Audi quid in Aureliani uita scribat Flauius Vopiscus. Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum. Proderem in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius, in quo deniq; Trogus manifestis testibus conuincerentur. At forte mentiri uoluerunt, id ego non puto: ibi certe mentiri Liuius noluit, ubi notatur à Seruio dicente: Nam quod Liuius dicit de Albano rege Tyberino Tyberim dictum non procedit, ideo quia etiam ante Albam conditam Tyberis dictus inuenitur. Cur non idem mihi, quod Seruio licet? Non debes igitur, uir deterrime quòd mendacium in Liuio deprehendi, audaciam carpere, sed ingenium admirari. Ego quem debui honorem habens, ut graui, ut eloquenti, ut prudenti historico, colligo non habere exitum eius suppu-

Liuius lapsus. Historici mentiuntur omnes.

tationem, ut superbus Tarquinius, Prisci filius fuerit, ac præter inexpugnabilia quæ illic attuli argumenta, hoc testimonium, cuius mihi illa scribenti non uenit in mentem, adijcio, quod & illic adijciam, Lucium Florum, qui Titi Liuij abbreuiator putatur, simpliciter tradidisse Superbum Prisci nepotem, quæ multorum ante Liuium fuit opinio. FAC. Boëthium quoq; eruditissimum uirum mordere ausus es: illum de prædestinatione malè sensisse arguens. LAV. Laudes meas mutas in crimina. Nõ est mordere contraria scribere, sed inuectiuas, ut tu facis. Quisquis enim post alios scribit, necesse est aliquo in loco dissideat ab illis. Alioqui non esset causa, cur scriberet. Itaq; nihil interest, an contraria Boëthio disseruerim, sed an ueriora: quod si per te ipsum dignoscere non potes, ab ijs quærito, qui libellum meum, etsi diffidatis, literis aureis scribendum prædicant. Nec auribus meis blandiuntur, quippe quum sint ex eis, qui me nec colloquio, nec epistolis, nec aspectu notum habent. Cogis im-

Lib. de prædestinatione.

probe

probe calumniator me de ipso prædicare, ut Aeschines Demosthenem, nulla alioqui de laudibus suis, uerba facturum. FAC. Nec iurisconsultis abstinuisti. LAV. Elegantiæ meæ testimonio sunt, eos quantopere laudarim. In cuius operis calce, cum uiderem, inter hos quibusdam uerbis finiendis non conuenire, aut eorum aliquem ab alio autore discrepare, quid de hoc sentirem sententiam tuli. Magnorum enim uirorum est, qui plurima uiderunt, & acriter examinarunt de sui similibus, atque adeo maioribus pronunciare: ut nihil apud eos plus polleat, quàm ueritas & officium. FAC. Bartolum uirum sapientissimum existimatum incesseris, ius ciuile male ab eo interpretatum asserens, in quem cum inuectiuam quandam Papiæ edidisses &c. LAV. Inuectiuam appellas? quis ferè nisi aduersus uiuos inimicos inuehitur? Nulla inuectiua moribus parcit, quid ego in mores Bartoli dixi? aut quod illius mihi odium, cuius studiosissimum scirem fuisse parentem meum, utriusq; iuris antistitem, & consistorij apostolici aduocatum? Non est inuehi, si non patior eum cum contumelia aliorum nimis effusè laudari, quale quiddam nunc abs te fit, qui tanquam Socratem, aut Censorium Catonem uocas, omnium iudicio sapientissimum. Etenim illi (de quorum reprehensione scripsi) Ciceroni ut loquaci, & uerborum non rerum amatori Bartolum præponebant, eumq; miris laudibus ferebant, quos ut confutarem, libello ad amicissimum, ac facundissimum iurisconsultum Catonem Sancium scripto, probaui Bartolum longe abesse à facultate ueterum iurisconsultorum: quòd nequaquã ijs doctrinis, quæ humanitatẽ informarent, ut illi, fuisset excultus. Quem libellum cum Ferrariam ad Guarinum misissem, ut ille mihi uerbis quorum superius meminí rescripsit. Laurenti Laurea, & Valla Vallari corona ornandus es, ut uersu Vergiliano: -Manibusq; meis Mezentius hic est. Et tibi meo Bartolo non Bartholomæo murũ uidendo in Bartolum

Vallæ pater iuris utriusq; antistes.

Libellus in iurisconsul.

Digitized by Google

tholum attingere audeam, qui iuris cõditores, si tibi credam inuadam. Quid enim criminis est si quid tale dicam, nec Bartholũ, nec Accursium cæteros q; iurisperitos intelligere, uel uerbũ aliquod, utputa QVODLIBET, quod ipsi accipiunt, pro unũ quodq;, cum sit unum quoduis, ut in illo loco institutionum, Si illud & illud factũ, omnibus parendũ est: si uerò separatim, uelut si illud, aut illud factum erit, cuilibet obtemperare satis est, Vel totam sententiam, licet & hoc uerborum ignoratione contingat, ut edictum illud prætoris: Glandem quæ ex illius agro in tuum cadit, quo minus illi tertio quoq; die legere, aut ferre liceat uim fieri ueto. Glandis nomine omnes fructus continentur &c. Hoc est, ut duæ partes sint illius in cuius agrum * Glandis cadit, tertia illius ex cuius pendet agro. Est enim QVOQVE nomen, non coniunctio ut in elegantijs latius. Ecquum speraras me damnatum iri, quòd Bartholum impugnassem? En plura addidi mea sponte eius generis crimina. Hæc apud recta iudicia laudem merentur, non uituperationem: quo magis stultum est, quod ais,

Quodlibet.

*Glans.

FA. Ab ijs qui legibus operam dabant, discerptus fuisses, nisi te templo quodam elapsum, & mori uelle clamitantem, Antonius Panhormita eius intercursu ex illorum manibus eripuisset.

LAV. Antoni miles gloriose, qui tam impudenter te iactas assidue. Ego hoc feci? Ego illud dixi? An non mihi & Catoni tunc inimicus eras, & ad nostrum usq; discessum fuisti, quòd si istud uerum esset rediissemus in gratiam: an tu maioris, quàm ego autoritatis? imò ullius? An non illa certatio fuit rectori iuris studentium, cum rectore philosophantium, quòd ægre ferret illum, cum omni caterua philosophorum complectentem me, quasi posthac suarum partium futurum, quàm diuersam factionem scripsissem, & ipsis insultantem. Nam tu quid ibi facere poteras, nisi dolere tanti me fieri, ut quod hostem philosophorum me appellarunt, hi iam nulla de me accepta satisfactione, quòd à se tran

se transissem triumpharent, alteri sic ægre ferrent. Nebulo, sedata illa rixa, quid amplius sequutum est, nisi alterius partis tacita indignatio, alterius aperta lætitia? At quàm uenuste, cum hoc dicas, cohæret oratio? Nã quisquis lapsus è loco est, is eripi qui potest? aut quomodo in rerum naturam cadit, quẽquã clamare se mori uelle? Tu, tú ne moreris clamasti, cum propinquus tuus stricto te mucrone sequeretur in spurcissimo & impijssimo scelere deprehensum, prout in carmine in te composito narratur? FA. Augustinum siue Hieronymum, quibus nihil habet religio nostra præstantius, carpis: nec uerbis modo, sed etiam scriptis, erratum à se dictitans. LAV. Satis planè fateris accusare te, quæ ignoras, dum ais, Augustinum siue Hieronymum: nimirum eodem errore eademq; stultitia, qua pro Augustino, apud me Hieronymum Africanum aiebas & barbarum. Ignoras utrum carpserim, & quo audes ore carptum à me affirmare, & cum alterutrum carptum significes, tanquã in utroq; id fecerim accusas, in meq; refundis quod tuum est, sicut ostendi? FAC. Aurum geris omni uerecundia abiecta, cur? an quia eques? dic à quo principe, aut à quo rege in equestrem ordinem relatus sis? An quia iuris ciuilis, aut pontificij, aut physicæ doctor? ede ubi doctoratus insignia acceperis? à quo collegio? quo tempore? quibus præsentibus? LAV. O impudentiam Panhormita tuam singularem, qui tuam culpam transfundis in alios. Ais te iuris ciuilis doctorem, & ita in literis scribis, qui nihil ex iure ciuili nosti. Sed à quo collegio adoptatus es doctor? An à Senensi? at ibi composuisti Hermaphroditi librum, non ius ciuile didicisti. An à Bononiensi? At illic composuisti alterum, posteaq; cum magna pompa, per imaginem tuam conerematus es. An à Romano? at ibi te nisi pro puerorum mangone nõ norunt. An à Papiensi? aderam, cum longe abesses ab ista spe doctoratus, quo tempore à Guarnerio Castellono, quem dignitatis gratia nomino, quum

Panhormitam non esse iuris ciuilis doctorem.

se pro

se pro legato ducali Parmam ad Sigismundū imperatorem conferret. Impetrasti, ut te secum duceret, & rescriptum obtineres, quomodo poëta declarareris, quasi sic poëtæ fieri posſint, quasi ulla inuentus poëta prærogatiua: quasi sic iuris doctor sis, effeceris generiosius. Marianus Senensis circulator, qui ab eodem Sigismundo, non clanculum, non per rescripta (ut uestris uerbis utar) in equestrem ordinē relatus est. Cur ergo tu Panhormita aurum gestas? cur non postquā istam dignitatem, si qua erat, amisisti, utpote bis publice crematus: & ab rege ob crimen peculatus à collegio summariorum summotus, aurum non deponis? nisi quia ius gestandi non amisisti, quod nullum habes: & postea à me queris, cur ipse gestem? cui si cætera deessent, certa collata sunt ab rege modo omnium artium liberalium, ac utriusq; iuris ornamenta, literis ac aureo sigillo munitis, etsi scio gestandi auri usum nulla autoritate introductum. FAC. An uerò quia olim Caietæ in conuiuio cum inusitatæ molis peregrino arietē clypeo pugnans certasti? honesta profecto ratio, cur auri usum tibi licenter assumere debueris. Est enim facinus uiro graui, & erudito dignum: hoc idem sæpe factitauit Hercules. LAV. Non pudet te ineptiarum leuissime Panhormita: quis hoc nouit? quis audiuit Caietæ? quod quia obscurum est referam, & licet res minima sit, & quam ridens præterire possem, tamen deus me nullius uoti compotem, semperq; calumniantibus obnoxium reddat, nisi rem gestam recenseam. Ante octo ab hinc annos constitueramus aliquot uiri in hortis Caietæ suburbanis, propter anni tempus, septimoq; die, qui Dominicus erat, in orbem conuiuium struere. Nicolaus tunc principalis illius oræ præses, qui Siciliæ quatuordecim annos pro rege præfuerat, Iacobus Amigo quæstor, seu thesaurarius regius, Antonius Moncada, comitis Caletenoscecæ Frater, Petrus Marinus qui nuper Strategus Salernitanus fuisset, Petrus Castello iuris pontificij

Conuiuium & conuictores.

Quæstor.

Strategus.

ſcij conſultus, & Nardenſis archidiaconus, Moyſes Iudæus ex urbe Meſſena regius Medicus: Ego & Antonius Panhormita primo conuiuio, eodemq; ultimo (nam aduentus infantis Petri rem interrupit) ſecundum cœnam cum famuli ludere cœpiſſent cum Ariete, qui præſidis erat, quiq; eum paſsim comitabatur, præſes ipſe, ut grauis, & ætate iam affecta, ita comis, & poſt opiparam cœnam hilarior, cœpit hortari conuictores nunc uniuerſos, nunc ſingulos, ut incurrentem & ipſi Arietem ſcuto exciperent, & eum uehementius ut ignauos obiurgaret, ſicut erant uinolenti, cum riſu à primo ſcutum capitur. Aries ut prætendi ſcutum cernit, retrogradiens, ut moris eſt, quo ualidior incurſet, ſeſe recipit. Hactenus illis ſufficiebat audacia, irruentemq; Arietem relicto ſcuto deuitabant: & quum à præſide reprehenderentur, & plerique animarent, aut conuicium facerent, omniaq; cachinnis ac uocibus ſtreperent, ſcutum reſumebant. Sed ſemper ſui ſimiles erant, ſolus Antonius & Moyſes duo Iudæi non propter ignauiam, ſed ne infames (ut reor ex iure ciuili) uocarentur, ſi ad beſtias pugnarent, ſcutum nõ attigerunt, tametſi non deerat qui cauillans hos duos Moyſen & Aaron fratres appellaret. Hic quid me facere cõuenit, qui præter unũ Antonũ Moncadam eſſem omnium natu minimus. An hortante præſide, & ſe iureiurando ab eo ludicro ceſſaturum negante, ſi per ætatem liceret, alijs q; incitantibus certamen detrectarẽ, & tertius numerarer Hebræus? Sumpſi igitur ſcutũ citius, uolẽs quãtumuis incurſum ac caſum, quàm illã cõtumeliã pati. Excepi itaq; impetũ beluæ, quando quidẽ ab hoc cogebar, ita ſtrẽnue, ut me aries loco nõ mouerit. Iterũ iubentibus, atq; hortantibus omnibus, ita excepi cornua, ut ſubducto ad uehementiã ictus ſiniſtro crure ꝓtinus in Arietẽ ꝓcubuerim, ac ſurgens præ pudore, nã tibias meas quas ceruice tenus intrauerat, hærentẽ per aduerſa terga ſuſtulerim, reſupinatũ ꝓiecerim magiſquã depoſuerim,

Vallæ cũ ariete pugna.

Ideoq;

Pugna ad bestias.

Ideoq; Antonius alludens Terētij uerbis inqt: idē factitauit Hercules: quia sic ego arietem, ut ille aprum Erimanthū sustulissem. Hoc est certamen meū quo ad bestias pugnaui, quod minus turpe est mihi subisse, quàm aut cæteris deseruisse, quàm aut accusatore meo refugisse, & certè præter reliquos conuictores laudauit me sapiens ille uir, & generositatis & felicitatis. Habes nunc Fatue fabulā planius à me ueriusq; expositā, quàm à Panhormita audisti, quā in quatuor uerbis perstrinxeras. F A. Quem Grāmatici cōtemnunt. L A. Ita prorsus, ut Guarinus & Auriſpa testantur. Elegantiæq; meæ, quæ per omnes prouincias circūferūtur. F A. Oratores irrident. L A. Et ideo ijdem quos nominaui Leonardusq; ac cæteri omnes per irrisionē tantopere me laudarūt. F A. Laudare philpsophi floccifaciūt. L A. Hoc si probas q, in me latras, ut canes in nocturnū lupū. Nam ipsorum oues, qua nō opinantur aggredior, etsi eorū optimi quiq; non lupū, sed inertium canū exterminatorē me uocāt, sentientq;, si modo lupus sum, & nō leo: & tu ais me ab illis floccifieri, quasi canes lupū leonē ue floccifaciant. An in te nō leo esse uideor, quē in latratorē magis, quàm robustū canē, q, in saltu me insequutus es lacero, ne dicam deuoro? Caninā enim carnē leo fastidit ac floccifacit. F A. Theologi dānant. L A. Ego in quouis theologorum cœtu, ut parcissime dicam, è numero uideor illorum, quum uterq; uestrū astet, quasi Onocrotalus inter Cygnos. F A. Imò uerò igni subijciendum iudicassent, in episcopali templo, cum de te, ut de hæretico & de fide Christiana male sentiente existimarent. L A V. Audes exemplar infamie Panhormita de igne mentionem facere, bis iam ipse combustus, propè in orbis terrarum celeberrimis theatris? Iudicassent inquis: te uerò iudicarunt, tibiq; ignem subiecissent, nisi supplex, monentibus quibusdam misericordia cōmotis, errorum tuorum ueniam à iudicibus petere festinasses. Nisi libellus ille ad summum pontificem missus satis respōderet calumniæ

lumniæ ueſtræ, plura dicerem: ſed nolo, ne nimis de laudibus meis loqui uelle uidear. FAC. Recognoſce igitur aliquando teipſum, ut te ipſo cognito, alios non negligas. LAV. Video, quia intellectum te uis, hoc dicis. FAC. At tandem temeritate, inſolentia, maledicentia, & impudentia depoſita, modeſtus & temperatus eſſe diſce. LAV. Tandem finem facis maledicendi duntaxat in prima inuectiua. Cuius conuicia ſic digeſſi à te diſſipate dicta, ut grauiſſimum quodq; poſtremum eſſet. Admones, ut diſcam modeſtus eſſe, & temperatus, nimirum ſperas, talem fieri poſſe. At ſuperius deſperabas inquiens. FAC. Diſce, diſce igitur ex alijs modeſtus eſſe, & linguæ frenum adhibe. Sed hoc certe, nunquam mihi cõcedes, propter innatam arrogantiam tuam. LAV. An potes Fatue negare te fatuum? Sed in quem unquam extiti, uel ſcriptis, uel lingua maledicus? qui etſi nullius ſceleris mihi conſcius ſum, nec alicuius in notata familia probri, ſordis, uilitatis: nec imperitiam, nec humilitatem, nec mores inſectatus ſum, niſi Panhormitæ, atrociſſimis ab eo laceſſitus iniurijs? Cuius conſuetudinem, ut uides, omnes uiri boni aſpernantur, atq; ut inſanum effugiunt. Ergo non rex, cui tot menſes lego, uir bonus eſt, nec ſummus pontifex, quem ſuperioribus diebus adij. Nec Cardinales qui ad me ſcriptitant, ut ſileam cæteros, de uobis duobus pudor me prohibet uiciſſim, quæ poſſum dicere. FAC. Hæc ego abs te laceſſitus Laurenti, licet inuitus ac præter naturam & conſuetudinem meam, ſcribere ſtatui, ut ſiquam, mihi detrahendo, uoluptatem imbibiſti, hanc coràm male de te legendo euomas. LAV. Teneo te ubiq; ſtolidiſſime, & mendacij malignitatisq; conuinco. Hæc omnia in me perperam effudiſti, hæc mortifera tela contorſiſti: his quantum putas detonuiſti fulminibus, quòd tibi detraxerim. Quæ porrò iſta detractio fuit? Nempe quòd te quia contra libros meos hiſtoriarum inimiciſſime ſcriberes, idq;

apud regem mihi inimicus obijceret, minutorum minutißimum appellaui. Dic nunc præter naturam, & consuetudinem tuam in me fuisse inuectum. Quis unquam ursus, aut quæ leena, tigris ue ereptis sibi catulis rabidior fuit, quàm tu in me? quia te abs te uerberatus conspui. Et sanè immanis immitisq; naturæ est, ne in eo quidem loco, ubi quis se mansuetum mitemq; probare uult, ab acerbitate uerborum posse temperare. FAC. *Ego de meo sensu iudico, non nisi in ipso ardore probris respondendi uterer his uerbis. Hanc totam male de te legendo cuomas, quod non facit in illa breui, sed incensa inuectiua & iustiores causas habente, Sallustius, ut siquam male dicendo uoluptatem cæpisti, eam male audiendo amittas.* LAV. *Aude te dicere inuitum ad hoc descendisse, & non potius cum tua natura sæua & importuna, inuidiæq; & auaritiæ plena, quam cum plurimo usu roborasti, tum uero rogatu atq; impulsu Antonij Panhormitæ.*

FINIS.

Digitized by Google

LAVRENTIVS VALLA CLARISSIMO ET ELOquentissimo uiro, Candido Decembri, S. D.

NONNE *indignum est Candide, & ægre nobis ferendum, quòd tot ineruditissimi libri, & ineptissime scripti, non modo non injiciuntur flammis in publico positis, more maiorũ, sed & multos ita amatores, laudatoresq; habent, ut magnis eos autoribus, nõ dico comparare, sed præferre non erubescant? idq; ferè in omnibus liberalibus artibus & disciplinis, sed de cæteris quidem aliàs. Nunc autem de scriptoribus in iure ciuili tecum loqui parumper institui. Quem mihi in hac causa deligendum ideo putaui, quòd (dicam quod sentio) neminem scio, uel in iudicando magis religiosum, uel in doctrina magis aut uberem, aut expolitum. Horum quos dico Iurisperitorum, nemo ferè est, qui non contemnendus planè ac ridiculus uideatur: ea est ineruditio in illis omnium doctrinarum, quæ sunt libero homine dignæ, & præsertim eloquentiæ, cui omnes Iurisconsulti diligentissime studuerunt, & sine qua ipsorum libri intelligi non possunt: ea hebetudo ingenij, ea mentis leuitas, atq; stultitia, ut ipsius iuris ciuilis doleam uicem, quod penè interpretibus caret, aut quod his, quos nunc habet, potius non caret. Satius est non scribere, quàm bestias habere lectores: qui, quod tu sapienter excogitasti, aut non intelligant, bestiæ enim sunt, aut insipienter alijs exponant. Quare non possum me continere, quin male precer illi qui in culpa est. Dij itaque tibi male faciant Iustiniane iniustissime, qui potentia Romani imperij in Romanorum perniciem, bo-*

Contra Bartoli libellũ, de Insignijs & armis.

Ineruditio Iurisperitorum.

Bestiæ lectores.

In Iustinianum.

Digitized by Google

norumq; & clarorum ciuium abusus es. Nam quid te uel iniustius, si per inuidiam ornatissimos illos Iurisconsultos abolendos curasti, cupiens ut Constantinopolim, quò nostri imperij domicilium commigrauerat, ne librorum quidem copia & scriptorum autoritate uinceremus: uel imprudentius, si posteriora secula à commentarijs temperatura speraueris? Itaq; uide quid feceris, & ubicunq; es, fatcare te male inconsideratéq; fecisse: nisi forte gaudes nostro malo, in locũ Sulpitij, Sceuolæ, Pauli, Vlpiani, aliorumq;, ut leuiter loquar, cygnorum, quos tua aquila sæuissime interemit, successerunt anseres Bartolus, Baldus, Accursius, Dinus, cæteriq; id genus hominum, qui nõ Romana lingua loquantur, sed barbara: non urbanam quandam morum ciuilitatem, sed agrestẽ rusticanamq; immanitatem præ se ferant: deniq; non olores, sed anseres: Non qui palatium Capitoliumq;, ut antiquitus fiebat, à nocturnis furibus custodirent, sed qui in uijs ac plateis ad uniuscuiusq; prætereuntis aspectum obstrepant, ac uociferentur, & totas ciuitates atque ullas inquietent: existimantes se (ò nephas) uocem cantumq; habere cygnorum. Quàm acerbũ quæso est, nobis præsertim, qui cygneam uocem non ignoramus, his passim raucorum anserum clamoribus obsurdescere. Quis crederet? Anseres etiam mordere audent, colloq; porrecto, & nescio quid cornicanti uoce comminantes, crura transeuntium feriturі insequuntur. Non igitur hæ stolidæ aues repercutiendæ sunt? non manu, sed pede. Item ut deinceps ad ostendendos homines prodire non audeant, uellem etiam ut ad tacendum quoq; compelli possent: hoc est, ut occiderẽtur, quæ suauius comeduntur quàm audiuntur. Verum hoc non possumus, sunt qui prohibeãt: id certe quod possumus faciamus, ne nostra crura, oratorũ dico, appetere amplius tentent. Num te Laurenti, inquiet aliquis, aliquando anseres momorderunt? ut ita in illas bestias irascerere.

In locũ cygnorum succesſerũt anseres Bartolus, Baldus, &c.

Anseres Iureconsulti.

An uero

An uero bonus uir priuata solum causa, & non publica com- In publicum
mouetur? alios offendunt, me quoq; offendunt: omnibus enim peccant iure-
ciuibus iniuriam facit, qui ciuem aliquem uiolat, & omnes bo- consulti.
ni iniuriam accipiunt quæ fit unicuilibet bono. Cæterum si cau-
sa priuata magis quàm publica uis me excitari, accipe cur
etiam mea causa debeam commoueri. Hesterno die quidam in-
ter Iurisperitos magnus, si quid magnum potest esse in parua
scientia, nomen tacebo, ne mihi succenseat, nisi prius de se uo-
luerit confiteri, audebat mihi Bartolum Ciceroni in doctrina
anteponere: tum multa alia inconsiderate dicens, tum illud fu-
riose affirmans, nullum ex operibus M. Tullij cum uel breuis-
simo Bartoli libello, qualis erat ille de insignijs & armis, com-
parandum. Ego qui nossem hominem non parue alioqui existi-
mationis, et autoritatis, quasi colapho percussus, incensus sum.
Sed me repressi, iramq; cohibui, ut alio tempore uehementius
ulciscerer, & quale non putarem uullus infligerem, & ridens
inquam: Ostende quæso istum ipsum quem nominasti libellum,
ut adorabilem doctrinam possim perdiscere, aut quid sentiam
respondere. Nam quædam istius Bartoli uidi, sed nequaquam Bartolus de
multa. Tum ille, Vbinis hunc librum tanquam solem uidere po- insignijs &
teris. Commodabis, inquam, tu, si quod exemplum apud te est. armis.
Non est apud me, inquit ille, sed à Catone Satio, quem tu pro-
pter eloquentiam, & multarum rerum peritiam amas, & ego
propter admirabilem & singularem Iuris ciuilis scientiam ob-
seruo, commodato accipere soleo. Mirum profecto narras, in-
quam, quod iste Bartolinus sol, quẽ ubiq; uideri dicis, nisi rarò,
domi tuæ non cernitur. Longiorem noctem in tua domo ha-
bes, quàm ij qui dicuntur, nescio in qua parte orbis terrarum,
in unam noctem atq; in unum diem, totum annum habere di-
uisum. Ibo igitur ad Catonem, ubi solem istum dicis esse: sed
tu commodius faceres, ac diceres uerius, si Catonem, non Bar-

Digitized by Google

tolum, solem appellares, qui scientiam istam eloquentia quasi quibusdam radijs illustrat. Verum dic rogo iterum, quis titulus libri, ne forte errem, non planè intellexi. De insignijs, inquit, ille, & armis. Noua & non peruagata, inquam, debet esse materia, quæ nouum titulum habet. Et uere, inquit ille, noua materia est, & à Bartolo inuenta, & accuratissime tractata, sed non est obscurus & nouus titulus. Quid ni, inquam, ego qui non penitus abhorreo ab intelligentia uerborum, quid hoc est, de insignijs, non intelligo, de armis intelligo. Atqui, inquit, si nosti quid significent armæ, multo magis quid insignia. Hem quid ais, inquam, incertior sum, quàm dudũ. Quum uis declarare unum uerbum, nec ipsum declaras, & alterum obscuras. Arma & insignia quid sint scio, armæ & insignijs quid sint nescio: uereor ne me illudas, qui librum Sibyllinum, non Bartoli mihi obtuleris, quem ego idiota non queam intelligere. Nam si nec titulum quidem sine interprete facile intelligo, quid tandem in illis locis futurum putem, ubi se in altas quæstiones autor profundaśq; demersit? Qui de mensura cœli loquuntur, & de astrorum cursu scribunt, difficilimiśq; atq; abditis rebus, tamen ita suos libros inscribunt, ut quænam materia tractetur, intelligatur. Itaq; magis me territat iste tuus de quo dicis libellus, quàm omnes de astrologia libri. Quod si ideo Bartolum Ciceroni anteponis, quod obscurius loquitur, mihi tecum pugna non est, & isti libro libenter etiam palmam tribuo. Nam quid magis Cicero laborauit, quàm ut ab alijs orationis obscuritate uinceretur, quam ipse, quasi syrtim quandam charybdimq; uitabat? Dicit enim quodam loco: Satius est mutum esse, quàm quod nemo intelligat, dicere. Tu tamen quid Bartolus loquitur, non ignoras, quod equidem admiror, quum tu non sis ita multum me literis doctior, nisi quòd balbi balbos melius intelligunt. Iocaris, inquit ille, & me po

Armæ & insignijs.

Orationis obscuritatem Cicero uitabat.

Digitized by Google

me potius illudis. Non est nobis cura de uerbis, sed de sententijs: non de frondibus arborum, sed de pomis & fructibus: quemadmodum uobis oratoribus, qui uerba aucupamini, uim atq; utilitatem sententiarũ omittitis, & semper in ridiculis & rebus inanibus occupati estis: ut nunc tu facis, qui quum non ignores quid significant insignia, tamen à me quæris: & quum nihil habeas quod opponas solidum & uirile, ad ineptias te conuertis, quasi nihil sit tibi aliud quod agas: mihi necesse est maioribus uacare, quàm his inutilibus contentionibus, atque abijt. Ego uero remanens, penè mutaui propositum, dubitauiq; an librum petendum putarem. Qualem enim sperarem illum fore in medio mari gubernatorem, qui statim dum portum aggreditur impingit? & qui in primis uerbis nescit quid loquatur, quid tandem in cursu & calore dicendi eum putes esse facturum? Itaq; pudendum mihi esse arbitrabar, si contra barbarum de literis, contra imperitum de sapientia, contra iacentem & inermem stans armatusq; pugnarem. Sed ne barbari, imperiti, nudi, inermesq; nos lacessere uideantur, & quod grauius est, fugare, & ne mihi ille Iurisperitus impune insultauerit, postremo ne anseres se olores sibi esse persuadeant, legendum mihi Bartolinum librum putaui, & errores quos multos esse non dubitabam, non clamore, sed stilo, qui perpetuò durare, & per orbem terrarum uolitare potest, demonstrandos. Ne autem multis Candide morer, & ad rem ueniam: Vesperi ad Catonem misi, qui mihi Bartolianum libellum commodaret, quem licet perpusillum, uix potui perlegere. In quo, dij immortales, quàm omnia sine grauitate, quàm omnia sine pondere, quàm omnia fatue, asinum loqui, non hominẽ putes. Itaq; tantum abest, ut de Bartolo egregie sentiam, & Ciceroni comparem, ut iurare ausim, Tironem M. Tullij libertũ, si Bartolũ seruũ habuisset, nunquam dignũ libertate duxisse. Atq; ut eius

Dicunt, Non est nobis cura de uerbis, sed de sententijs.

Stilus Bartoli.

imperitiam ſtultitiamq; oſtendere incipiam, primum libet eum breuiter ſummatimq; reprehendere. Nam præter illud quod in communi quadam intelligentia eſt ſitum, & leges meminerunt, quod ſigna non fiant ad aliorum iniuriam, cætera omnia in libello illo ſuperuacua ſunt, & odioſæ ac peruerſæ diligentiæ pleniſſima: qualia ferè ſunt omnia noſtrorum Iuriſperitorum uolumina, non à uiris, ita enim grandia ſunt & uaſta, ſed ab aſinis portanda. Dicamus igitur de his rebus, quæ proprie inſignia uocari poſſunt. Quodcunq; animal, ait, deſignatur in uexillis, facies eius debet inſpicere haſtam, cum de natura faciei ſit, antecedere. Nunquã in quempiam ſic cadere uidi illud Terentianum: Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant: id eſt, quum plus ſapere uideri uolunt, minus ſapere uidẽtur. Hoc loco abs te Bartole quæro, utruḿne uis ab altera parte figuras pingi, an ab utraq;? non enim te planè intelligo. Credo reſpondebis, ab altera: ita enim uerba tua interpretor. Hoc quàm indecens ſit, poſtea uidero: nunc utrã partem pingi mauis? dextram inquis: probè tu quidẽ, ſed quæ nam ſit dextra ignoras, & pro ea ſumis ſiniſtram: nam eam partẽ quæ uergit ad læuam illius qui ſigna fert, pro dextra accipis, licet omnia obſcuritate ſermonis inuoluas: quaſi non illi qui ad eam partem ſunt, in ſiniſtro cornu eſſe dicantur: & ita illa pars ſignorum, quæ ad illud cornu reſpicit, ſiniſtra debeat dici. Sed hoc non dandum eſt uitio, quippe qui non de lateribus, ſed de fronte ſignorum loquitur. Eſto, demus ueniam, & hominem qui pro alijs dormientibus ſe excubitorem profitetur, ſtertentem, non increpatione, ſed ſubmiſſa & molli uoce excitemus. Ad haſtam, inquit, facies rerum conuertantur, ut quò haſta fertur, eôdem illæ meare uideantur. Itáne ais Bartole? hæc potiſſima ratio? hoc naturale putas? haſta præcedat. Dic quæſo, an ſigna haſtæ, an ſignis haſta ſubſeruit? hæc illius, an illa horum

Odioſam, & peruerſam diligentiam habent Iuriſperiti. Bartolus. Facies debet inſpicere haſtã.

cauſa

Digitized by Google

causa reperta est? Nauigasti unquam, aut nauigantes è littore uidisti? eorum signa præcedunt hastam, an sequuntur? imò uero præcedunt, & quò uela aut nauis uehitur, ipsa quoque diriguntur. Ergo ad legem tuam, si ideo aspectus ad hastam respicere debent, quia illa, ut ais, præcedit, non debebunt respicere, ubi, uelut in mari fit, illa non præcesserit. An tibi parum uidetur, quod in uniuerso mari lex tua uel damnanda est, uel repudianda? an plura uexilla feruntur in terra quàm in mari? tacebo de cæteris aquis. Age porrò in terra quid dignius ac præstantius, quàm signa pontificum nostrorum ac sacerdotum, hoc est, dei contra diabolum? Non ne ita geruntur illa, ut hasta non modo non præcedat, sed etiam lateat? Hæc tamen nõ cogitasti Bartole, sed solum ad signa militaria respexisti, quasi nũquam castra uideris. Quid quòd in illis hasta sæpius ferri solet, & mea sententia decentius, paululum inclinata in anteriorem partem, multoq; melius quàm in posteriorem, atq; ita pendentibus uelis, siue ad palatia, siue ad templa suffigitur? Itaq; tunc facies animalium ad hastam respicient quidem, sed terga hostibus ostendent, contra legem tuam. Quid quòd principiũ ac fons signorum ab hasta incipit, & quasi fluit in extrema? cur non igitur animalia quæ pinguntur, ab hasta descendere debent, & in extrema procedere? præsertim ne in hastam ferantur, quò ire non possunt, spacio deficiente. Quid quòd signa siue stant, siue eunt, nunquam, ut tu uis, retrorsum, nisi uento mota, ferri & expandi queunt? Quasi naues onerariæ sint, quæ sine uento ire non possunt. Atqui, sicut modo dicebam, paululum in anteriora inclinentur, ope uentorum non indigent. Quid quod absurdum est optima geri signa aduerso uento retrorsum uolitantia? quo modo pessime imus in pugnam. Non enim adeò sol aduersus, quàm uentus timeri uitariq; solet: nam sol quidem nobis duntaxat nocet, uentus autẽ

Signa facerdotum.

Digitized by Google

etiam hostes adiuuat. Quid quòd dum retro signa uento in morem uelorum impelluntur, in contrarium ab hasta feruntur? Ex quò fit, ut animalia picta, non quò hasta ducitur, utique pergere debeant, sed quò signa ipsa, quibus animalia continentur, uento pansa portantur. Omnia hæc cò spectant, ut appareat nihil necesse esse animalia ad hastam quasi ad anteriorem partem respicere. Nunc illud addimus, etiam si hasta præcedat, indecoros nonnunquam esse gestus, qui ad illam dirigantur. Nam quid ais Bartole? attolle paulisper oculos, & uigila: consuluit te tuus rex Boëmiæ, & Cæsar. Legitur paulo ante apud Vergilium, quod in regis Turni clypeo erat, Cælata fundens amnem pater Inacus urna. Vult hanc ipse effigiem Inaci, non in clypeo, non enim clypeo utitur, sed in uexillo gerere. Doce tu & tantus Iurisconsultus & consiliarius Cæsaris, quonam modo illa pingenda sit. Cui uix attollens tu lumina Bartole, dices: Ius ciuile, ò Cæsar, & Geometria, & Arithemica, & Philosophia iubet, ut omnes gestus ad hastam dirigantur, nec fas est hanc legem prævaricari. Collocabis igitur deum in ima atque pendenti parte uexilli, & quasi supinum, qui uersus hastam, id est, in altum aquas inclinatæ urna effundat. Non ne si hæc rex audiat, tibi dicat: Dormis Bartole? an parum es sobrius? Cur ita potius, quàm deum constituere in parte uexilli digniore & superiore, & in pronum ac procliue aquas demittentem, ut postea longo tractu flumen serpere, & labi in mare uideatur? Quid porrò si solem gerere pro signo uelim, quo quidē usi sunt potentissimi reges? non ne à superiore faciam in inferiora radiantem, & quasi terras despicientem? Hic tu titubans, nutansq;, & quasi per somnum & crapulam loquens, dices: Quid necesse est, optime rex, externa exquirere? tua enim signa magnifica sunt, & non mutanda. Habet Boëmiæ rex pro Inaco leonem, pro sole Cæsar aquilam

Nihil necesse est animalia ad hastam respicere.

Digitized by Google

aquilam, quæ duo animalia debent eò esse conuersa, quò ferun-
tur. Tum ille inquiet: In leone & aquila tantum tua lex locum
habet. At ego non de his animalibus quæro. Sed quoniam de
aquila fecisti mentionem, nam de leone dicam postea, uenit in
mentem de meo populo Romano, à quo aquilam accepi. Is nũc
gerit pro signo quatuor literas, S. P. Q. R. unde tu
uis illas literas incipere? an ita ut tendant in hastam? Sed istud
est Hebraice scribere, non Latine: eas nemo intelligat præter
te, qui scis è contrario legere, aut præposterus erit ille ordo li
terarum, R. Q. P. S. Imò ab hasta, inquies, incipiendum
est. At hoc contra legem tuam est. Non, inquies: nam literæ ex
cipiuntur. Ideo cognosces te stulte dicere, quum ad exceptio-
nes confugis: cur non etiam excipis solem? cur non Inacum?
cur non multa alia? quia, inquies, de animalibus loquor, ut de
leone & aquila. Cur ergo ab ista regula excipis literas? an li-
teræ animalia sunt? Et quoniam tibi tantopere animalia pla-
cent, ut deum & solem præ leone & aquila fastidias, de ipsis
duobus aliquid dicamus. Si leonem purpureis filis contextum,
in pectore gestarem, insurgentem in anteriora, & quasi in
hostes meos ex aduerso uenientes erectum, & hoc non im-
probares: cur improbares alterum leonem à tergo in eodem
habitu, non in humeros meos conuersum, ne me laniare uide-
retur, sed ab ea parte auersum, in quam feretur? An quod in
regia ueste non dedecet, id in uexillo dedecebit? quanquam si
recte existimemus, non conuersus in hostem iste tuus leo mihi
uidetur, sed quasi timeat sese sub trunco abscondere & occul-
tare: ut aut non cernatur ab hostibus, aut aliò ire q̃ ad hostes,
non frontẽ, sed latus ostẽdens, penè fugere putetur. Nã aquilã
ne ipsam quidem dixerit quisquã ad legem tuam esse formatam:
siquidem præter id quod & ipsa sub hasta latet, non in pe-
ctus fertur, sed in latus, quasi aues in transuersum queant uo-
landi

Ad exceptionẽ confugiens, stul te dicit.

Leo, signum regis Boemiæ.

Aquila Cæsaris.

landi impetum sumere. Praeterea quum mihi interdicis Bartole, ne facies animalium aspiciant in dextrum aut in sinistrum: quod mihi interdum magnificentius fieri uidetur, ut leo sedēs, & in latus alterum faciem uertens, & illud: —Tereti ceruice reflexam Procubuisse lupum. Quae si recumbit, quomodo potest uideri ire, quū quiescat? tamen facies eius conuertatur illuc quò fertur. At ipsa multò melius conuersa est ad pueros, quos mulcetur alternos. Pectus, inquies, certe teneat ad anteriora cō uersum: si non attinet de ultu, minus pectore. Sed ita, ut dixi, inquies: melius est, in lupa hoc mihi exigis, quum Veneti, quem populum tu nosti quantus sit, auersa ora teneant, ab ea parte, in quam lembulis cimbulisq; uehuntur. Et Graeci quidem in signaculis librorum, ut nuper uidere potuisti, quum legati Constantinopolitani ad me uenerunt. Hebraei autē in ductu literarū contra ac nostra consuetudo postulat, faciunt: & omnia penè apud omnes gētes uaria sunt, quod dijudicare uelle, uide ne tam uere dicere quàm immodeste facere uideare. Postremo, ut scias quid tuae rationes ualeant, afferam exemplū, quod ubiq; plurimum facit. Romani olim Consules & Imperatores, ut ex simulacris marmorum insculptorum Romanas pugnas continentiū licet uidere, non ita ut nunc uolitantia, & quasi retro fugiētia signa, & aura semper uentilanda gestabant, sed patentia, & sese, ut aspici timeriq; possent, ostentantia, & uere infesta, & ad quancunq; partē uolumus cōuertenda, nec uento obnoxia: Qualia nunc in solennitatibus nostri sacerdotes antiquū morē retinentes gerunt. Nunc autem, ut ad te reuertar Bartole, regemq; missum faciamus, ne nimis grauem personam introduxisse uideamur: responde mihi ad illud, quod me promiseram dicturum. Indecens esse & incommodum, ut ab altera tantum parte pictura cernatur. Etenim cum uexilla signantur in medium, ut ab his qui sunt dextra & laeua, agnosci, & milites longius

Facies animaliū possunt ad latus respicere.

Patentia olim signa, ut nunc sacerdotum.

Vtraq; parte pingenda signa.

Digitized by Google

longius progreßi,ad Centurionem ſuum reuerti poßint,tu di midiam excrcitus partem ſua portione fraudabis, & alijs facies iniuriam,quum alijs non facias honorem aut utilitatẽ. At unus leo,aut una aquila ab utraq; uexilli parte cerni poteſt: hoc eſt,non ab uno,ſed ab utroq; latere figuras fieri debere. Sed ò legum doctorem circumſpectum & conſideratum,quid ſi literæ quædam ſint, ut erat apud ueteres frequentißimum, quis ex inuerſo literas leget? quid ſi in laneo uexillo, quas ex altera parte cognoſcere ne lincei quidem oculi ſufficiant? Tu tamen hos meos laqueos effugies,& in me excandeſces,clama bisq;,non te dixiſſe ab una demum parte figuras eſſe faciẽdas, quinimò non negare utrinq; etiam fieri tantum uelle,ut aſpectus animalium ad haſtam tendant. Quid reſpondebo ad hæc tibi Bartole Mathematicorum ritu loquenti,ut an affirmes an neges,intelligere neſciamus, & omnia dixiſſe & nihil dixiſſe uidearis? ſi conſultò,& de induſtria,perplexe obſcureq; loqueris,ut Mathematici faciunt,odio dignus es: ſi per imprudentiam & imperitiam,uenia danda eſt, modo librum corrigas, non ſic legendum omnibus efferas. Demus tamen puero ueniã, licet pertinaci. Vis igitur ab utroq; latere eſſe figurata, dum aſpectus,ut dixi,in haſtam tendat. In quo te ſatis abunde compreßimus,dum de uno latere pingendo diſputauimus: hæc tamen in hunc locum reſeruata ſunt, quæ te bis peccaſſe coarguant & de utroq; latere male ſenſiſſe. Fuit mihi auunculus Melchior,uir cum in cæteris laudãdus,tum uero in hoc quòd quum aliquot annis iuri ciuili ſtuduiſſet, ad artem oratoriam poſtea totum ſe conuertit,ſecretariusq; Martini quinti peſte in uia correptus,nuper eſt mortuus: qui mori minime debuit, iuuenis adhuc & uiridis,& ornamentum ac delitiæ curiæ Romanæ: cuius de ſepulchro ornando nunc conſultamus, ſignaq; ad lenandum luctum ſuorum,& ut moris eſt,ſupra ſepulchrũ

Mathematicorum ritu loquitur Bartolus.

Auunculus Laurentij.

tam cla

tam clari uiri affigere deſtinauimus. Commonefacias nos Bartole, quonam hæc figuranda ſint. Eſt autem manus dextra cum lacerto ſcribens, unde Scribana progenies nuncupatur. Sed poſtulas utiq; ut aſpectus ſcribentis in haſtam dirigatur: uideo uel dextram in altero latere mutandam eſſe in ſiniſtram, cuius nõ eſt naturale ſcribere, uel exteriorem manus partem pro interiori oſtendam. Tu, credo, quæ tua eſt æquitas atq; prudentia, ſuadebis utcunq; ſe res habet, ad haſtam actum manus eſſe dirigendum: niſi forte mutandam eſſe rationem putas, quod ſigna magis ad terram reſpicere debent, ubi quis ſepultus eſt, quàm ad haſtam, quæ ſurſum reſpicere uidetur, ſicut ais faciendum eſſe in tuba. Quanquam etiam hoc modo in eadem contraria ſumus, quum neceſſe etiam ſit dextrum ſignum à ſiniſtro diſcrepare, quod tu non debere fieri penè mordicus tueris, & reluctaris, &, ut aiunt, de genu pugnas. Quid ſi addere uelim huic ſigno annulum in pollice? iure enim meo hoc poßum, an hic annulus cerni poterit, exteriore tantum manus parte apparente? Minime, ergo idcirco geritur annulus, ut nõ cernatur. Hæc nunc Scribana manus, quam peruertere uolebas, te proſternit, hæc te confodit, hæc ipſum illum quem tenet calamum ac pennam tranſuerſam ducit in tuo libello, & omnes tuas ineptias delet. Idem dici poteſt de dextera gladium tenente, qua quidam utuntur, & huic addamus etiam annulos. Idem ſi eadem manus ſaluatoris noſtri in habitu benedictionis cruci affixa cernatur. Idem ſi pelicanus ſedem cordis roſtro reſerans pingeretur. Idem in plurimis alijs. Adeò frequentius latus à latere differt, præſertim ubi pinguntur animalia, de quibus ſolis Bartolum feciſſe mentionem ſummopere demiror, & de alijs communibus quæ multa propoſuerat, non dixiſſe: ut de enſe nudato, de eodem in uagina recondito, de flore, de annulo, de eo quẽ dixi flumine, quæ omnia omiſiſſe, & magnæ ſecordiæ eſt

Bartoli acumen.

diæ est ac supinitatis utiq;, quum te promiseris dicturum, quæ & suam certam rationem postulant, nec in præscripto Barto li ac formula continentur. Sed satis contra signorum positio= nem diximus, in quibus quãtopere Bartolus deliret atque desi= piat, si modo unquam sapuit, accipite sequentia. Si leo est, in= quit, pro signo, mordeat: si equus, currat: si taurus, cornu mi= netur: nimirum si asinus est, se uolutet in puluere. Siquidem o= mnia ut naturalia sunt postulas: quod quum dicis, simul eos qui posthac signa facturi sunt, ad istam tuã legem uocas. Quis adeò sui negligens est, ut non malit cum toto orbe peccare, quàm cum uno Bartolo bene sentire? Sin, ut magis sentis, si= gna quæ facta sunt, reprehendere ac reformare conaris, ò ex= cordem hominem, & ucsanum caput, ò cerebrum elleboro pur gandum. Tu'ne alter Triptolemus pinguia frumenta homini= bus attulisti, rudi prius glande uescentibus? tu'ne corrigere au= des uetustissimorum regum signa, quæ ipsa uetustate quandam exhibent religionem? Increpa stultitiæ tuum Boëmiæ regem, qui leonem gerit rubeum bicaudem, duobus pedibus stantem. Id esse stultissimum fateare, qui te non naturali signo ab illo donatum esse gloriaris, illudq; contra legem tuam portas. Ar= gue regem Gallorum, qui lilia: regem Angliæ, qui pardos au= reos habet. Reprehende ducem Mediolani, cuius uidemus tot in locis anguem, nõ more draconis cristatum, sed coronatũ, nõ uentre, sed extrema cauda, licet pharia non sit, incedentem, ta= metsi nec ipsius nec hominis quem deuorat, color sit proprius, nec est quod dicas illum non incedere, sed insurgere, & in ipso impetu hominem corripere. Ita opinor, ad cœlum ille Sera= phin ferebatur, quem à pedibus potius quàm à capite exiliens anguis arriperet. Hæc si corrigi possent, insolentissimũ putarẽ si quis ipsa corrigere tentaret. Credo de finibus agitur, aut de rebus repetendis, aut de hæreditatibus, aut de homicidijs, ubi

Naturalia uult signa Bartolus.

Auxesis.

A naturalitate recedẽtia habẽt gratiã multam.

ubi non liceat ad arbitrium ſuum hominibus aliquid liberius ac licentius facere. Mihi uero illa ipſa quæ magis à naturali recedunt, neſcio quid uidentur præ ſe ferre tum gratius tum ſignificantius, quod maioribus quoq; noſtris uideo placuiſſe: ut centaurus, chimera, ſphinx, minotaurus, & ille apud Plautum ſol cum quadrigis oriens, & in priſcis numiſmatibus atq; marmoribus homines alati. Quòd ſi placet omnia tam acriter & cenſorie excutere, cur non uſum loquendi reformas, ueſtes corrigis, literas mutas? quippe multa reperies in illis, ſi curioſius rimeris, quæ in meliora commutes. Non poſſum, inquies, quid? ſigna potes? Vide ſi quilibet unus in omnibus terris tuæ iſti legi obtemperauit, uiciſti: quanquam dij boni quid non erit ad legem Bartoli uitioſum? qui ait, caput arietis & tauri ſemper in cœlum debere ſuſpicere, quaſi ſigna cœleſtia, quæ idem nomen habent: recogniturum leonem ſemper rutilum, ſemper fremere, ſemper inſurgere, ſcindere, nec dat ei beſtiam in quam poſcit iraſci, ſaltem in cœlum aſpicientem faceret, ut contra Nemæum leonem iraſci putaremus: Equum ſemper currere, nec meminit apponere ſeſſorem, qui equum currere compellat: pedem dextrum caballi præcedere, quaſi bruta dignitatem quandam habeant in dextro pede, ſicut homines manu. Non'ne hæc ſunt plena ineptiarum, poſtremæq; dementiæ? Et quum ipſe in

Geſtum oratũ Bartolus requirit in equis.

pronuntiando geſtum non obſeruet, & utra prior manus moueuenda ſit neſciat, in equis geſtum exigit oratorũ. Quid equos arguis aſine? An non aſinorum uerba ſunt banderiæ, quartariæ, iſtæ armæ Clodi, cropæ? cur etiam non addebas baſtones, quibus cropam tuam atq; adeò totum corpus ad necem uſque cædcremus? & poſtea Hebraicas literas diſcere uoluiſti, quaſi latinas uel primis labris attigiſſes. En ò tempora, ò mores, en

Seruio Sulpitio Bartolus opponitur.

qui nobis pro Seruio Sulpitio ſubſtitutus eſt? Ille habebat mirabilem quandam & incredibilem & penè diuinam in legibus

inter

Digitized by Google

interpretandis æquitatem, explicandi scientiam, hic incredibilem iniquitatem & iniustitiam. Ille malebat controuersias tollere quàm constituere, hic nodum in scirpo quærit. Ille quæ proficiscebantur à legibus & à iure ciuili, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat: hic contrà, ad asperitatem omnia iniquitatemq; refert. Ille non tam iuris consultus quàm iustitiæ fuit: hic non iustitiæ, sed iuris, hoc est, ut Bartolinis uocabulis utar, brodij consultus est. Et quid, ò noster non Sulpitij, ita ne suppis te & brodio referfisti, ut oculos præ sopore graues, attollere & aperire non possis? nec uideas dextrum semper pedem non posse præcedere, quippe quum sæpe necesse sit, ut ab altero latere dexter præcedat, ab altero sinister, ut in aquila tua, & leone. Intueamur nunc rationes tuas de coloribus, in quibus quasi in triarijs omnẽ spem profligatæ causæ reposuisti. Audite Iurisconsultum mira quædam philosophantem, nouam quandam & inauditam affert disciplinam, quæ uniuersum orbem reuocet ab errore: & si minus reuocare potest, iandiu propter consuetudinem induratam, certe commonefaciat, ita fuisse faciendum. Color aureus est, inquit, nobilissimus colorum, quod per eum figuratur lux. Si quis enim uellet figurare radios solis, quod est corpus maxime luminosum, non posset cõmodius facere quàm per radios aureos, constat autem luce nihil esse nobilius. Animaduertite stuporem hominis, stoliditatemq; pecudis. Si aureum colorem accipit eum solum, qui ab auro figuratur, sol quidem non est aureus. Si aureum pro fuluo, rutilo, croceo, quis unquam ita cæcus atq; ebrius fuit, nisi similis ac par Bartolo, qui solem croccum dixerit? Sustolle paulisper oculos asine: solent enim aliquando asini, præsertim quum dentes nudant, ora attollere. Tu quoq; quum loqueris, faciem subleua, nec te nimia auri cupiditas cæcet, quod in terra non in

Iuris. hoc est brodij consultus.

De coloribus.

Aureus color.

Digitized by Google

cœlo inuenitur: & uide, an sol est aureus uel argenteus. Vnde inter lapillos candidos heliotropium à sole nomen accepit. Et nos candentes tedas, candẽtes rogos: & excãdescere dicimus, si quis ira aut indignatione commotus est, & uelut inflammatus: flamma enim, quæ nihil habet humoris & terrei, candida est, & soli comparanda. Quid postea, quem proximo loco colorem ponit? quem putas eum qui non est, ut sit semper sibijpsi similis, ut non modo dicat quicquid in buccam uenit, sed tunquã studeat nihil dicere, quod aut uerum sit, aut rectum? Sapphireus, inquit, est proximus, quem ipse, ut est barbarus, & quasi cum fœminis, & non cum uiris loquatur, azurum uocat: per hunc colorem, ait significatur aër. Non ne tibi hic aliquid dicere uidetur, qui ordinem sequitur elemẽtorum? certe. Sed nescio quare lunam prætermiserit, nisi quia tunc in cœlo non erat aut eclipsi laborabat: quum solem primum feceris, lunam debueras facere secũdam, quæ & altior aëre est, & magis suum quendã colorem habet quàm aër: & quum illum dixeris aureum, hanc oportebat argenteam nominare, & proximam à sole facere, ut argentum secundum est ab auro: nisi forte lunam quoq; aureã putes aureo uino madidus & distentus, aut eam hinc odio habes, quia sis ipse lunaticus. Sin uolueris sororem fratri Phœben Phœbo proximam ponere, profecto res ipsa & ordo postulabat, post aurum sequens locus esset argẽto, qui est color candidus: eo quidẽ magis quòd postea hunc ipsum colorem, nescio quomodo, siue primum siue secundum facis, quod uidelicet luci maxime propinquus sit: homo tibijpsi contrarius, & ubiq; ueluti per somnium loquens. Sapphireum igitur secundo numeras loco, delectatus, ut dixi, ordine elementorum: à metallis enim, à lapidibus preciosis, ab herbis & floribus, nõ putasti tibi exẽpla sumenda: quæ si propria magis & accõmodata erant, tum humilia

Sapphireus color.

Ludit in Bartolum.

Digitized by Google

*humilia tibi & abiecta duxisti, tu qui ex sole tantum es factus & aëre. Nam quum seriem elementorum prosequeris, de duobus dicis, de duobus alteris obmutescis, & nobis expectãtibus tam altum uenerandumq; processum, quodam modo illudis. Si primus color est igneus, sequens aërius, tertius aquaticus erit: quartus terreus. Aut nõ adeunda tibi erat ista Bartole uia, aut prorsus obeunda. Pergamus ad cætera. Paulò post ait album esse nobilissimum colorum, nigrum abiectissimum, alios uero ita quenquam optimum, ut est albo coniunctissimus, rursum ita quenquam deterrimum: ut est nigredini proximus. Horum quid primũ reprehendam? an quod aurei coloris non meminit, quasi meam increpationem timuisset? an quod album omnibus præ-tulit? an quod nigro infimum locum dedit? an, quod stultissimum est, quod de alijs coloribus incertius loquutus est quàm Apollo consuevit? ut nesciamus quod maxime explicari oportebat, præter album & nigrum, quorum alterum, ut dixi, optimum, alterum deterrimum putat, nescio qua ratione, nisi oculos quoq; ut iudicium depravatos et corruptos habebat. Quis enim unquam rosas deteriore colore existimavit, quàm eos flores, qui uulgo albæ rosæ uocantur? quis Carbunculi colori, quis Smaragdi, Sapphiri, Topazij, multorumq; aliorum anteponat margaritas, Crystallum, & eum qui dicitur. * Aut cur serica fila murice tingerentur, lanæ candidæ rubricarentur, nisi rubeus color albo putaretur esse uenustior? Nam si candor est simplicissimus & purissimus, non continuò est præstantissimus. Siquidem argento & simplici & puro & candido antecellit electrum, quod compositum est, tum uenustate, tum dignitate. De nigro autem quid dicam? quem cum albo comparatum inuenio, nec minoris præstantiæ putatum, unde coruus & cygnus propter hanc ipsam causam dicuntur*

Ordinem institutum non prosequitur Bartolus.

Apollini consecrati: & Horatius spectandum ait, qui sit nigris oculis, nigroq; capillo. Tu uero Bartole oculos tuos, qui, ut opinor, erant simillimi asininis, pulchriores putas nigris Horatij oculis? aut pilum asini, pilo equi nigri: qualem ob decorem, præcipue Vergilius describit, Quem Thracius albis Portat equus bicolor maculis. — Et mea sententia Aethiopes Indis pulchriores, eo ipso quod nigriores sunt. Quid ergo autoritatem hominum affero, quos ille æthereus paruifacit? peccauit ille rerum parens atq; opifex, ne longius exempla repetam, qui nigrum in medio oculi posuit, & in extremis non rubeum aut croceum aut sapphireum, sed album collocauit: & quod te palàm coarguit, isti colori, quem tenebris, non illi quem luci comparasti, totius corporis tribuit lumen, propter quod oculi, & propric, & usitate lumina appellantur. Et quid afferri ad hãc rem potest decentius ac ualidius, quàm quod oculus, qui unus est colorum arbiter, non alibi aut alterius, sed nigri coloris, aut nigro proximi, de pupilla loquor, quæ plerunq; nigra est, ab ipso deo rerum conditore formatus est? Atq; ut de alijs rebus loquar, quid enumerem, quod in rerum natura reperiuntur nigri coloris, quæ summam tamen exhibent dignitatem? ut Vergilius, Et nigræ uiolæ sunt, & uacinia nigra: Alba ligustra cadunt, uacinia nigra leguntur. Et in horto meo nascuntur uiolæ albæ, quæ cum nigris minime sunt comparandæ, & mora, si fabulis credimus, ex albis nigra fiunt, et meliora & pulchriora. Quod si rerum conditor nullam in operibus suis putauit colorum differentiam, quid nos homunculi faciemus? an uolemus plus deo sapere? aut eum imitari & sequi erubescemus? O bone & sancte Iesu, si non cogitauit de lapidibus & hærbis, de floribus & multis alijs Bartolus quũ de uestibus & operimentis hominum loqueretur, poterat ne obliuisci de

auium

auium, propè dixerim, ueſtibus, ut galli, pauonis, pici, picæ, phaſiani, & aliorum complurium? Et quo de ipſis hominum ueſtibus dicamus, ex quo ſtultitia Bartoli inſcitiaq; tenetur, ueſtes Aaron, quibus nihil cogitari queat perfectius, an illum Bartolinum colorum ordinem obſeruant? Tranſeo, quod cœleſtis Hieruſalem duodecim generibus lapidum conſtructa deſcribitur. Quod ſi Bartolus legiſſet, profecto alio modo quàm eſt loquutus fuiſſet. Eamus nunc & hominem audiamus, à diuinis atq; humanis rebus diſſentientem: & puellis Ticinenſibus, uerenim aduentat, legem imponamus, ne ſerta, niſi quomodo Bartolus præſcribit, texere audeant, neq; ad ſuum cuiuſq; iudicium atq; uoluntatem facere permittamus. Nam, ut inquit Satyricus, Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. ut in illo qui nobis hanc libertatem eripere tentat, nõ ſecus ac ſi in ſeruitutem nos uellet aſſerere, ſit conflagrandum. Sed de hoc etiam ſuperius queſti ſumus. Nunc illud dixiſſe ſatis eſt. Stolidiſſimum eſſe aliquem de dignitate colorum legem introducere. Perſequamur cætera. Tranſit Bartolus ad lacernas ac ueſtes militares, quas ipſe ſuperueſtas appellat, ut hic quoq; eſt ſui ſimilimus, ſemper iniuſtus, ſemper imprudens, ſemper ebrius. Modo reſpiciẽdum ait ad latus dextrum illius qui indutus eſt ueſtẽ coloribus diſtinctam, modo ad oculos intuentium. Si reſpici uis ad latus dextrũ gerẽtis, illud autẽ cũ de toto humero intelligitur, quo pacto poterimus etiam oculorũ à tergo intuentis ordinẽ ſequi? quũ pars quæ à facie cernentibus erat dextra, eadẽ à tergo ſpectantibus fiat ſiniſtra, & tamẽ dexter humerus nunq; ſiniſterq; mutetur. Sileo quod iniquum ſit & indignum, ad hanc nos legem alligare, ut lucernam ferre nequeamus, in duas diuiſam partes, ſed in quaterna fruſtra conciſſam. Sed obtemperandum eſt Bartolo, & ſi non propter autoritatem, quæ in eo nulla eſt, attamen

Non ponenda lex de dignitate colorum.

propter rationes, qbus tam grauiter arguteq; probat, ut nemo cõtra hiscere audeat, ac dicere alio modo esse faciendũ. Recitat fabulã de Iudæo uicto, & qbus ratiõibus illũ uicerit nos docet: proiecto qbus putẽ Iudæũ licet pertinacẽ, ut illud hominũ genus est, acquieuisse, nec quid opponeret habuisse. Ratiocinatur Bartolus cũ Iudæo nõ legũ suarũ præsidijs, quæ aliquid pondus habuissent, sed meritorijs philosophiæ subsidijs, quasi Iudæi multum nostris philosophis tribuant, colorẽ in oculos agere, ipsos uero oculos pati. Nolo agere cũ Bartolo iure summo, nolo diligentius inquirere, nolo disputare, quod etiã Lactantius oculos agere dicit, non pati. Esto, sicut ipse uult, colores agant in uisum. Quid tamen causæ est, ut colores aut prius in unum oculum agant, postea in alterum potius quàm in utrunq; simul, aut in sinistrum priusquàm in dextrum? An hærbe, flores, arbores, imò uero colores, ipsum habent dextrum & sinistrum latus: unde, ut ais, fiat principium motus? quasi sit in eis corpar, cæteraq; uitalia. Nihil interest colorum unde cernantur, quæ ne corpora quidẽ sunt. An uero non intelligis ò caudex, ò plumbee, & ut ait Cicero, ex luto & argilla ficte, non intelligis aliud esse, uidere literas, id est, atramentum, aliud formam ipsam considerare literarum, quod legere dicitur. Quum literæ in oculos agunt, color ipse atramenti agit: quum lego, intellectu non oculis utor. Itaq; ipsas uel asini tui cernere possunt, quia uim uidendi habent: legere non possunt, quòd ingenio carent. Quum ergo de ratione legendi loquimur, & de scribendi ordine, nihil interest qui in oculos non in animum agunt, facere mentionem. Multi quoq; de nocte in obscuro scribunt, multi in ceris, quarum color niger est, ut ipse literæ: multi etiam humore quodam utuntur, cuius color uel nullus est, uel non existit, id est, non agit in uisum. Ex quo constat in

Cum Iudæo ex philosophia disputat.

Nihil interest colorum unde cernantur.

legen

legendo oculos, id est, animum & intellectum agere, non pati, possēq; nos ab utracunq; parte incipere lectionem pariter & scriptionem: quod quum ita sit, à parte quidem dextri oculi legere, dextræ autē manus scribere inchoemus. Neq; uero hoc dico, ut Bartolo detrahēdi studio ducar & mentiar: quid enim negotij est, idiotam homuntionemq; reuincere? nisi his præstigijs utar, & in Latinam linguam & Græcam, quarum studiosus sum, uidear contumeliosus. Quinimò ipse Bartolus, ut in cæteris iniustum & fatuum, ita hoc loco sceleratum se & impium declarauit: qui eum ordinem literarum damnauerit, quo solo ipse dei filius non solum legendo, uerumetiam scribendo, & quidem digito suo usus est. Tales sunt nostrorum plerique Iurisperitorum, de rebus & humanis & diuinis pessime meriti, sed hæc aliàs. Nunc illud sciamus, totam illam Bartoli de dextro & sinistro ratiocinationem infirmam & debilem, imò mortuam esse. Id quod reliquum est, breuiter uideamus. Ait quod in posterioribus dignior color debet esse in humero sinistro, quæ est pars dextra, intuentibus. Idem error, in eodem luto hæsitas: sed uidete, quod nam argumentum ad subsidium affert. Finge, inquit, eundem hominem habere alteram retro faciem, proculdubio illud latus quod antea erat sinistrum, ex parte posteriori erit dextrū. Quis tam solers, quis tam acutus ut Bartolus? uult hominē habere uultū, qui nō sit in homine: nō enim intelligit ut sit in occipitio altera facies, ut Ianus fingitur, sed ita ut humeros suos, quasi alius quidam ex aduerso positus aspiciat: quod quemadmodum fieri possit, ipse qui ænigma excogitauit aperiat. Quod si uoluisset colorem uestium ex oculis ferentium uestes, potius quàm aliorum intuentium considerari illa altera in occipitio facies aliquid probabile habuisset, ut erat etiam faciendum. Nam quid absurdius, quàm uestimēta ita

Iurisperiti.

Alteram habere faciē retro, id est in occipitio, barbarum est.

Digitized by Google

disponere, ut non meis oculis, qui illa fero, seruiant, sed alienis? Quod autem de scutis & clypeis & operimentis equorum ait, eadem ratio est quæ superiorum. Nam siue figuræ quædam pingendæ, stultissimum puto, ut quisquam sua signa corrumpat: siue colores quidam uariandi sunt, ut formulam Bartoli sibi custodiendam existimet. Quid igitur si animalia quædam in ornatu equorum figuranda sunt, non'ne quò equus fertur, ipsa ferri debent? uel te quoque teste, hoc nego. Siquidem facis in fronte in clunibus ex transuerso cernenda animalia posse figurari. Atqui aliud est posse transuersum ferri, ut ego dico, inquies, aliud retrorsum. Quid interest? utrunq; contra naturam est, & nescio utro magis peccatur. Et ego superius ostendi, leonem in tergo regis intextum non indecenter retrorsum incedere, recte eundem in uexillo in alterum latus ora uertere, lupam caput ab hasta auersum tenere. Age uero, quid in arcubus triumphalibus, qui formam hemicycli habent, quid in clarorum uirorum feretris agendum? in quibus multa figurantur, an & hæc sub lege tua comprehenduntur? Non'ne alio quodam modo administranda sunt, ut nonnihil demus rerum dignitati, nonnihil tempori, nonnihil uenustati historiæ, quæ exprimitur, nonnihil uoluntati: quemadmodum in ædificanda domo non una regula est unumq; præscriptum, sed multa diuersitas, & multa iudicia, alioqui omnes domus essent formæ eiusdem. Itaq; faciamus ut uolumus, dum scite & prudenter feciſſe uideamur: illud procul eximatur, signa nostra ne nimiũ quidem esse mutanda. Fateamurq; Bartolum de multis paucissima attigisse, & ea ipsa inepte insipienterq; tractasse, & in omnes homines, quos docendos, castigandosq; putauit, iniurioſum fuisse. Habes meam Candide lucubrationem: nam superiore nocte, quod ad te scripturus erã, cogitatione comprehenderam

Pororario.

henderam, hoc uero stilo prosequutus sum quod cogitarã, sed iam penè defessus sum, & bona pars noctis effluxit. Habeamus quoq; rationem ualetudinis, præsertim ne unam totam noctem in expugnando tam fragili castello laborasse uideamur, cui possum mille alia obijcere, ubi male accipiat leges ignarus linguæ Latinæ, ubi leges interpretandi peruersitate corrumpat, ubi illas insciente afferat: ut in hoc, quia in non certis locus est coniecturis, l. continuus. §. quum ita. ff. de uerb. oblig. quasi in ratione pingendorum colorum locus sit coniecturis. Sed quid ago? iteruḿne ad Bartoli confutationem redeo? nec ad requiescendum dormiendumq; me confero? Vale igitur mi Candide, & dum ego ad lucem dormio, tu hanc nostram Epistolam lege.

Iterum Vale, & me ama, cras te uidebo. Vale.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX VOCA
bulorum ac rerum
quæ in hoc to
mo conti=
nentur.

A

Ab, abs, 296
Abhorrere 126. 129
353. 609
Ablatiui in e, & i, usus 296
Ab re esse 514
Abundanter 119
Ac præterea 608
Accessor 288
Acceptum referre alicui 150
Accipere literas 154
Accipere excusationem 145
Accepi in tuis literis uolupta=
tem 150
Accius 346
Accola 44.106.254
Accusare tarditatis 149
Accusator meus 569
Accusatiuus temporis 317
Acedux 736
Accdia 343
Acceo 461
Achelous 721
Acinus 389
Acrimonia 351
Actuariæ naues 530.
Ad 306
Adducunt eum à Caypha in
prætorium 189
Adeo 38.133
Adytum 319.368
Adipiscor, adeptus 504.505
Admissarius 367
Aduentare 214.519
Aduocatus 80.81
Ad iudicē citare causam suā 118
Ad momentum 135
Ad præsens 127.146
Ad quindecim dies 253
Ad summum 249
Ad summum miseriæ 123
Aedes 616
Aemulus 128
Aenigma 640
Aequales, Aequæui Coæui 594
Aeschylus 346
Aesculapius 274
Aesopus 668
Aestimo, pro existimo 63
Affici 608
Affici alacritate 150
Affici consolatione 146
Afficior honori 119
Affectio, Affectus 59.60
Affectus 143
Affinis criminis 170
Afranius 346

Digitized by Google

Agareni 632
Agere gratias 146
Agere gratiam 73
Agere comœdias 355
Agere cum aliquo 136
Agere cum iſtis 158
Agnomen 331
Agnoſcere 145
Agonotheta 310
Ait non 65
Ala 308
Alanus 375
Alapa 296
Alcæus 346
Alemanni 339
Alexandrinus patriarcha 211
Aliàs 138.616
Alicubi 298
Alicunde ibidem
Alioqui 145
Alyptes 303
Aliqualiter 298
Aliqualis 298
Aliquid 299
Aliquod ibidem
Aliquis ibidem
Aliquando 353
Aliquanto 325
Aliquatenus 354
Aliqua nauis 248
Aliquis 354.667
Aliquis pro quidam 37
Aliquò 298
Aliquoties 299
Aliter 145
Alius alium 40
Alluuio 317
A longe 150
Alter nõ ſemper de duobus 39
Alter alterum 40
Altero tanto 501
Altilia 305
Altitudo 610
Altrinſecus 597
Alueus 364
Aluearium 764
Amator, Amans 646
Ambo 590
Ambitioſus 122
Amicus 117
Ammon 339
Ampulloſe loqui 104
An 143.156. & 345
An, & quàm 566
An ſecus 612
Anci regnum 420
Ancilla 234
Anima interdum uiſa 674
Annus tertius, loco ne, an tempore propè quartũ ſit 105
Anterior uita 134

Anti

Anticipo 577
Antonius Luſcus 213
Antonius Glera 197
Antonius Panhormita 191
Apocriſarij 333
Apollo pater Aeſculapij 274
Apotheca 300
Appellare 133
Appellit homo 248
Appendix 549
Appeto 733
Appodiare 300
Appretiator 142
Apprime 360
Appropriare 300
Apud 125
Apud fontem habitare 116
Aquatum ire 300
Aquila 479
Arago 565
Aratus 346
Arbitrari 276
Arbos 301
Arbuſta ibidem
Arbutus ibidem
Arbutum ibidem
Arbor laurus ibidem
Archimedes 653
Archilochus 346
Architectus 318
Arcopagus 314
Argyroaſpidæ 302
Argumentatio 373
Ariſtoteles 360
Armiger 362
Arpi 347
Arpinum ibidem
Ars 302. 672
Artemon 330
Aſcendente iam die 58
Aſini in Scythia nulli 564
Aſparagus 323
Aſper 303
Aſpirare 135. 295
Aſſequor 504
Aßidue 139
Aßum rei, & in re, 478
Aſtronomia 304
Aſtrologia ibidem
Aſtutus 303
Atramentum 582
Attagen 305
Attingere minimis labijs 131
Auctio ſub haſta 385
Audio 119
Auiſare 305
Aulæa 306
Aulœdus 314
Aul. Gellius taxatur 418
Auriſpa 179
Aurum cuiq; optabile 672
Auſpex, Auſpicium 579

Digitized by Google

Auſpicia 388
Autem 133
Axilla 308

B

Baccæ 347
Balanus 547
Balneæ 306
Baram 565
Baſti 343
Bellua 307
Bellum, prælium, certamen, duellum 502
Bellum commißum, bellum geſtum, bellum initum 502
Bellum patrari, bellari ibidē
Bellum pro prælio ibidem
Bene pro ualde 555
Bene, male 526
Beneficiarij 568
Benedictus Morandus 404
Beneuolentiam in te gero 139
Benigne 144
Betula 712
Binubus 578
Bipennis 323
Bipes, bipedalis 90
Bis tantum 501
Bladum 348
Blanditia 547
Blaſphemo 307
Bodingus 552
Bombarda, bombus 525
Bona ſonoritas 482
Borræ præconia 668
Borræ uiſio 673
Brachium 307
Breuitas narrationis 689
Buleuterium 562
Burſa 148

C

Caballerius 576
Cado in uitium 613
Caducum 323
Cadurcum 327
Cæcutiens 309
Cædes 329
Cæſius 328
Cætera 117
Cæterum ne ijs quidem 359
Cæterorū præclariſsimus 134
Calamus 150
Caleſcente die 517
Calumniandi paßiue 158
Camelus 300
Camilla 680
Canalis 344
Cannæ 351
Canina eloquentia 594
Caniſtrum 308
Cano 379
Canterij 349
Capillus 306

Digitized by Google

Caritas 342
Carpo 593
Castigare 13
Castra 349
Castratellus 258
Cataloniæ rex 438
Catalogus 325
Catarrhus 335
Catechizo 305
Caterua 378
Cato Tertius 576
Cato pucrorum 586
Catus 329
Catulus 300
Caueo 369
Causa iudicialis 372
Cauum 752
Celebritas 576
Celeriter scribere 256
Celsus 479
Celia 565
Census 342.670
Censorinus 353
Cerdo 290.518
Cerimonia 575
Certifico 248.256
Certum habeo 126
Certus sum ibidem
Ceruix 334
Ceruices ibidem
Cessare 137.316
Cesso à legendo 116
Chalybs 322
Charta 308
Chirographus 306
Choraules 313
Chorda 303
Ciceronis locus emendatus 33 369
Ciceronis seculum 369
Ciceronis solœcismus 36.471
Cicur 347
Cieo 388
Cio, Citus, concitus, percitus ibidem
Cymba 329
Cinædus 321
Circiter 481
Circuire 310
Circuitio 515
Circunscribere 321
Circumuicini 254
Cyriacus 189
Cistula 757
Ciuitas 69
Classicum 384
Clientela 376
Clientes ibidem
Clitellæ 342
Cloacæ 308
Codicillus 548
Codicilli 383

Digitized by Google

Coæui 594
Coæqualis 144
Coætanei, Coæui 594
Cælebs 309.334.541
Cœlibatus ibidem
Cœlitũ nullus cõtinens ibidem 560
Cœnobium 560
Cognomen 331
Colaphus 298
Comes 330
Comenſis lacus 339
Cominus 327.357
Comitium 320.450
Comitia 320.450
Commendo 115
Commendatitiæ literæ 355
Commentarium 312.360
Commentum 350
Commigro 385
Committo 356
Commodare 218
Commodato accipio 249
Commodato petere 155
Comœdias agere 310
Comœdiari ibidem
Comœdiæ togatæ 311
Communiter 112
Comparatiuum 368
Comparatiua geminata 466 565
Cõparatiua in e, & in i, 297
Comparatum natura 598
Complices 334
Complures 119.130.344
Cõpoſita uerba quæ genus ſim plicium mutent 484
Comprehenſorium 775
Concilio, reconcilio 526
Concupiſci 316
Conditio 671
Conditus 361
Condoleo 137
Conferre errores 128
Confido uerbis tuis 119
Confutatio 373
Congaudere 598
Congratulari 127.133
Coniunctiuus pro indicatiuo perperam 472
Conopæum 314
Conor 559
Conſolor 130.135
Confertum 156
Conſpirati, an conſpirantes 484
Conſtitue, transfer te in lo= cum 247
Conſuetudo multa 130
Conſulto 170
Conſultus 313
Conſultor 313.121
Contemporaneus 345.594

Digitized by Google

Contendere 312.343
Contentor 313
Contentus 596
Contignatio 319
Continentia 543
Continuò 139
Contubernium, Contubernales 568
Conuenæ 297
Conuenio 594
Conuentus 553
Conuiuari 258
Conuiuator 288
Conuiuij autor 288
Conuiuium 782
Conuictores 782
Cooperio 313
Copia 146
Copia epistolæ 135
Coram 146
Coram & Apud 449.541
Coram nobis 123
Coram põtifice, & Apud pontificem differunt 75
Corymbi 547
Cornicũ oculos cõfigere 316
Corona lancea 106
Corrosores 316
Coturnix 305
Cras 149
Crassus 644
Crepido 364
Crepitus 570.571
Critolai libra 688
Cuique 151
Culpa 613
Culus 704
Cum, quum 315
Cum, & Tum 257
Cum pro quamuis 136
Cum omnibus, tum mihi præsertim 249
Cuniculus 483
Cupiditas 125
Curare corpus 535
Curauit describendas 141
Curia 314
Custodire 314

D

DActylus 547
Damnari per cõciliũ 129
Dare literas 151
Dare operam 338
Debeo 257
Debere fieri 123
Decemdium 123
Dedere 115
Dedititij 376
Deducere 113.499
Deficio 356
Defecti 510
Defectus 315

Defectio

Digitized by Google

Defectio 113
Deferre epistolam 151
Definio 317.608
Defunctus 389
Deierare 195
Deitas 345
Delator quis 405
Delector 315
Delectat ibidem
Delectator 315
Delecto etiam à delicio 474
De longe 598
Delphi 444
Delphinus 515
Demereri 301
Demortuus 744
Denuo 149
Deplorator 143
Deponentium uerborum in or formatio 545
De restitutione in integrũ 382
Desideratiua uerba 86
Desinere 137.343.613
Desciſco 462
Desisto 594
Destinare 135.141.146
Destinare, pro mittere barbarum 64
Desperatus morbus 144
Desuetum 13
Desuetus 164.166
Detriti 389
Deuenire in manus 248
Deuium 126
Dexteritas 611
Diabolus 316
Διάβολος 25
Dialectica Vallæ 769
Dialectica Chrysippi 777
Dica 309
Dicax 318
Dicto ibidem
Dico ibidem
Dicere apud aliquos 140
Dicit non 65
Difficile 250
Diffinita 492
Diffinio 317
Diffusio 596
Digestorũ, & Codicis opera quibus characteribus significentur 377
Diluuium 317
Dimitto 116
Dionysius Halycarnaßeus 410
Dionysius Halycarnaßeus libertus M.T. Varronis 418
Diploma 326
Discerno 318
Discretio 142.343
Dyscolus 384
Dißimulo 66.377

Digitized by Google

Dissoluere 311
Disturbare 76
Diuaricatus 611
Diuersimode 304
Diuersorium 319
Diuerto 609
Diuersor ibidem
Diuitiarum æstimatio, & auto ritas 669
de Diuite & paupere sentẽtia Aemilij 670
Diuersitas modorũ uitiosa 360
Diuido 317
Diuus 559
Doctor per tabulas, uulgò bul latus 480
Doctorculus 147
Dolco uicem tuam 137.309
Doloris particeps 133
Dolorem tuum, & Dolorem tui 23
Dolco quòd ægrotus es ut uideo 27
Domus 368
Donũ, & Munus differũt 42
Dudum 113.114.121
Duellum 319.503
Duos annos 147
Duobus annis ibidem
Duplex 614
Duracon 330
Durè 482
Duræ ceruicis 334
Dux 515

E

E, De, Ex, 296
Eatenus 354.377
Ecce autem alterum 20
Ecclesiastica uocabula 544
Econtra 116.147.598
Econtra, econtrario 313
Ecquid pudet 547
Edere 564
Edere pro cõdere barbarũ 46
Edi 611
Editus 361
Edictum 520
Edisserere 115
Ediuerso 313
Edulium 320
Effero 326.365
Effector malorũ operũ 128
Effugere 616
Εἰ δὲ μή 44
Elatus 365
Elogium 352
Eminus 326.352
Emissarius 366
Enectus 595
Energumenus 316
Ensiculus 323
Epiredium 99

Digitized by Google

Epistola Christi ad Abagarum 222
Epitomata 648
Epulum 288
Eques 129
Equites 642
Equester ordo ibidem
Equerium 576
Equitum dignitas 696
Er, aut e finita aduerbia 482
Erectus 597
Ergastulum 300
Eruo 306
Esse, pro interesse 113
Est quid mirum 355
Est, cum infinitiuo 348
Esseni Iudæi 543
Et, & Atq; 557
Euoluo 116
Euphonia 482
Ex abundanti 380
Ex aĩo, ex animi sentẽtia 133
Excedere 117
Ex composito 350
Excubiæ 314
Excursiones 321
Excusare morbum 149
Executor testamenti 115
Exemplar 146
Exemplum, Exemplar 563
Exercitium 136
Exhortari passiue 135
Existere 112.131
Eximere pro excipere 39
Ex maxima parte 356
Exodia 308
Exoleti 386
Exorare 144.335
Exordia à sententia 371
Exosus 336
Expendit 114
Expugno 509.510
Expugno, & oppugno differunt 44
Extare 120.131.126
Ex tempore 170
Extemplo ibidem
Externus 316
Extrahi 597
Extraneus 258
Extrinsecus 315
Extrinseca, extrinsecus 568
Ex urbe Florentia 302

F

FAber lignarius 318
Fabri ferrarij 518
Facere potestatem 497
Facij origo & opificium 435
Facius Factius´ue fatuus 436
Facij Stilus 606
Facij pater, sutor ueterarius fuit 518

Digitized by Google

Facilitas 513
Factio 299.370
Factiosi 299.330
Facundia 198
Farrum 304
Fasces lictorum ex qua arbore 712
Fasciculus 249
Fastidio 321
Feneſtellæ 254
Fercula 574
Fero 117
Fero, & tollo 497
Ferre iudicium de alterius rebus 149
Ferrum 321
Ferula 364
Fertur ſententia, nõ iudiciũ 557
Feſti uulneribus 515
Fibula 181
Ficus fici 545.547.482
Fidem dare, & habere 128
Filia nuptura 147
Finitimi 254
Firmè 482
Fletus 323
Fletũ cõcitari ui orationis 363
Fletus uirorũ magnorũ ibidẽ
Fluctus 381
Fœminalia, fœmoralia 307
Fœniculum 257
Foliaria Pogij 208
Fons irriguus 256
Forenſis 258
Formicor 545
Foro uti ſcire 303
Forum 303
Fortuna 652
Franciſcus Aranda 675
Franciſcus Diana 175
Franciſcus Barbarus 175
Frequens conſuetudo 130
Frequenter 288
Frigui, & Frixi, à frigeo 455
Frigo ibidem
Fruges 381
Frugalitas ibidem
Frugi homo ibidem
Fruor, fretus ſum 525
Frustula panis 248
Fruteta 379
Fugitiuus 22
Fugit me 356
Fulcra 258
Fundus 227.319
Funditus 154
Fuſcus 124

G

G Litera carucrunt priſci Latini 476
Garrio 351
Gaſtrimargia 323

Genera

Digitized by Google

Genera cauſarum 372
Georgius Trapezuntius 180
Gerariæ 530
Geſta 465
Geſtire 316
Getuli 347
Gignere 609
Gymnaſium 380
Gnaue, gnauiter 481
Gothi 347
Gratulor tibi 119
Gratulari ex animo 123
Gratulari fortunæ 133
Grato animo accipere 146
Grammatica 283
Grammaticorum quæ ſit auctoritas 457
Gratias ago, habeo, refero 591
Grauitas 64
Gregorius Caſtellanus 216
Groſſa 129
Groſſus 547
Guarinus 199
Guarini & Panhormitæ ſimultates 603

H

HAbere 114
Habere orationem 141
Habere rationẽ uerborũ 289
Hactenus 377
Hæreo tibi, & in te 478
Hæſitare 137
Hæreſis 120. 456
Hæreticus 72
Hallucinari 379
Haſtarium 385
Haut per t, 748
Hermaphroditus 615
Heroici uerſus cauda 573
Heſiodus 345
Hic 123
Hic & is 377
Hydra 537
Hydraula 300
Hincinde 389
Hinnulus 300
Hippodromus 319. 385
Hippagines 530
His uno i, ſcribi 359
Hiſtoriæ 465
Hiſtoriæ decorum 691
Hiſtoriæ & orationis diuerſitas 692
Hiſtorici oĕs mĕtiuntur 778
Hiſtorico ſcribĕda etiam uitia eorũ quorũ geſta ſcribit 644
Hiſtoricorum diſſentio 418
Hiſtoriographi Romani 498
Homerus 345
Homeri mors 639
Homeri correctores 570
Homeromaſticæ ibidem

Digitized by Google

Homeri tralatio an fuerit Vallæ 764
Homo magnæ æstimationis & opinionis 358
Hortus 330
Hortulanus 338
Holitor ibidem
Hortus irriguus 256
Horti 156
Horror 571
Horrorem incuti 571
Horrui 461
Horreum 300
Hosterium 562
Huc illuc oculos circũferre 107

I

IAmdudum 121.115
Iaminde ab 121
Iampridem 119
Ianotius Manettus 180
Ianua 368
Ibi 142.323
Ibidem 308
Ictus 571
Identidem 614
Idiota 584
Idus Augusti 200
Ignauia 343
Ilex 302
Illac transiturus 44
Illi quidem 123
Illuc 308
Imbrex 344
Imitatio 195.361
Immineo 477
Impedit quo minus perueniant 155
Imperator 106
Imperatores 628
Impertior 125.150.289
Impono in te 478
Importare 170
Importunus 122.158
Impræsentiarum 146
Imprimis amico 152
Improprietatis uitium 513
Impudica 609
Inacceßus locus 611
In annum 152
Inchoatiua uerba 86.248
Imolo 44.151
Incultus 114
Incumbo rei, & in rem 478
In conuertendo dominus 44
Iudex 325
Indignatio aliud, quàm indignitas 431
In dies 139.140
In dies, In diem uiuere 154
In diem 113.115.123.125
In dies 115
Inducíari 325.350

Digitized by Google

Induere 380
Indulgere 144
Industrius 325
Inelegantia 593
Ineptum 343
Infectum 126
Infinitiuus pro imperfecto indicatiui 470
Infiteri 331
Inficiari ibidem
Infectum ibidem
Infractus 364
Infra 123
Infra, Intra 147.318
In futurum annum 152
Infrunitus 304
Iniuria 274
Iniuratus 484
Inimicitia 335
Inimicorũ in nos merita 404
In mentem uenit receßus tui 61
Innocuus 256
Innubus 578
In posterum diem discessurum 149
Inquam 613
Inquilini 297
Inquiro 152
Inscriptus 321
Insimul 115
Insignia 306
Insignibus, solennibus, pro insignijs solennijs 253
Instantia 343
Instar 31.119.121
Instat dies 247
Institutũ 132
Instrumentum 583
Insuetus 164
Insula 319
Insultare 147
Intelligo 130.613
Intercapedo 125
Intercedere ibidem
Intercludo 152
Interdico 153
Inter loquendum incidi in eũ sermonem 130
Intermedius 113
Intermitto 153
Internus 316
Interpello 325
Intra paucos dies 251
Interserit me in hac fabella 145
Interuertere 218
Intra momentum 135
Intrinsecus ibidem
Inuestigare 152
Inuicem, mutuo 508
Inuidia 336

Digitized by Google

In uoluptate esse 667
In uniuersum 492
Ioannes Campesius 212
Iocunditas 252
Ipse 324
Ire in manus 155
Ire in sententiam pedibus 375 708.709
Ire in sententiam manibus 376 710
Irriguum 256
Iste 124
Istic 323
Istam tuam 124
Iter habere 385
Iterum 149
Iuba 323
Iubeo 343
Iucundus 114
Iucunditas 156
Iudiciũ habere, nõ ferre 595
Iudicium de Cicerone & Fabio Quintiliano 39
Iugulus, Iugulum uidere 311
Iupiter quare dictus Ammon 339
Iurisconsultus 80
Iusta 612
Iustinus 618
Iuxta 119

L

LAcedæmoniorũ factũ 604
Lætum 298
Letum ibidem
Lamola 602
Lanista 327
Lanius ibidem
Lasciuus 304
Latine loqui 97
Latine loqui, & grãmaticè loqui differunt 46.281
Lauitia 316
Lautus ibidem
Laudo te de oratione 158
Laurentius episcopus Aspalatensis 172
Laurentij Vallæ mater 203
Laurus Quirinus 199
Lectica 258
Leges in delato 407
Legalis materia 373
Leguleius 97
Lemannus lacus 339
Lembus 329
Lentiginosus 335
Leonardus Aretinus 199
Leontini 444
Lethargus 660
Leugæ 528.556
Leuitas 64
L. Florus à Liuio dissentit 410

Liber

Liber 127.548
Libellus 258
Libellus Vallæ in iureconsul=tos 779
Libri Vallæ d'philosophia 674
Libri de Voluptate an sint Val læ 762
Libripens 344
Libruncula pro libella 258
Lyburnæ 329
Licere 125
Licitari 142
Ligulæ 687
Lingua Romana dñatur 100
Linter 330
Lyra 379
Litare 365
Litera 152
Literæ 151
Literæ Romanæ 100
Literati diuitijs inhiant 671
Literis satisfacere 357
Litigiosus, litigium 155
Littus 364
Liuij per Vallã restitutio 405
Liuius lapsus 778
Liuiana ubertas 691
Locus Aristotelis de honore 273
Locus Iuuenalis 711
Lodix 326
Longe 327
Longiora 596
Loqui Latinè & grammatice diuersa 169
Lora 307
Lucani, Lucenses 253
Lucenius 345
Lucia concubina Pogij 235
Lupanar 327
Luscus 309
Lustrare 357
Luxuria 386

M

Macedonicus 564
Mahumetani 519
Maialis 339
Maioris uẽdo, nõ dicitur 349
Malum 320
Male dicere, male audire, male legere 517
Mala latinitas 147
Mango 385
Martiani furta 351
Materia 616
Materna lingua 22
Matiomarbuli 525
Maxime 127.137
Maxime præferre 155
Meatim, tuatim 329
Medituitiua uerba 87
Mediatuticus 747

Digitized by Google

Mediocris 615
Me hercule 127
Mei 133
Melius 150
Meliuscula est 366
Memini 327
Membrana 308
Mendosus 141
Metaphysica 360
Mezentius uictus, an uictor 632
Mile, Leugæ, Parasangæ, Rastæ 528
Militiæ, pro in militia 595
Mille 328
Minuscula 129
Mimi ethologi 325
Minime 367
Miseri qui 645
Missos facio 116
Momentum 572
Monasterium 560
Mons Auentinus 301
Monstruosus 103.529
Mouere tragœdias 310
Mucro 323
Mugilis 341
Multotiens 157.288.299
Multo mane 318
Munus, & Donũ differũt 42
Muriceps 329
Muscipula 327
Mutua ualetudo 594
Mutuo 329
Mutuor 329
Mutuo concedere 218
Mutuum 155

N

NAblum, Nablium 379
Nænia 308
Nænus 327
Nanciscor, nactus 504, 507
Narrationis decorum 660
Natale solum 288
Natione Romanus 51
Nauclerus 330
Nauis appulsa 248
Naulum 330
Ne, Neu 321
Necatus 595
Necessarius 289.298
Necubi 298.326
Necunde 298
Nedum 114.118.150.288.595
Ne nunc quidem 250
Nequam 381
Neq; quidem 132
Neq; nunc quidem 155
Ne quidem 128.331
Nequo aut rem 383
Neutrum 614

Digitized by Google

Neu, Neue 331
Nicticorax 305
Nihil noui 113
Nola 379
Nomen 331
Nomina non gaudent compo= ni cum participijs, nisi pro nominibus sumptis 490
Nomina sanctorũ Christiano non uitanda 626
Nominandi istorum 30
Non ab re 378
Non est dare 348
Non nihil 298
Non ueni soluere legem 43
Norma 356
Nosce, Nosse 311
Notari leuitate 608
Nothus 322
Nouitij 148
Nouis utendum uocabulis re= rum nouarum 560
Nouiter 125.359
Nox intempesta 332
Nubere, Nupta 578
Nubes 320
Nugæ 332
Nulla facultas 147
Nullatenus 299
Nullibi 298
Nunquando 353
Nunqd aduerbiũ et nomẽ 332
Nuntius, Nuntium 338
Nuper 103.119. 121.125
Nuperrimus 102
Nuperus ibidem
Nusquam gentium 367

O

OBesus 327
Obire 310
Obloqui 117.334
Obnoxius 333
Obrucsco 334
Obsoletum 388
Obsonium 309
Obstrepere 357
Obumbratus 117
Occasio 153
Odiat 141
Odium 335.336.657
Oedipus 528
Offensio 128
Officina 142
Olim 118
Omitto 116
Omnimode 304
Omnium pessimus 251
Opera 591
Opereprectium 137
Ope confisus, non dicitur: sed, ope adiutus 688
Opinio 667
Opifices 316

Digitized by Google

Opinor 289
Opinari 276
Oppidani 151
Oppugno, expugno, pugno, 509
Optare 123
Optinet, optutus, 475
Oro 335
Oratio 93
Oratio cæsa, oratio obliq̃ 637
Orator, an iurisconsultus præstantior 80
Orarium 384
Oratio, Oratores 588
Orchestra 383
Ordea 479
Ordo in uerbis seruãdus 617
Ordines plebei 553
Ordo ibidem
Organa 300
Os putei 364
Osus finita nomina 529
Ouare 323

P

PAbulari 349
Pacifico, Pacificor 558
Palata uinea 140
Palati, palãtes, propalare 140
Pallium 311
Pancratiastes 319
Panhormita 538
Panhormitam fugillat 604
768.774
Panhormitæ mores 436.480
484.555.560.672.705
Papa 515
Papula 329
Parabolani 552
Paranymphus 579
Parasangæ 528
Parciturus 439
Parentare 365
Pariformiter 315
Parlamentum 552
Partes 247
Parthenopes dormientis signũ 717
Participare 147
Parum quiddam 141
Parumper 310
Passio 143
Pastio uillatica 340
Pastophorum 366
Pater 157
Paterfamilias 157
Pater Laur. Vallæ iuris utriusq; antistes 779
Patria 288
Patritij 554
παθός 143
Paulisper 310.325.366
Paulò, Paulum 155.121
Paulum operæ 150
Paulò commotus 250

Digitized by Google

Pectus tenus 129
Pecuaria 302
Pedarius, qui uulgo pedaneus 710
Pegna amatorum 646
Peius oderunt 527
Pellex 297.328
Pelliparius 341
Pendo, frigeo ĩ præteritis 454
Pependi à pendo ibidem
Penes 112.119.136
Penes humanitatem 125
Penna 150
Penſilis 342
Penſionarius 342
Penſi nihil habere 77
Penſitandum 313
Penu 342
Penuria ibidem
Peplus 385
Per 66.344.360
Per, & Quàm, Perquàm 555
Per cauſam, per ſpeciem 378
Percipio 114
Perduellis, perduellio 297
Perfero 117
Perfidia 129
Perfunctus 389
Periclitor 304
Perinde 387
Peripatetici 261
Periſtromata, pipetaſmata 306
Perlegere 153
Permagnum quid 126
Peroſus 336
Perpendo 113.139
Perplures 119
Perſequi 97.343
Perſona 341
Perſona, p corpore hoĩs 254
Perſpicio 115
Perſuadeo te, & tibi 335
Perturbatio 142
Petrus Thomaſius 178
Petrus Nucertinus 179
Petrus Lunenſis ibidem
Petrus Priſuldinus 218
Petulans 304
Philos 322
Phyſica 360
Phonaſcus 352
Phramea 323
Pileus rubeus 124
Pindarus 346
Pinna, Pinnaculum 298
Pythagoras 346
Pituita 335
Plangere 323
Planctus ibidem
Plauſus 499
Ploratus 323
Pluries 126.199

Digitized by Google

Poëtæ 577
Pœnitet 341
Poëtarum & historicorũ dissensio 631
Poëta, propheta 544
Pogius pugnantia inter se scribit 275
Pogij uox ꝑdita de legib. 264
Pogius non seruat decorem in rebus ac personis 267
Polliccor 95
Pollicco ibidem
Polluo ibidem
Pomarium 347
Pomerium ibidem
Pompa 574
Pontificium pro põtificatu 51
Popina 306
Popularis 386
Porrigo 95
Porrò 608
Portare 348
Portendo 95
Portenta monstruosa 103
Portentosus 529
Portitor 131.307.326
Possessio 95
Possessiua pronomina 23
Possum 95
Posteaquam pro quoniã 113
Postero die 149
Postquam uiuo 141
Postremo 113
Postridiæ 62.138.149
Potestatem facere 521
Potiri 115.122
Potis, potus 348
Potissimum 120.256
Præ 155
Præclarus 104
Præcoquus 389
Præditus 608
Præfractus 364
Prægustator 377
Præiudicium 324
Prælongus 95
Præmaturus 389
Præ me fero 356
Prænomen 331
Præpes 304
Præposteri 362
Præripere 151
Presbyter 366
Præsentialiter 349
Præ se, præ te ferre 341
Præsidium 305
Præstat 150
Præstatiarum 137
Præsto 122.138.253 256.340.349
Præsumo 29
Præter 387

Digitized by Google

Præ te ferre prudentiam 695
Præterita æstate 122
Præteriti 492
Præteritus pontifex 123
Præuaricator 601
Pridem 119.121
Pridie 62.115.117.154.578
Prima luce 318
Primigenius 489
Primigenius sulcus ibidem
Primus 352
Prior 122
Prisciani laus 458
Priscus qui dicatur 458
Pro 387
Pro castris esse 638
Procella 381
Procera 511.512
Proconsul 350
Procuraret describi 141
Procus 322
Prodesse 359
Proferre in medium 463
Proficere 359
Proficiscor 137
Profiteri, Professio 350
Profiteri apud Prætorem 350
Pro maiori parte 356
Pro futuro anno 152
Promptus 122
Pronuba 578
Pronubus 578
Procemium 373
Propalare 140.734
Propè 105.327
Propediem 113
Propemodum 354
Propere 256
Prophetare 544
Prophetæ, uidentes dicti 517
Propino 306
Proprijs 119
Proscriptus 321
Prospicio 115.142.144
Prostibulum 327
Proteruus 290
Pro uirilibus 524
Proxima æstate 122
Proxime 121.125
Prudenter 170
Psalterium 379.774
Pudicitia uel morte tuēda 681
Pudor 585
Puellæ in masculos mutatæ 774
Puellus 147
Puerulus ibidem
Puerpera, Puerperium 339
Pugil 319
Pugillares 548
Pugio 323
Pugna ad bestias 784

Digitized by Google

Pugno, oppugno, expug. 509
Pullus 299
Pulpitum 128
Pumex 326
Punctum temporis, & Momẽtum 572
Punio 590
Punitus, puniantur ibidem
Pusca lora 307

Q

Quadruplator 388
Quæstor 783
Quæstio Homero ppoſita 639
Quàm 66.68.310.153.313 344.360.598.614
Quàm breuius potero 597
Quàmplures 253
Quàm potui occultiſſime 126
Quam pro quantum 22
Quanti æſtimas 158
Quantum 289
Quantotius 68.117.247.310
Quaſi 295
Quatinus 354
Quatenus 354.116.123
Qui 382
Quid 117.124
Quid pro quiddam, male ponitur 355
Quiddam, Quoddã 299.355
Quiddam 299.354.667
Quidem 28.120
Quidquid ſit 345
Quies 535
Quilibet 131.336
Quin 154.706
Quindena 247
Quintilianus quantò ſit maior Priſciano 477
Quinto die quàm 318
Quippe pro quoniam 25
Quippe 122
Quiſpiam 355
Quiſquam ibidem
Quiſq; 336.337.608
Quoad 256.558.598
Quod 289
Quodlibet 780
Quoniam 25.145
Quoquam 298
Quotidie 115.154
Quotus 341.355
Quotuſquiſq; 355
Quot menſibus 317

R

Racemus 389.547
Radicitus 154
Rapa 744
Raphaël Adormus 439
Reſpondere 128
Raſtæ 528
Rationis uis 410

Ratio

Ratio dictat 318
Ratio facultatum habenda 144
Rebellio 113
Rebellis 143
Recens 125
Recenter 359
Recipere 522
Recipere literas 115. & 131
Recitare 144. & 610
Recitare comœdias 355
Recluſus 127
Recognoſcere 145
Recolo 70. & 114
Recommendo 120
Recordor 356
Reddere 357
Reddere literas 151
Redhibeo 356
Redemptores 321
Reduces 362
Redundantia 688
Refellere 114
Referre gratias 73. & 146
Refigere 746
Refrixit actiue 247
Reflectitur collum 126
Reges multi in Hiſpania, nec principibus maiores 628
Relinquere, Derelinquere 610
Reliqua 117
Reminiſci 72
Remitto 153
Repenſare 145
Recompenſare ibidem
Reputare 357
Requiro 152
Reſciſcere 90
Reſides populi 166
Reſpicere 357
Retento 474
Reus 116.170.129. & 338
Reus mortis 127
Reum capitis facere 144
Reatus 338
Reuoco 559
Rhetorice 358
Ridicule 310
Rinutius 179
Ripa 364
Riparia 364
Rolandus 631
Romane loqui 97
Romuli cædes 197
Roſcius 668
Roſetum 379
Rudimenta 493
Rumor, Rumigerulus 254
Rupes 364

S

Sacerdos 366
Sacrarium 366
Saginari 344

Digitized by Google

Sagina ibidem
Sagmina 712
Sallustiana breuitas 691
Sallustianæ historiæ princi-
pia 618
Salinum 761
Salillum 761
Salto 366
Salio 366
Saltus 308
Salum 499
Sanctio 383
Sanctimonia 560
Sanctimoniales ibidem
Sanè molestus 154
Sano, Sanesco 461
Sarcinator 290
Sarcinæ, Impedimenta 516
Satagere 126
Satis abundeq; 119
Satius 150
Sauiatus 557
Sauia 558
Scaber 303
Scedula 152
Scientia 616
Scienter 596
Scilicet 127.552.& 554
Scire 276
Sciſco, Deſciſco, Scio 402
Se, & Sine in compoſitione 94
Schola 283
Scholaris 382
Scopa 479
Scopare 367
Scorpius 304
Scribo ad te, Scribo tibi 367
Scribendi 152
Scripta 591
Scurra 323
Secedere 113
Secerno 318
Secta 120.& 370
Secundum 113
Secundum quod 355
Secus 113
Seditioſus 350
Semiſomnolentus 158
Semper 139
Senecæ ætas 369
Senecæ duo 370
Senior 36
Senſa uerborum 289
Senſus, ſenſa 77
Sententia quid 370
Sententia in narratione 371
Sententiæ uariæ 371
Sententia in iudiciali 371
Sententiæ attemtatæ 374
Sniæ in Terētio plurimæ 374
Sententiæ in epiſtolis 374
Sententiæ in exemplo 375

Digitized by Google

Sententiæ diuisio 711
Senticeta 379
Sepulcrum 94
Sequens 376
Seria 388
Serius 338
Series ibidem
Serioſe 325
Sermo 548
Sermo doctorum & uulgi an quondam fuerit idem 277
Sermonẽ quem audiſtis 169
Seruus 234
Seſquialtera 545
Seſquipedalis 90
Seu 156
Seuum 308
Si 152
Sic 377
Sicariȳ 367
Sicut 119. & 135
Significare 154
Silere cum aliquo 114
Symbolũ apoſtolorũ an mẽbratim particulatimq; fuerit ab aplis conditũ 224. & 225
Simulo 66. & 377
Simultas 333. & 658
Sinautem 44. & 249
Singulatim, ſigillatim 118
Singulariſsimus 125
Singuli homines 156
Sin minus 44
Siquidem 377
Siquod, pro ſiquid 114
Syringa 379
Sis aduerbialiter 748
Sisto 456
Sitella 757
Situs 300
Siue 156
Sociare 113
Socratis mors 196
Solaria 319
Soldanus 628
Solicitare 113
Solicitus 112
Solidus annus 163
Solinus minutulus autor 567
Solœciſmus 58. & 95
Solœciſmus Ciceronis 36
Somnum capere 535
Somnolentus 158
Sonare 378
Spatha 323
Specula 314
Sperare 123
Sperma 379
Spiculum 191
Sphæra 310
Sphinx 71. 528. & 537
Spondere 350

Digitized by Google

Statum ſacrificium 444
Statum, an à ſto 445
Status paßiuè 459
Status dies ibidem
Stator ibidem
Statæ 208. & ibidem
Stati morbi ibidem
Stata ſacrificia ibidem
Statum à ſto ibidem
Statui 616
Status 671
Sterto 456
Stipator 376
Stipẽdiarij, Stipendiati 380
Stiti à ſiſto 459
Stoici 261
Strabitur 106
Strata 386
Strategus 783
Strenuus quisq; 32
Strepitus 351
Stultis oĩa redundant 289
Suadere 92
Suadere, diſuadere, perſuadere 596
Suauitas in uoce 482
Sub, Sub pro poſt 517
Sub dio 248
Sub idem tempus 354
Sub reditum meum 122
Sub fide mea 122
Subduco 499. & 500
Sublica 747
Subridere 354
Subſidium 305
Subtus 289
Subucula 687
Succinctus 611
Sudarium 384
Suffragium 320
Suffultus 121
Suggeſtum 128. & 367
Sugillo 353
Summe 149
Summi uiri dormitant aliquando 409
Super 149
Super equum 124
Superius 102
Superflue 380
Superlatiuus 255
Supter 475
Supina 257. & 300
Supra pontẽ tranſire 253
Surripere 218
Suſcipio, & Recipio, & Accipio 523
Sutor 290

T

TAbellarius 131
Talis 114
Tam pro iam 744

Digitized by Google

Tanquam 127
Tanquam pro ſicut 63
Tantum 255
Tantillus 340
Tarquinius Priſcus num pater fuerit Tarquinij Superbi 406.& 410
Tarquinij Priſci ſoboles 411
Tarquinius nō eſt Priſci filius, ſed nepos 425
Te dignus 138
Tegmina 382
Telum 191
Templum 367.& 368
Tempto, Tento 472.473.& 474
Temptatus ibidem
Tempus 312
Tempus redimere 321
Tempus in accuſatiuo, uel ablatiuo 148
Tempeſtiue, Intẽpeſtiue 381
Tempeſtas ibidem
Temporarium 133
Temporaneum 133
Tendo 473
Tento 473
Tentigo 473
Teſtamentum 93
Teſtamenti noui ad Græca exemplaria collatio, an ſit Valæ 767
Teſtari 119
Teter 333
Textus 613
Thermæ 306
Theſaurus 382
Teutonicos defendit Valla 476
Thucydidis laus 648
Tibicines 362
Tibicinum æſtimatio 630
Tigillum 382
Tignarius 316
Tignum 319.& 320
Titi Liuij præconia 772
Tofus 326
Toga 311
Tollere 495
Tollo liberos, ſuſtuli 495
Tonſtrina 300
Tranſmigrare 239
Tranſmittere 128
Trecentis diebus 129
Treuga 341
Tribulis 298
Tribulor 383
Trieris 330.& 563
Triremis 330
Triumphus 384
Triũphus de hoſte deuicto 110
Trophæum 383
Tubicines 362

Digitized by Google

Tuam absentis uirtutem 134
Tuum est, tui est 153
Tui amantißimus 115
Tum propter 114
Tuenda uita 289
Turma 378
Tutela corporis 289
Tum uero 128
Tum uel magis 128

V

VAcare 137
Vacare ad pastum 137
Vænalitiarij 385
Valla quas artes calluerit 722
Vallæ pugna cũ ariete 783
Valla arrogans 47
Valuæ 368
Valla comparat se Liuio 762
Vas uadis 34
Vbi, pro quo 314
Vbiq; 367
Ve 143. 156. 357. & 598
Vectoriæ naues 530
Vegetius 568
Vel 143. 156. & 345
Velitor 352
Veluti 119
Venatio 533
Venia 534
Venum ire 257
Verborũ in sco præterita 461
Vereor ne 153
Verecundia 386
Vergilij locus 256
Vernaculum, Vernacula lingua 387
Vernilis 387
Verres 539
Versus 485
Versus non est præpositio 486
Versus constructio 487
Versus pontem 252
Versuram facere 315
Versus Vallæ de uirtutibus 717
Versus Panhormitæ de uirtutibus 717
Veruex 339
Veruex, Verueculus 258
Vestales 561
Vestigare 152
Vestigo, inuestigo 255
Vestigiũ pro iudicium 52
Veteri 297
Veternus 661
Vexilla Romanorum 626
Viaticum 116
Videat 367
Vinaceam 389
Viriles partes 523
Viscani 322
Visceratio 313
Vitis 711

Digitized by Google

Vitis centurionum 713
Vllus 299
Vlterius 387
Vlmus 713
Vltra 387
Vltro citroq; 389
Vmbra 580
Vmbella 288
Vnæ ædes 387
Vnam pro alia 345
Vnus homo 248
Vnum quiddam 120
Vno ſolo 127
Vnumquidq; 358
Vocalitas 483
Volitare 106
Volones 746
Volumen 64.74.135.165.& 382
Voluntas 388
Vomica 325
Voluptas 156.& 252
Vrbs ab urbo, nõ ab orbe 69
Vrbare 69
Vrbs Roma 301
Vrgellenſis epiſcopi epiſtola 222
Vri, aduri, peruri 129
Vſitatum 488
Vt 129.& 141
Vter 345
Vterq; alteri 136
Vter alteri 136
Vtcunq; 345
Vtplurimum 113.& 300
Vtpote 380
Vt quæq; ueniebant 355
Vt quisq; uir optimus eſt 126
Vtrinq; in alteros 508
Vtrobiq; 389
Vtrum 332

X

Xenophon 639

FINIS.

Digitized by Google



UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
FACULTAD DE MEDICINA

Digitized by Google